1. Du Pui. Pathologico-Therapeuticus.
2. Peyrilke. De Cancro.
3. Pereboom. De Paralysi.
4. Marciakenside. De Dysenteria
5. van Elsaker. Febris Bilioso-Putridae.
6. Murray & Bonsdorff. De Cirsocele.

THESAURUS PATHOLOGICO-THERAPEUTICUS:

exhibens

SCRIPTA RARIORA ET SELECTIORA

AUCTORUM ET INDIGENORUM ET EXTERORUM,

quibus

natura ac medela

morborum tam internorum quam externorum

illuſtrantur atque explicantur:

quem

collegit et edidit

Dr. IO. CHRIST. TRAUG. SCHLEGEL

Celſ. Comit. regn. de Schoenburg-Waldenburg Conſil. et Archiater; Dynaſtiarum Waldenburg et Lichtenſtein &c. &c. Phyſic. ordinar.

COLLEGE OF SURGEONS OF ENGLAND

Volum. I. Pars I.

LIPSIAE

ſumtibus Car. Frider. Schneider 1789.

VIRO ILLUSTRI,
EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTSISIMO

IOANNI FRIDERICO CAROLO GRIMM,

Sereniſſ. Ducis Saxo-Gothani Conſiliario ab aula
et Archiatro,
caet.

HIPPOCRATIS INTERPRETI
Doctiſſimo
MEDICO HIPPOCRATICO
Feliciſſimo,
Volumen primum
hujus Theſauri
D. D. D.
ſeſe resque ſuas commendat
EDITOR.

LECTURIS

S. P. D.

Dr. SCHLEGEL.

Quae in proprios vſus, haud paucis retro annis, indefeſſo ſtudio et magno ſumtuum diſpendio, collegi atque congeſſi, ea ſcripta, quaeque rariora non tantum ſed et ſelectiora ſunt aeſtimanda, quibus hiſtoria, natura ac medela morborum tam internorum quam externorum corporis humani optime illuſtrantur atque explicantur, *Vobis L. B.* offerre hoc theſauro eſt mihi in animo.

Fateor, et mihi, prout aliis, acquiſitio eorum foret difficillima, ni perplures Viri illu-

ſtres

ſtres ac celeberrimi, ſingulari benevolentia, praeſtantiora opuſcula medica, e praecipuis Europae terris transmitterent, et, vt opus hocce tanto maioris vtilitatis evaderet, benigniſſime me ſublevarent. Nominandi praecipue ſunt, artis noſtrae principes, Doctores clariſſimi, fautores atque amici honoratiſſimi, *Ackermann*, *Arnemann*, *Bacher*, *Baldinger*, *Blumenbach*, *Bonn*, *Boſe*, *Crell*, *Daniel*, *Delius*, *Franz*, *Gruner*, *Hartmann*, *Knackſtedt*, *Langguth*, *Ludwig*, *Mayer*, *Mellin*, *Metzger*, *Mezler*, *Mohrenheim*, *Müller*, *Murray*, *Pfeffinger*, *Pohl*, *Sandifort*, *Soemmerring*, *Starcke*, et *Willemet*: quibus pro munificentia, ſaepiſſime celebrata, gratias, quas poſſum, ago, maximasque habeo. Viros, ſumme colendos, rogo atque obteſtor, vt mihi meisque conatibus

bus qualibuscunque faveant etiam in poſterum.

Si quis ex hoc theſauro fructum hauſerit aliquem, non parum mihi gratulabor, me meumque officium maximo praemio eſſe donatum, exiſtimabo. Dab. Waldenburgi, d. 2. Auguſti MDCCLXXXVIII.

Con-

Conſpectus contentorum.

I. Dr. *Mein. Simon. du Pui*, diſſ. med. de homine dextro et ſiniſtro. L. B. 1780. Pag. 1.

II. Dr. *Ber. Peyrilhe*, diſſ. acad. de Cancro. Ad Edit. Antwerp. 1775. 181.

III. Dr. *Cornelii Pereboom*, diſſ. de paralyſi imprimis nervea. Hornae, 1773. 243.

I. Dr.

I.

Dr. MEINARDI SIMON. DU PUI

Diſſertatio medica

DE

HOMINE DEXTRO ET SINISTRO.

Lugduni Batavor, 1780.

PRAEFATIO.

Titulum Diſſertationis hujus miraberis forte B. Lector, cum novitatem prodere videatur atque obſcuritatem quamdam prae ſe ferre: levi autem adumbratione concipies facile, quid ſignificet. Ab Hippocratis quippe tempore ad hunc usque diem Hiſtoriae memorantur morborum, qui Symptomata & Evacuationes criticas in dimidia tantum noſtri Corporis parte manifeſtarunt, ſic ut unius Lateris actiones poſſint laedi, dum alterius conſuetum Naturae iter ſequantur, ac officia ſua praeſtent illibatae. Hae itaque, cum fideli adnotatione eorum morborum exiſtentiam perdiſcerem, atque eam confirmari cognoſcerem ſimul variis Obſervationibus, quas mecum Viri Clariſſimi & Doctiſſimi (quibus pro beneficio hoc publice debitas perſolvo grates) communicarunt, quaeque hanc Diſſertationem nunc adornant; effecerunt, ut, Sydenhamio praeeunte (qui Nervorum Syſtema tanti momenti credidit, ut illud *Hominem in Homine* appellaverit) Morborum genera, quae unum tantum Corporis Latus adfligunt titulo *Hominis Dextri & Siniſtri* affectionum inſigniverim. In hoc autem inprimis incubuiſſe me ſcias, ut, quemadmodum de Syſtematis Nervoſi morbis dextri ſiniſtrive Lateris ab omni aevo omnibus conſtitit Medicis, ita & Obſervationum teſtimonio, illisque & oeconomiae N. C. legibus fundata Ratiocinatione,

 ſtabi-

ſtabilire conarer, in Syſtemate Vaſculoſo ſimiles locum habere Dimidii Hominis morbos: hos in Prima Sectione, illos in Secunda propoſui.

Biennium elapſum eſt, ex quo Materiam hanc meditari, atque ad illam pertractandam congerere, quae uſui mihi forent, ſuſceperim. Subvenerunt interea temporis multa, quae prius ad finem perducere hanc Diſſertationem impediverunt: prae ceteris peregrinatio in Angliam Galliamque, quo praecepta, quae mihi tum in Groningana, tum in Leidenſi, Academia in Praxi Medica, Chirurgia & Arte Obſtetricia comparaveram, frequentiori morbos videndi occaſione ac Exterorum doctrina atque experientia, in utriusque Regni Metropoli, ſtabilirem & firmarem. Suſceptum iter, quemadmodum ſtudiis meis proficuum, ſic pariter huic Opuſculo non inutile fuiſſe, confido: toto enim illo tempore mihi colligendi Obſervationes varias, & ſaepius ſeveriusque de hac materie cogitandi fuit occaſio. Sic quidem factum eſt, ut nimiam forte materiae ubertatem acceperim, & ultra ſolitos limites excurrat haecce Diſſertatio; ſimul autem ſi contigit, ut paulo penitius ejus ſubjectum perſpicere, & Materiem hanc, nemini adhucdum, quantum novi, ex profeſſo pertractatam, pro dignitate quadantenus perſcrutari potuerim. Longe tamen abeſt B. L., ut ſentiam, me in omnibus rem acu tetigiſſe, &, quod agendum erat, peregiſſe:

egiſſe: facile enim video, Tractatum hunc non uno laborare vitio, atque hiatus & defectus varios in eo dari, ipſe probe ſentio: hos adimplebit forte dies poſtera, *Medicina enim* (ut recte inquit BAGLIVIUS) *non ingenii humani partus, ſed temporis filia.*

Hoc omne eſt, quod praefari volui. Vale Lector, ac noſtris conatibus, ſi qua laude digni ſunt, fave!

Dabam Lugd. Batav.
die 25. Februarii
CIↃIↃCCLXXX.

DISSERTATIO
MEDICA
DE
HOMINE DEXTRO ET SINISTRO.

SECTIO PRIMA.
DE
ADFECTIONIBUS ALTERUTRIUS LATERIS, INPRIMIS EX VASORUM SYSTEMATE ALIISVE PARTIBUS DEDUCENDIS.

Introductio.

Suos ſane habent uſus noſtri corporis partium diverſarum duplex numerus, functiones eaedem: his corpori elegantia conciliatur major; harmonia perfectior; numeri, ponderis & menſurae ſymmetria concinnior; ex effectibus porro ac Naturae ordine, quem in his tenent C. H. leges, eluceſcit, partium harum numerum duplicem vitae non raro conſervandae munia eſſe potentiſſima, ſic ut pars altera laeſae, ſuave functione interturbatae, nonnunquam ſuppetias adferat inſignes, alterius vices non raro gerat integras, aut alia producat praeſidia, ſine quibus, ni talis obtineret partium diviſio, vita perſiſtere haud potis eſſet.

Haec

Haec hominis in duas quaſi partes, *dextram* & *ſiniſtram*, diviſio ut levi obſervatur ſcrutinio, ſic ejus pro N. C. ſalute facillime inveniuntur emolumenta: quod ſi autem ſyſtema vaſculoſum, &, quae huc ſuam ſymbolam conferunt, partes alias ita comparatas aſſeramus, ut ex harum fabricâ & actione morbi nonnunquam naſcantur, qui dimidiatam tantum corporis partem adfligunt, non ita forte conſentientes inveniemus plures, niſi dicta probentur. — Nec mirandum hoc; cum enim fluidum vitale, ſolâ N. C. actione elaborandum, ex utriusque cordis cavitate per ſuos ſibi privos canales & maeandros, rectos, incurvatos, obliquos, anfractuoſos, magnos, minimos per omnem N. C. partem legibus hydraulicis, hydroſtaticisque premi, ferri, propelli, perque alios revehi, ſic ut totam machinam pervagetur, quibuscunque etiam imbuta proprietatibus, quaevis particula ſanguinis, ſibi imaginetur tantum judex praecipitantior, nec ad alias, hic certe adferendas, cauſſas attenderit curatius; non facile perſpiciet certe, quî fiat, ut ex eodem latice, totum circumvagante corpus, unicum modo adfici poſſit latus, intacto ſuperſtite. — Et hoc argumentandi genus etſi ſpeciem aliquam habere videatur, factis tamen ipſis refellitur: tot enim haec res obſervationibus eſt ſtabilita, tot exſtant effectus ejus certi, ut nullus de eâ dubitandi ſuperſit locus.

Materies haec ordinem requirit juſtum: quod, quum alia non ſit via, quâ in cognitionem cauſſarum deſcendere liceat, quam per ſollicitam obſervationem effectuum & phaenomenorum, perque corollaria ex his aut ſponte fluentia, aut neceſſitate mathematicâ inde deducta, congruum eſt, ut quid hac de re Auctoribus obſervatum ſit proferatur; dein in horum phaenomenorum cauſſas inquiratur, atque inde poſtmodum ſequelae deducantur legitimae, quae praxin illuſtrant medicam.

CAP. I.

OBSERVATIONES MORBORUM DIMIDII HOMINIS CONTINENS.

§. I.

Genarum rubores; albedo Linguae è directo pulmonis adfecti; linguae intumescentia & rubedo dimidiae.

Practicis notatum eſt frequentiſſime *a*), in pectoris adfectionibus, iis praeſertim, quae peripneumoniae; haemoptoae; vomicae; phthiſi; pulmonumque inſequuntur tuberculis, alterutram genam, prout dexter, vel ſiniſter obſeſſus pulmo eſt, rubore tingi notabili. In peripneumoniâ ſanguinis colore naturali haud diſſimili. In aliis autem mox memoratis morbis alteruter ille rubor floridioris ingenii eſt & coloris exaltatioris, ita ut praediſpoſitis colores iſti amoene roſei intermixto candido horum malorum perſaepe infida ſint praenuntia.

Haud ita frequentioris effectus ſunt, quae peripneumonicis accidere notavit Cous: nimirum linguam quandoque albidam fieri in integrum, ſi totus adfectus fuerit pulmo, & pro dimidiâ tantum parte, ejus ſi dimidia fuerit adflicta pars: inquit enim *b*). „In pulmonis inflammationibus ſi lingua tota alba fiat ac aſpera, „ambae pulmonis partes inflammatione vexantur, quibus vero dimidia lingua, qua parte id adparet, inflammatio adfligit.“ — Hoc Hippocratis confirman-

a) Vid. inter alios venerandi Senis Cl. Oosterdykii Inſt. Med. Pract. Lib. IV. Morb. Part. C. III. §. XV. C. IV. §. XI. C. V. §. IX. & C. VI. nec non Ill. Swieteni Comm. Tom. III. p. 645. & 673.

b) Coac. Praenot. n. 400. Ed. Foëſ.

mantes dogma nullas aliis recenſitas Auctoribus inveni obſervationes.

Dimidiatam hanc linguae diſpoſitionem vigere non raro absque eo, ut ſuam hic quaſi ſymbolam conferant pulmones adfecti, aliorum comprobant obſervationes: quandoque etenim tumere tantum dimidiam linguam & in Act. Acad. R. Chir. Pariſ. & in Ephemerid. N. C. legitur. Prior obſervatio in dicto opere occurrit Tom. V. p. 515., ubi Cl. de LA MALLE memorat, quod poſt faucium exortum vitium, & inde natam deglutitionem difficilem, dimidia tumuerit lingua: poſtquam enim haec memoraverat, ita pergit. „*On lui preſcrivit des boiſſons refraichiſſantes: & elle paroiſſoit hors d'affaire, lorsque au bout de quelques jours, dans la nuit du dix-ſept au dix-huit du mois la langue ſe tumefia dans toute ſa longueur du coté gauche: quoique le gonflement n'affectat qu'un ſeul coté, il etoit ſi conſiderable, qu'il genoit la reſpiration & rendoit la deglutition impoſſible.*“ — Poſterior invenitur in memoratis Actis Dec. I. Ann. VI & VII. obſerv. IX. pag. 20., ubi de hirudinum ſucceſſu felici in cephalalgiâ inveteratâ agens haec interſerit Cl. LANGELOTTUS „Sed novo quodam exemplo idem ille heros hirudinum ſingularem effectum in contumaciſſimo linguae tumore eſt expertus: induruerat lingua ad partem ſui dimidiam, idque ex bilis atrae defluxione, ita ut aridi inſtar ligni immobilis in ore haereret, vixque ulli uſui ſufficeret.“ Obſervatio illa memoratur etiam in *Memoir. de l'Acad. R. de Chir.* l. mox cit.

Nec tumere tantum dimidiam linguam, verum etiam nigredine tingi quandoque ſolam, patet ex obſervatione, litteris conſcriptâ (quibus eo major habenda fides eſt, quod de alio morbo agentes, de linguae vitio quaſi per tranſennam modo moneant) a Chirurgo quodam expertiſſimo, atque in Patria noſtrâ haud incelebri,

qui aegri, dolore fixo dextri lateris capitis & maxillae ſuperioris laborantis, una cum nigredine linguae dimidiae lateris ejusdem, habuerat curam, quam mecum pro ſolitâ erga me benevolentiâ communicavit Clar. Praeceptor VAN DOEVEREN.

§. II.

Coloris cutis Ictero depravati exempla.

Hujus coloris depravati exemplum manifeſtiſſimum CONRADI BERTHOLDI obſervatio eſt de ictero corporis dimidii, qui ita ſeſe obtulit. „Icterum unius „lateris hactenus apud nullum auctorem reperi, obſer„vatus tamen à me ante biennium in generoſiſſimo de „St. ſeptuagenario majore, qui cum ab ira, cui gravio„ri per naturam obnoxius erat, apoplexia corriperetur, „quam hemiplexia dextri lateris excepit, ſimul ictero „partis ejusdem laborabat, corpus adeo accurate quaſi „dividente, ut etiam naſi dextrum latus icteritium eſ„ſet, ſiniſtrum vero colorem naturalem retineret, haud „ſecus ac in ſene quodam podagrico altera quoque naſi „medietas adfecta ab ETTMULLERO *d*) obſervata „eſt. — Quamvis autem Dn. aeger propter aetatem „ab omnibus pro deplorato haberetur, cum & urina „ſupprimeretur; V. S. tamen & convenienti cephali„corum cum Bezoardicis, quae inter tinctura Michaë„lis valde proficua deprehendebatur, conjunctorum uſu „intra duas ſeptimanas reſtituebatur, ita ut icterus quo„que diſpareret. — Incolumis ab eo tempore inte„grâque valetudine exſtitit usque ad finem Octobris an„ni ſuperioris, quo iterum ab ira frequentiori caſuque „nocturno continua febre correptus, cum propter octi„duanam abſentiam meam, qua Auguſto Electori Brun„ſvicenſi

c) Eph. N. C. Cent. III. obſ. 64.
d) In Collegio Practico Oper. Tom. 2. pag. 844.

„ſvicenſi Domino meo Clementiſſimo vocabar, alteri „cuidam medico ſeſe committere coactus fuiſſet, ſeu „propter mutationem hanc, ſeu quoque aetatis ratio„ne morti tandem in praedam ceſſit.“ Hanc recenſuit obſervationem Morgagnius *e*), inque illius cauſſam, ut obiter ipſam tetigerat obſervationem, obiter etiam inquiſivit; verum de hac infra dicendi erit locus.

Non ita dimidiati quidem praeciſe corporis at ſingularium tantum corporis partium ictero infectarum, ut dextri praeſertim brachii, faciei duntaxat, aut mammae, aut digiti, vel unguium Rosenius ex Paulino *f*) & Actis N. C. *g*), & ex Diario medico Gallico *h*) Vogelius meminere *i*). Hiſce abſolutis pergo ad alia exempla.

§. III.

Unius lateris Sudores.

Horum aliquas colligere obſervationes mihi annales ſuppeditarunt medici: quas ſequenti ordine accipite.

„Prudentiſſimus J. J. Eerhard XIII. Vir Argen„toratenſis per omnem vitam tantum ſudabat in dex„tris corporis partibus: egoque vidi in fronte & alibi „dextrum latus ſudore madere, ſiniſtrum nunquam. „Obibat pie paucos ante annos ſexagenarius hydro„pe“ *k*).

„Nu-

e) Epiſt. Anat. Med. XI. art. 14. de S. & C. morb. per Anat. indagatis.

f) Obſ. Dec. I. 9.

g) Vol. IV. Obſ. 112.

h) Journal de Medecine M. de Fevrier 1768. p. 163.

i) Praelect. Pract. Titulo Icteri.

k) Vid. Obſ. D. Georgii Franci in Eph. N. C. Dec. I. Anno IV. & V. Obſ. C.

„Numero aliquot (inquit LEDELIUS *l*)) depre-
„hendi perſonas Gorlicii Luſatorum curae meae, ob
„aegritudines varias, ſubditas, quibus altero latere ſu-
„dante, alterum minime humectatum deprehendi: nec
„tantum è Nobilitate, ſed & è plebejis fuerunt, ita ut
„jam non amplius pro raro ſit reputandum“.

„Sutoris Quedlinburgenſis uxor adhuc viv ens, ſuc-
„ci plena, caeteroquin ſana & vegeta, ubi corpus à
„motu vel calore externo, vel aſſumto ſudorifero ca-
„lefit, in ſingulis ſiniſtri lateris partibus à capite ad cal-
„cem usque ſudorem profundit largiſſimum, in dextro
„vero latere ne minima ſudoris gutta nec mador un-
„quam erumpit, id quod ego partim non modo ſaepiſ-
„ſime vidi, ſed ipſa quoque hoc à pueritia, quantum
„recordari poteſt, non aliter contigiſſe, conſtanter aſ-
„ſeverat. Quod autem hic quam maxime mirandum
„mihi videtur, illud eſt: quoties haec femina ex mari-
„to concepit (eſt autem quinque jam liberorum mater)
„ſtatim à conceptionis & hinc geſtationis tempore ſu-
„dorem per corporis partes in utroque latere ordinarie
„prorumpere obſervat; exantlatis vero partus labori-
„bus eo ipſo momento dextri lateris pori concidunt,
„ac firmiſſime iterum clauduntur, adeo, ut ipſa ſudo-
„rem totius corporis pro infallibili conceptionis ſigno
„in ſe jam agnoſcat, habeatque. Extra ingravidationis
„vero tempus etiam in balneo calidiſſimo per diapho-
„retica maxime volatilia (quod aliquoties tentavi) ſu-
„dor nullatenus allici poteſt. Ipſa interim nulla hinc
„ſentit ſanitatis incommoda, niſi aliqualem ſiniſtri bra-
„chii ac totius fere ipſius lateris gravitatem, forſan à
„latice ſeroſo illuc copioſius affluente oriundam“ *m*).

Duplicem, cujus ejusdem fere generis altera eſt,
obſer-

l) Ibid. Dec. III. A. II. Obſ. LII.

m) Ibid. Obſ. D. JACOBI SCHMIDII in Dec. II. A. II. Obſ. CXXVI. p. 287.

obſervationem memoriae prodidit Cl. HARTMANNUS *n*), eo tamen cum diſcrimine, ut faemina haec, cujus meminit, ſudores tantum pateretur dimidios, quotiescunque geſtaret utero. Altera eſt de faemina perpetuo fere ex cordis palpitationibus laborante, ſiniſtri ſolius lateris ſudoribus perfuſa.

Inſequatur jam obſervationum ejusdem generis par à Clar. P. ROMMELIO conſervatum *o*):

„Ill. & generoſa quaedam Baroniſſa, re exigente, „ad ſudorem proclivis, in lecto facile ſudare poteſt, „nec leve inde juvamen ſentit, utpote eryſipelate haud „raro vexata. Circa ſudationem tamen hoc ſingulare „habet, ut, quoties vult, unicum ſaltem latus, & qui„dem illud quod liberum eſt, & cui non incumbit, ſu„dare obſervet, altero omnino ſicco manente: cum ita„que ad ſudandum ſe componit, illi lateri incumbere „neceſſe habet, quod ſudore minus opus habere cre„dit, alia demum vice, alterum latus etiam pari modo „ad ſudandum debito ſitu diſpoſitura. Mirum ſane vi„deri poſſet, oppoſitum & minus incaleſcens latus ſu„dare, cum tamen rationi & naturae magis conveniens „videatur, latus magis calefactum, & reliqui corporis „mole, praeter ſtragula, magis onuſtum, quam illud, „quod reſpectu hujus lecto vel ſtragulis leviter ſaltem „tectum eſt, ſudare debere".

„Alia mulier ſcirrhoſa hepatis duritie laborans ſe „neque in lecto, neque in ſudatorio (quod more ple„bejo per ſe & proprio conſilio facere ſolita eſt) in la„tere & hypochondrio dextro ſudorem prolicere po„teſt; etiamſi latus ſiniſtrum recte madeat & ſudorem „emittat. Imo non ſolum dictum latus non ſudat, ſed „quod mage mirandum, dum totum corpus reliquum „inca-

n) In diſſert. de Sudore unius lateris edita Halae ad Salam A, 1751. 4to. p. 38. Not. 26. in fine.
o) Mox cit. Eph. N. C. Dec. II, A. X. Obſ. CXCIV. p. 376.

„incaleſcit, & ſudore quaſi diffluit; hoc tamen latus „ſemper ſiccum & frigidum manet, & patiens frigus „haud leve illius lateris ſentit“.

PECHLINUS *p*) porro protulit, ſe vidiſſe una parte copioſos effluxiſſe ſudores, ubi dimidium corporis rigebat, neque lecti commoditate injectisque ſtragulis, ut concaleſceret adduci potuiſſe, illaque quicquam adjuvaſſe.

Nec omittendus eſt, quem in ſe ipſo fuit expertus mox laudatus Cl. HARTMANNUS *q*), unius lateris ſudor, cujus hiſtoriam dedit ſequentem *r*):

„Praeter illud, quod dextrum latus peculiariter hic „ſudor occupat, ſemperque & prior eſt & copioſior „illo, qui in altero ſub vehementiori demum ſudatione „exſtillat, hoc quoque commemorandum eſt, ipſum „hunc ſudorem vel a leviſſima cauſa fieri effuſiſſimum. „Atque haec eſt omnis tam prodeuntis ejus, quam per„manentis ratio. Quotiescunque lateri dextro immi„net, vel moderatiſſima corporis agitatione, vel tem„perato admodum calore, vel attentâ quadam animi „meditatione, vel alia quacunque cauſâ, ſanguinis mo„tum etiam perquam leviter augente, irritatus, primo „in dextram genam ea, quae interno oculi cantho pro„pior eſt, parte madorem emittit parum percipiendum, „mox vero celerrime in guttas coit maximas, frontis„que, & naſi, & menti, & pectoris, & omnis reliqui „corporis partem exacte dimidiam largiſſimo latice per„fundit. Qua durante illuvie illud quoque ſingulariter „obſer-

p) Obſ. Phyſico Med. pag. 342.

q) Vid. laudatam mox diſſert. p. 4, 36 & ſeqq., ubi in nota 25. ſudor ſiniſtram capitis partem poſt prandium & coenam occupans ex MARCELLO DONATO L. VI. *De Medica Hiſt. Mirabili*, & aliorum ſudorum particularium memorantur hiſtoriae.

r) §. XVIII. & XIX.

„obſervandum eſt, adfectum atque ſudore inundatum
„latus ad tactum frigere, alterum vero naturali ſuo te-
„pore eſſe temperatum. Tandem in ſiniſtro quoque
„latere ſudoriferi pori ſuos humores emittere incipi-
„unt; raro autem, niſi ſumma ſit ſudatio, ultra mado-
„rem ſudant. Cui quidem ſudoris hujus inſoliti efflu-
„entiae varias nonnullas ſingulares ejusdem lateris in-
„firmitates adjunctas ſentio, quarum aliquas, quae ip-
„ſum ſudorem cognatione maxime attingunt, mihique
„indeſinenter fere atque perpetuis inſultibus infeſtae
„ſunt, conciſo expediam ſermone. Potiora in caput
„intenduntur mala: quandoquidem illud frequentius
„ex ἡμικρανία dolet; dexter oculus ſiniſtro multo he-
„betior eſt; dextram narem inceſſabilis occludit grave-
„do atque deſtillatio, & ipſa lingua, dextra ſui parte,
„veluti ſubnervata, difficilius movetur. Univerſo vero
„lateri dextro, praeſertim ſcapulae, femori & tibiae,
„continui incumbunt rheumatiſmi. Taceo frequentes
„dextri pulmonis dolores acutos & veluti punctim illa-
„tos, ipſosque inſignes ex dextro ſolum hypochondrio
„labores.“ In inſequentibus §§. in hujus ſudoris cauſ-
ſas inquirit, quas, donec inferius fuerit perventum,
nunc mittimus.

Non ita totum quidem corpus dimidium, at faciei ſolius dextrae partis omni tempore pomeridiano infeſtantem ſudorem in nobili quadam virgine Groningo-Omlandicâ abhinc aliquot annis Clar. Praeceptor VAN DOEVEREN obſervavit & mecum communicavit.

Obſervationis inſuper ſudoris magis particularis à poſteriori colli parte, cum aliquali cutis rubore & ardore erumpentis, copioſiſſimi, intra 24. horas hunc locum omnino deſerentis, dorſum poſtmodum eodem modo usque ad nates occupantis, ac reliquis intactis aliis parti-

partibus demum poſt aliquot dies evaneſcentis, Auctor eſt ANDRAEAS KELLNERUS *s*).

§. IV.

Calor Frigusque alterutrius lateris.

Horum primas teneat partes ante jam memoratus PECHLINUS *t*), qui haec effecta ſe obſervaſſe aſſerit „vidimus, inquit, profecto, ubi unius lateris extremum „erat frigus, alterum caluiſſe: & nonnullis interjectis addidit, „vidi & novi faeminam praecipuam, quae ad „paroxysmos epilepticos identidem recurſantes dimidii „corporis, à capite ad calcem, ſtupore & *frigore*, oculi „ſiniſtri coecitate, cordis concuſſione tam vehemente, „ut & à vicinis audiri poſſet, afficiebatur, immuni ſem„per & feriante altero latere. “

Calorem & ſudorem dimidii corporis à ſe ipſo obſervatum Clar. habet J. F. CLOSSIUS *u*): Auctor hic, poſtquam J. SCHENCKII *v*) memoraverat hiſtoriam Monialis, *cui, quotiescunque balneum ingrediebatur, aut levi aliquo exercitio corporis utebatur, toties inſignis quaedam rubedo in dextro latere à fronte usque ad pedes ſuboriebatur, ſiniſtro naturalem omnino colorem ſervante*, ſe puerum quendam Tubingenſem ſaepius vidiſſe ſcribit, „qui, quoties incaleſcebat, in ſingulis dextri lateris par„tibus à capite ad calcem usque rubore, madore & ſu„dore perfundebatur, in ſiniſtro interim latere nullam, „neque coloris, neque caloris, mutationem patiens, „ita quidem, ut, jucundo prorſus ſpectaculo, in facie, „frontis, naſi, labiorum, menti, cet. partes, examuſ„ſim dimidiatas, verſus dextram calidas, rubicundas,

„ma-

s) Act. Phyſ. Med. Vol. IV. Obſ. CXV. p. 452.

t) L. I.

u) Spec. Obſ. miſcell. novae variolis med. meth. adjectum. Obſ. XXIII. p. 102.

v) Obſ. Rar. Cap. de cute L. V. Obſ. V.

„madidas, verſus ſiniſtram autem frigidas, pallidas, ſic-„cas, conſpicere liceret.“

De febre particulari intermittenti, non quidem è perpendiculo, at horiſontali diviſioni parallelo, dimidium corpus occupante, mentionem injicit medicus D'AUXIRON in *Diario medico Gallico x*): quae tamen non adeo proxime ſcopum meum tangit, ut eam ulterius memorare neceſſarium duxerim.

§. V.

Eruptionum cutanearum variae ſpecies.

De his variis variae Auctoribus recenſentur diverſitates, varii earum metaſchematiſmi. — Inter medicos, qui hac de re ſuas memoriae prodiderunt obſervationes, agmen hic ducat ſaepius jam laudatus PECHLINUS *y*), qui in ſcorbuto, ejusque filiâ (ut dicit) ſcabie; an recte? non ſemel unum ſe latus ad perpendiculum maculis; puſtulis ulceribusque foedari, altero immuni, notare meminit.

Inſequatur hunc Cl. J. ERN. GREDINGIUS *z*), qui noctambulonis; cujus hiſtoriam tradit b. LUDWIGIUS *a*), diſſectionem tradens adnotat; mortui petechias nigras, violaceas; atroque-rubentis coloris; à lentis magnitudine ad acus puncturae tantum, circumferentiam, uberrima copia fere ſolam frontem; exceptâ ſuperiore humeri ſiniſtri parte; *quae unica eaque ſola* notabatur, occupaſſe.

Va-

x) Journal de Medecine, Chir., Pharmacie &c., par M. ROUX. Tom. XXIV. Janvier 1766. p. 60.

y) In ſaepius memorato Tractatu.

z) LUDWIGII Adv. Med. Pract. Vol. II. Parte III. pag. 451.

a) Ibidem, Vol. II. Parte II. pag. 289.

Variolas dimidiam tantum corporis ſuperficiem infeſtantes obſervavit ſolus, quantum ſcio, PECHLINUS *b*), qui dicit „ ſemel etiam notavi variolas denſas admodum „ unum duntaxat latus occupaſſe, dimidiato corpore „ plane intacto, aut ſummum unis alteriſque puſtulis „ maculato. "

Variolas veras ſuccedere morbillis, & vice converſa, animadvertere non rarum eſt *c*); nec rarum eſt, variolas vel morbillos petechias ſibi habere ſocias *d*); cum putredinis gradu tantopere evecto, ut petechiae produci inde poſſint, nihil eas oriri facilius; rarius longe eſt, variolas veras cum morbillis eodem obtinere in corpore *e*) rariusque adhuc, morbillos unum, alterum occupare

b) L. I. Corrigendus ergo hic error eſt, quem in citando commiſerunt Cl. WEBERUS (Obſ. med. Faſcicul. I. pag. ult.) & Cl. KLEIN (Interpres Clinicus pag. 187.) ac ſi de morbillis in ſiniſtrâ parte, dextra variolis, ad perpendiculum diviſo corpore, meminiſſet PECHLINUS. l. l.

c) Cl. VALENT. ERN. COHAUSEN in Act. Phyſ. Med. Vol. VI. Obſ. CIX. pag. 370. ſe in tribus fratribus, eorundem ſorore, aliiſque binis ſubjectis, variolis morbillos ſucceſſiſſe anno 1739. obſervaſſe teſtatur.

d) Eodem in Libro pag. 217. ubi notantur variolae cum interſperſis petechiis.

e) DIMERBROEK Op. omn. p. 248, 302. Hiſt. XIX. SIDOBRE Tract. de Var. & morb. HARRIS de morb. Acutis infant. p. 486. & ſeq. obſ. VII. WEBER Obſ. Faſcic. mox cit. p. 64. Variolas inſititias una cum morbillis conjunctas in variis aegris memorat Cl. BERGIUS, vid. *de Geneesk. Verh. aan de Kon. Sweedſche Acad. mede gedeeld, vertaald door* J. B. SANDIFORT, Tom. III. p. 391. & ſeqq. necnon p. 478. & ſeqq. Cuicunque frequenti variolarum inſitioni intereſſe occaſio fuit (& huic multoties interfuiſſe Cl. mei Praeceptoris VAN DOEVEREN benevolentia glorior) obſervare potuerit, frequentem hanc concomitari eruptionem cutaneam, quam nomine *Rash* inſigniere Brittanni, quae proxime ad levioris & mitioris ſcarlatinae ſpeciem accedere videtur. Conf. DIMSDALE *on the preſ. meth. of Inoculation.*

occupare latus variolas; quandoque tamen illum caſum obtinuiſſe palam facit obſervatio *f*) Cl. BEHRENS, qui ETMULLERUM *g*) obſervaſſe variolas in uno & in altero morbillos ſcribit.

Atque his in recenſendis obſervationibus hic ſubſiſto & ad alia tranſeo.

§. VI.

Alterutrius lateris Ignis Sacer.

Eruptio datur quaedam cutanea, per dimidiam corporis ſuperficiem à pectore & paulò ſuperius ad imum ventris plerumque ſeſe extendens, ibi locorum dolorem habens comitem, gravem plerumque adeo, ut tactum preſſionemve perferendo impares ſint aegri.

Morbum hunc dum apud ſcriptores perſcrutari volumus, tam diverſa nomina, tantamque nonnunquam ſymptomatum curandique rationis offendimus diverſitatem, ut neſcias fere quodnam ei tribuendum ſit nomen, atque ad quam ſpeciem referri debeat: modo enim morbum illum *Ignem* nominant *ſacrum*, *Ignem* modo appellitant *Sancti Antonii h*); aliis ut PLINIO *Zoſter*, HOFFMANNO *Zona* dicitur, dum aliis iterum *Circellum* audit, *Circinum*, *Baltheum*.

Symptomata, quae hominis in hoc morbo alienatas qualitates ſpectant, diverſa adeo ſaepe recenſentur, ut modo eam eruptionem à pectore ad imum ventrem infeſtare medium corpus perpendiculariter, modo Zonam ſpithamam latam dimidium hominem cingentem ſcribant Auctores: &, quod ad curam attinet, Medici ad eryſipelas hanc referentes ſpeciem hic antiphlogiſticam curam adhiberi volunt, & V. S., repetitam etiam quandoque

f) In Eph. N. C. l. ante citato.
g) In collegio Pract. T. 2. pag. 403.
h) ANT. DE HAEN Theſ. Febr. diviſiones ſiſtentes p. 114.

doque ad quartam vicem, neceſſariam judicant; dum alii contra, etſi ad eryſipelas eam etiam quidem referunt, ad putredinem tamen humorum, ex quâ plerumque ſuam originem haec ſortiuntur ſymptomata, atque ad gangraenam, ipſis in puſtulis ſaepius naſcentem, viriumque hic praeſentem prolapſum attenti, potius antiſcorbutica, ſive antiſeptica praeprimis, hic adminiſtranda inculcant *i*).

Quicquid horum omnium ſit, ego morborum tantum, qui unicum latus ſtricte dictum adfligunt, indagatione occupatus, ac ſollicitus parum, quodnam tribuatur illis nomen, modo detur aliqua denominatio, quae morbum, de quo agendi ſcopus eſt, determinat, huic adfectioni ex variis illis nominibus *Ignis Sacri* nomen retinui, per quod igitur cum Cl. ANT. DE HAEN *k*) intelligo febrim, eamque non raro validam, cum dolore in alterutrius abdominis plagâ externa, cui ſe die I°, II°, vel III° ea in plaga adjungunt maculae rubrae, cito in modum grandeſcentes, dolentesque, variolis diſcretis majoribus perſimiles, ſed altiores, & racematim uno in loco ſecum cohaerentes, tum & interſtitia vacua magnaque inter ſe relinquentes.

Videamus jam, quaenam haec ante dicta confirmantia Auctoribus recenſentur ſigna. Doct. van PHELSUM *l*) ex propriis obſervationibus eandem fere definitionem condidit. En ejus verba, quae hic Belgico idiomate

i) Confer hac de re omnino diſſert., quam hoc de morbo conſcripſit doct. MURK VAN PHELSUM in Libro, cujus titulus *Verh. over tot de Genees- en Natuurk. behoorende onderwerpen*, Tom. II. ab initio, ubi tam quoad etymologiam nominis variis auctoribus adhibiti quam quoad alia hunc morbum ſpectantia, varia, eaque utilia, multo labore & ſeveriori cura congeſta reperies.

k) Tract. mox cit. p. 115.

l) Vid. Lib. mox citatum p. 8.

idiomate adponere liceat! „*De kwaal, welke ik thans be-* „*doele, heeft zich aan my doen kennen door geelagtige ge-* „*noegzaam als 't in Kinderen zoo zeer gewoone* Springvuur „(ignis ſacer) *zich vertoonende, doorgaans bruin roode* „*of zelfs blaauwagtige, doorſchynende, dog ſchielyk bree-* „*kende, en hun inhebbend ſcherp vogt uitſtortende, heete* „*en zeer pynelyke, onregelmaatige blaasjes, onder en ron-* „*dom welken de huid hoog rood of blaauwagtig (zelfs by-* „*na zwart) gekleurd is; doorgaans met bruyne of zwarte,* „*uitgeholde, effene korſten opdroogende; meeſten tyd al-* „*leen aan eene der zyden, omtrend de plaatſen der lever* „*of milt (zeldſaamſt egter, zo verre my tot nog toe ge-* „*bleeken is, omtrend den lever) en daar boven, van den* „*maagkolk af tot aan den Ruggraat toe, als een onregel-* „*maatig breeden band zich uitſtrekkende.*"

Quod ſi porro decem obſervationes, quas diſſertationi huic adjunxit, perlegere quis cupiat, hanc rem confirmatam inveniet ulterius.

Nec omittenda ſunt, quae Cl. A. DE HAEN *m*) inſuper hoc de morbo monuit. Apud Batavos ſe frequenter, Viennae ſemel, hanc febrim obſervaſſe ſcribit, & interjectâ definitione, quam noſtram fecimus, ſic pergit: „Perpetuâ lege, quantum numeroſi me caſus docuere, non niſi alterutrum abdominis latus occupant. Ita quidem, ut anteriore parte nunquam lineam albam, nunquam à poſtica ſpinam transcendant. In hac porro diſtantia, inter lineam albam & ſpinam dorſi, ſunt nonnunquam paucae racematim cohaerentium puſtularum inſulae, aliave multa, aliquando etiam ita, ut Zona ſpithamam lata, paucis liberis plagis duntaxat relictis, medium abdomen perfecte cingat." Hiſce praeterea adjungit, ſe ſemel habuiſſe occaſionem Viennae hunc morbum auditoribus demonſtrandi, idque, quod hucusque nunquam ſibi vi-

 dere

m) L. mox cit.

dere contigerat, in ſolâ facie, quae obſervatio ſic ſeſe habet: „Vir odontalgiam paſſus dentem ſibi evelli cu- „rat, unde dolore curabatur quidem, ſed vacuo in ma- „xilla loco moleſtum ſibi aëris conquerebatur ingreſ- „ſum. Hoc totum, quod Anamneſis docebat, quae „tamen, num ſequenti malo faverit, omnino dubito. „Oritur poſt hac ipſi, media in fronte, tuberculum, „triduoque poſt febris horrifica, cum tumore ſiniſtrae „frontis, palpebrarum genaeque ejusdem lateris, tum- „que puſtulae, quales ſupra deſcriptae, omnia loca ex- „acte implentes, ſed ultra mediam faciei lineam mini- „me excurrentes."

Addam nunc trigam obſervationum, quae mecum, dum hanc materiam meditabar, benevole communicatae fuere, quibus quartam, a me ipſo obſervatam, ſuperaddam.

Circa finem anni 1767. in annorum 74. femina Omlandica *Matje Hendriks* dicta, Groningae conſilium quaerente, exanthemata praedicta, dextrum latus occupantia, ex quibus abhinc anno laboraverat & dimidio, obſervavit Clar. meus Praeceptor VAN DOEVEREN. — Incipiebant exanthemata haec medio in pectore, ita ut mamma illius lateris hiſce infeſtaretur; axillam porro occupabant dextram, ejusdemque nominis ſcapulam, ac circa ſpinam ceſſabant dorſi. Malum hoc, quod Belgis *Rooderiem* audit, invaſit foeminam hanc cum febre & phlyctenis, dicta loca occupantibus, dein ſiccatis, doloroſis, prurientibus, furfuraceis. — Pleniorem morbi hiſtoriam notandi occaſionem non praebuit unicum, uti fieri ſolet, de morbo conſilium.

Hac de materie cum animum ad ſcribendum adpuli, ac ea congererem, quae aliis hac de re fuerint obſervata, initio anni 1778. brevi tempore antequam ſtudiorum cauſſâ per *Angliam Galliam*que ſuſcepi peregrinationem, ſequentes per litteras mecum de *Igne ſacro*

praxi

praxi ſuâ confirmatas obſervationes pro ſuâ, quâ utor, amicitiâ benevole communicavit Clar. VAN GEUNS.

„Cum aeſtate praeterita amico, mihique jucundo, apud nos utereris hoſpitio, & interea indicares, te meditantem thema pro diſſertatione inaugurali incidiſſe cogitatione in affectiones morboſas, quae alterum C. H. latus potiſſimum occupant, relinquentes alterum liberum, memini quidem, de *Herpetis vel Eryſipelatis cutanei* illa ſpecie, *quae inde ab umbilico vel abdominis atque etiam thoracis parte anteriori media per alterum latus dispergitur, & ſpinam vel mediam dorſi attingit, absque eo ut medium corporis ſive anterius ſive poſterius fere transcendant*, verba me facere, tanquam à me ſaepius obſervata; ſed cum nunc inſtes ulterius, & ſciſciteris de obſervationibus iſtis meis etiam chartae, tuum in uſum, mandandis, moleſtior aliquo modo es. Non quod haec me vidiſſe frequentius, etiam nunc ſic ſatis in mentem non recurrat, ſed quod ad conſcribenda ea, quae vidi, vix accinctus nunc ſim, propter pleniorum hac de re annotationum defectum. Cujus tamen defectus cum tu rationes ſufficientes reperies in negotiorum multitudine turbisque, quibus *Groningae* medicinam facientem me nimium profecto obrutum fuiſſe & oppreſſum probe nóviſti, excuſabis quidem facile, ſed & aequi bonique conſulere debebis, quae hac de re obſervata minus plene nunc proferam. Quam memoravi *Herpetis vel Eryſipelatis ſpeciem*, Zonam etiam dictam, vel Zoſterem, primum vidi, ante 12. fere annos, in muliere ultra LX. annos nata, habitus pinguis, phlegmatici & cachectici, eruptionibus cutaneis antea quidem expoſitae, ſed levioribus & brevi abeuntibus. Huic nunc, poſt prius perceptum dolorem ardentem, intolerabilem in cute, inde à ſterno per latus ſiniſtrum ad dorſi ſpinam, erumpunt puſtulae confertae, irregulares, aliquae pollicem fere latae, pleraeque minores,

cum ignei ardoris ſenſu quaſi cutem corrodentis. Puſtulae hae occupabant idem illud thoracis latus ſiniſtrum, ſed neque ſternum, neque dorſi ſpinam ſuperſcandebant, ſcapulam autem totam tenebant, imo deſcendebant usque ſuper humeri mediam partem ſiniſtri ejusdem lateris. Phlyctenae iſtae brevi livescebant, plorantes ichorem limpidum, acrem, paucum, puris vix quicquam dantes. Cutis interjacens valde rubebat & calebat. Abiere hae intra octo dies in cruſtas aridas, nigrescentes, fundentes adhuc ichorem, & poſt alios octo dies decidentes totas, relinquentesque foveas latiores in cute. — Hic fuit morbi decurſus. Febris maxime adfuit in principio, deinceps vix notabilis. Rediit autem ad ſanitatem tunc haec mulier. — Tu nunc videris, quatenus cum hiſce conveniant, quae CELSUS de *Herpete ἐσθιομένῳ*, vel potius de *Igne Sacro* tradit *Sect.* 3 & 4. *Cap.* 28. *Lib.* V. quae vitia utraque corpora fere ſeniora tentare ſcribit, aut ea, quae mali habitus ſunt; non tamen memorans illam alterius modo lateris affectionem. Quam tamen non in hac tantum muliere, ſed brevi poſt vidi in ſene, inde ab umbilico ad mediam ſpinam, cui & profundius vorabant ulcera & inducta gangraena cutem adeo lacerabant, ut ferendo non ſufficerent vires. Quem lethalem hujus mali exitum adhuc ante paucos menſes vidiſſe ſuccurrit in Matrona provectae aetatis, cujus cauſſa *Zwollam* arceſcebar, huic enim latiores etiam gangraenoſae plagae cutem, phlyctenis lividis foedam, perederant usque in pinguedinem, nec ſeſe ultra coxendicem ſiniſtram, inde à lumborum vertebris & oſſe ſacro ad umbilicum & pubem extendebant, deſcendentes etiam ſuper femore ſiniſtro. Rectiſſime vero haec mala vocaveris ἐσθιόμενα. Eſt autem in his vitiis frequens denominationum confuſio, qua de re videri meretur SEVERINUS *de abſceſſ.* L. IV. C. IX. §. 11. Neque aliena videtur *Zonae* vel *Zoſteris*

deno

denominatio, quae vitia ſtrictim ad Eryſipelatum ſpecies ab aliis referuntur. Vid. HOFFM. *Med. Syſt. Tom.* IV. *Part.* V. *C.* V. §. 6, 7. tum & *Part.* I. *Sect.* I. *C.* XIII. §. 6. & ſubtilem Noſographum SAUVAG. *Claſſ.* I. *Gen.* VIII. *ſpec.* IV. tandem eximium illum *Chir. rationalis* ſcriptorem PLATNERUM §. 166. & 919. Sed obſervatis meis illud adhuc addendum habebam, idque tuam propius in rem, in octo vel decem hominibus utriusque ſexus, quibus herpetis hoc genus me tractare probe memini, conſtanter obtinuiſſe, ut unum modo corporis latus adfectum fuerit, rariſſime & anterius & poſterius plagas herpetoſas medium corporis transmeaſſe ne vel digiti latitudinem: porro & pectus & abdomen adeo conſtantes hujus mali ſedes eſſe, ut ultra truncum & forte vel humerum vel femur vicinum, non prodire hoc vitium prorſus crediderim, donec his ipſis diebus, urbis noſtrae *Hardervici* Pharmacopoeum curandum nactus ſim, cui caput infeſtavit malum, excepta ſede in ceteris Herpeti prorſus ſimile. Scilicet huic, ſexagenario jam majori, prius cum ardore inſigni & rubore cutis cranii capillata dextri lateris, frontis, & palpebrae oculi dextri, intumuit ſpecie eryſipelatis, mox papulae & puſtulae largiores iis in locis elevantur, quae octiduo in cruſtas aridas, nigras abiere, cum tumoris ſubſidentia, & nunc, cum haec ſcribo, ſolvi ac decidere incipiunt. En verum noſtri mali charactera! quae quum vidi, eo magis etiam me inſtigarunt, ut priſtinas meas obſervationes revocarem, & una cum hac reſponſi loco ad litteras tuas perſcriberem. Sedes mali in hoc optimo viro eſt accurate inde à dextra parte nuchae juxta ſuturae ſagittalis latus dextrum, ſuper medium frontis & oculum dextrum, qui etiam prae tumore in principio occluſus fuit. Omnes praeterea, in quibus hoc malum vidi, fuere homines provectioris aetatis, ſaltem ultra L. annos, excepto

forte

forte (nam obſcure recordor) uno juniore. In omnibus praegreſſa fuerat prava quaedam ſuccorum temperies, major, minor in hoc illove, &c. "

Haec qui paulo curatius conſiderat, percipiet facillime, quam pulcre morborum hiſtorias genuinas conſtituat maſculum illud & naturae convenienter obſervandi ſtudium, & quantum haec cum ante dictis hoc de morbo quadrent hiſtoriis.

Morbi hiſtoria, quam per Litteras eodem fere tempore a me miſit doct. A' ROY, inter Amſtaelodamenſes Practicus nunc egregius, ita ſeſe habet: „ Die 27. Auguſti 1775. vocabar ad matronam quandam, ſexaginta & aliquot annorum, ratione aetatis conſtitutionis ſanae ac nullo notabili morbo debilitatae, quae abhinc tribus quatuorve diebus inſignes in ſiniſtro pectoris latere patiebatur dolores, qui tamen non erant continui, ſed quandoque remittebant, imo nonnunquam plenariam intermiſſionem habebant. Libere reſpirabat aegra, non tuſſiebat, neque in inſpiratione dolores augebantur. Cutis adfectae partis ad adtactum erat ſtricta & calida. Pulſus ſiniſtri lateris durus, fortis & ſimul aliquando nonnihil contractus notabatur. Summas circa praecordia habebat anxietates, & nunc vagis horripulationibus, nunc levi calore totum ipſius corpus continuo ac viciſſim afficiebatur: imo in ſudores facile deducebatur, ſimul ac enim lectum petierat, illi erumpebant, aſt quum ſic dicti dolores intolerabiles evadebant, lectum diutius tenere non poterat. — Lingua erat ſqualida, halitus foetebat, languebat appetitus, ſitis erat magna, alvus adſtricta, faeces nigricantes, foetidae, acerrimae, ingentem quippe ani pruritum ac teneſmum excitantes; urina quoque erat pauca rubra & acris valde.

In cauſſam hujus morbi inquirens, de eadem aegrotam ſedulo interrogavi, vix autem ego aliam detegere, nec illa indicare, potuimus, quam quod in cubiculo, cujus

jus feneſtrae undiquaque, ut äer renovaretur, apertae erant, aliquamdiu remanſerit, indeque perſpiratio fortè impedita fuerit. Caeterum etenim ſanitas ipſius hucusque illaeſa ſemper fuit, nulla unquam incommoda, niſi vagos dolores arthriticos fuit perpeſſa, imo ne vel variolas, nec morbillos, nec alius generis exanthemata habuit. — Abhinc tantum aliquot annis omni aestate in exteriore parte femoris dextri moleſtum valde pruritum ſenſit, qui vero hoc anno non adparuit, ſed ejus loco totius corporis cutis adeo ſenſilis fuit, ut adtactum paulo rudiorem ferre non potuerit. An acris quaedam materies cum perſpiratione inſenſibili exſudari ſolita, hac impedita, retropulſa & ad ſiniſtram pectoris partem delata, ibi dictos dolores jam produxit?

Indicationem feci diapnoicam, aperientem, temperantem ſimulque leniter laxantem, eumque in finem apozema ex Rad. 5. aper. Flor. ſamb. Fol. ſennae, Rheo, Tamarind. cum ſale Polychr. praeſcripſi, cui ſtrictam ac tenuem diaetam adjunxi.

Sequente die inveni dictos dolores pectus ſiniſtrum deſeruiſſe, ſed nunc humerum totumque brachium ejusdem lateris eâdem cum intenſitate occupaſſe, alvum aliquoties moram fuiſſe; caeterum eadem eſſe omnia ſymptomata, unde apozema repetii.

Tertio die omnia adhuc erant eodem in ſtatu; urina majore copia fuerat evacuata, ardens tamen adhuc & flammea; alvinae vero faeces fuerant minus acres & foetidae. — Continuata ſunt eadem remedia. — Mane die 30 redeunti narravit vetula, ſeſe heſterno die poſt receſſum meum leviter febricitaſſe, & poſt febriculam illam, quae horripulationibus praecipue notanda fuerat, innumeras maculas rubras in conſpectum veniſſe. Examinavi haſce, illasque vidi ſane eſſe innumeras, variae magnitudinis (aderant quippe, quae denarium magnitudine ſuperabant) ruberrimas, inque iis plu-

rimas

rimas puſtulas, maximam partem confluentes, rubras, pellucidas, acri quodam liquore repletas, intolerabilemque pruritum excitantes conſpexi. Sed, quod notatu eſt digniſſimum, exanthemata illa nullibi niſi in pectoris ſiniſtra parte ſub axilla, in humero ac toto brachio ejusdem lateris, partibus hiſce ſimul plus minus tumentibus, apparebant. Pulſus nunc erat multo plenior, mollior; calor cutis minus urens; anxietates praecordiorum nullae, & ſitis naturali nequaquam major; uno verbo, multo melius nunc valebat aegrota. Sed querebatur una cum eruptione exanthematum fauces valde dolere cepiſſe, & revera hae inſigniter rubebant: quem in finem itaque gargarisma ex Infuſo Fl. ſambuci cum aceto & melle paratum praeſcripſi, & pariter idem apozema, unde optimos videbam eventus, iteravi. — Puſtulae die 31. inſigniter increverant, aſt non erant adeo rubrae, neque etiam maculae tantopere rubebant, pruritus ſimiliter non erat adeo magnus, & inflammatio faucium erat multum ſedata. Verum querebatur nunc iterum de dolore atroci, pungente ſub axilla dextra, ſimili illi, qui ante aliquot dies exanthematum eruptionem praeceſſerat. — Pulſum hujus lateris tangens inveniebam eum duriorem, velociorem & nonnihil contractum, dum jam in ſiniſtro latere mollior erat pleniorque, ita ut in dextro latere exanthemata nunc eruptura crederem: quare eadem praeſcripſi remedia.

Verum 1 Septembris dolor dextri lateris diſparuerat, & nullum exanthema in illo adparebat, pulſu etiam in hoc brachio nunc rurſus molliore ac pleniore, cum jam denuo ſiniſter pulſus durior & contractus magis tangeretur. Sed heſterno die, circa veſperam, nova iterum aegrotam invaſerat febricula, quaſi ſuppuratoria, nam maculae omnem fere rubedinem nunc amiſerant, imo multum diſparuerant, & plurimae puſtulae non tantum majores, aſt etiam flaviores conſpiciebantur: in pectore

re quoque (ſine dubio per attritum veſtimentorum) jam multae ruptae erant, & materiem ſero tenaciorem ac pure tenuiorem, quodammodo flaveſcentem fundebant. Ruptae puſtulae ſubſidebant, neque ullum amplius pruritum cauſſabant, ita ut aegrota nunc multo tranquillior eſſet, & levem tantum pateretur pruritum ex puſtulis nondum apertis, vel á novis denuo exortis, nam hoc mane novas nonnullas diſcretas puſtulas in facie, auricula, labiis, mento, manu digitisque ſiniſtri lateris conſpiciebam, quas febricula heſterna forte etiam erumpere fecit. — Appetitus jam vigebat, alvus bene reſpondebat, & urina multo minus rubra acrisque emittebatur. — Idem idcirco apozema, ſed ſtrictiori doſi, praeſcripſi.

Sequente die omnia adhuc bene ſuccedebant. Plurimae puſtulae iterum tumidiores ac quaſi maturae erant. Maculae omnes plane evanuerant. Optime ſeſe gerebat mulier, & leve tantum adhuc incommodum ex nondum maturis puſtulis patiebatur. — Continuavi eadem remedia.

Die 3. puſtulas, quae nondum ruptae fuerant, ut in brachio, multum exſiccatas inveni. In pectore autem (ubi maximae omnium fuerunt, piſorum quippe nonnullae magnitudinis) humore, quaſi purulento, ſaltem multo, quam antea ſpiſſiori, heri adeo diſtentae fuerunt, ut collum cumque collo caput flecti vix potuerint. Sed hac nocte (procul dubio per agitationem corporis & attritum veſtimentorum) illae ruptae ſunt, materiemque valde tenacem eructarunt. — Verum querebatur iterum hodie mane de dolore pungente in brachio, pectore et humero ſiniſtris, ſed tantum ſuperficiali, & in cute ſola habente ſedem. — Pulſus hujus lateris quoque durior erat, dum in oppoſito contrarius obſervabatur.

Die 5 & 6 puſtulae ſenſim magis magisque exſiccaban-

bantur, cruſtae decidere incipiebant, & omnia citam promittebant curationem.

Die 7. dolor ille punctorius brachii, pectoris & humeri ſiniſtri, qui 3°. hujus menſis notabatur, plane evanuit, inprimisque imminui cepit, quando adfectae partes cruſtis tegebantur, & tunc etiam ſenſim ceſſavit omnis calor urens, qui, praecipue initio morbi, aegrotam immaniter vexavit. — Pulſus ſic quoque ad naturalem rythmum in ſiniſtro brachio ſenſim rediit, & hodie nulla amplius differentia inter utrumque carpum obſervari poteſt. Cruſtae ſiccatarum puſtularum adhuc continuo decidunt; notandum autem, nullam rubedinem in cute poſt elapſas cruſtas remanere, & nullam ne vel minimam quidem puſtulam in dextra corporis parte adparuiſſe.

Sanatam igitur ſic à morbo ſuo exanthematico feminam hancce judicavi: ſaepe autem poſtea ex illâ, ejusque conſanguineis audivi, in partibus, quae exanthematibus obſeſſae fuerant, ſed praecipue in pectore, tantam ſenſilitatem ſuperſtitem manſiſſe, ut vel minima aëris viciſſitudo, leviſſimaque tempeſtatis mutatio dolorificam valde ſentationem in iisdem ad hoc usque tempus producat.

An itaque morbus hicce, qui certe in decurſu ſuo ſingularis admodum erat, fuit vere varioloſus, quo nunquam antea laboraverat foemina? Ex iis, duae exanthematibus anteceſſerunt, exque iis, quae pnrantibus hiſce, poſtque ea acciderunt vix credibile. An fuit Varicella CULLENII? Eſſent, qui adfirmarent, darentur quoque, qui ad hanc ſententiam non facile ſe deduci ſinerent. "

Me judice (quod tamen pace doct. Viri dixerim) morbum hunc ad *Ignem Sacrum* eſſe referendum, ex loco, quem illi adſignavimus, patere videtur; nec me in hiſce ab juſto tramite deflexum crediderim: hiſtoria etenim

etenim ea ſi cum praecedentibus conferatur, perſpicienti, ni fallor, patebit hunc morbum inter & *Ignem ſacrum* quoad ſymptomata pathologica tantam eſſe convenientiam, ut huic titulo adponendum illum eſſe conſentiat facile.

Ipſe Ego Londini A°. 1778. eundem *Ignem ſacrum* in dextro pectore, brachio et ſcapulae parte ejusdem nominis homini, alio caeterum laboranti morbi genere, videre memini.

Atque exantlato ſic ſecundum ordinem propoſitum labore ad alia nunc procedere poſſem: antequam autem huic operi me accingo, addere adhucdum liceat obſervationes aliquas, ante dictis titulis haud ita commode inſerendas.

§. VII.

Inflammatio ſiniſtri Pulmonis, cum vaſorum tenuis Meningis diſtenſione ac turgescentia ſiniſtri lateris.

Obſervatio Morgagnii eſt *n*): Figulus nimirum in febrem incidit & dolorem ſiniſtri lateris vehementem. In noſocomium exceptus eſt, tum ſanguis ſtatim de ſiniſtro cubito emiſſus. Quarto die febris ſe valde intendit. Sexto delirium accedit vehemens. Pulſus erat frequens, aequabilis: reſpiratio difficilis, nulla expectoratio. Mittitur ſanguis è talo. Poſtridie moritur.

In cadavere praeter alia haec, ad noſtrum ſcopum inprimis inſervientia, inveniuntur: „in recluſi thoracis „cavo dextro omnia ſana, aſt in ſiniſtro multa aqua ſubflava. Apparuerunt per faciem pulmonis ſtrata, qua„ſi fruſta craſſae cujusdam, ut videbatur, membranae „flavae, & facillime lacerabilis, ut, quamvis reticulare „quoddam opus in ſe intextum repraeſentaret, con-

„cre-

n) Lib. I. de S. & C. morb. Epiſt. Anat. Med. VII. Art. II.

„ cretionem eſſe cenſuerim craſſiorum particularum, in „ ea flava aquâ natantium. Erant ejusmodi ampla fru- „ ſta per faciem praeſertim interiorem lobi pulmonis „ interioris, itemque inter lobum & lobum. Lobus au- „ tem is interior durior erat, ferme totus, ſed gravis, „ diſſectusque ex denſa inventus eſt ſubſtantia compa- „ ctus, non pulmonaris, ſed hepaticae ſimili, ut vel me „ tacente, peripneumonia affectum intelligas. "

Ad cerebri denique ſectionem cum fuerit progreſſum, ſequentia, quae nos attinent, inventa ſunt. „ In ſini- „ bus laterali ſiniſtro, & quarto, itemque in primo, & „ in venis aliquot cum hoc communicantibus polypo- „ ſam concretionem albidam, firmam, exilem conſpexi. „ Vaſa autem reliqua, per omnem tenuem meningem „ repentia, etiam qua cerebellum conveſtit, adeo ſan- „ guine diſtenta, ut trunculi turgerent, minimi autem „ ramuli luculenter conſpicui. Haec vero in ſiniſtra dun- „ taxat parte ad hunc modum ſeſe habent, &c.

§. VIII.

Salivatio ſolius dextri lateris.

Singularis haec Clar. CAR. AUG. BERGERI *o*) obſervatio eſt, quae ſic ſeſe obtulit. Studioſus quidam, ut ferales pediculos enecet, unguento utitur mercuriali; inde brevi poſt ſub ingenti & continuo pruritu ardendi apparent magnae rubicundae & elatae papulae ilia, regionem hypogaſtricam & inguinalem obtegentes. Inſtare ipſi ſalivationem pronuntiat hic Medicus, ut ſequenti etiam evenit die, „ Notatu digniſſimum vero, „ & quod (ait) veſtris philyris inſerendum judico, hoc „ erat, quod haec omnia in uno duntaxat latere obſer- „ varentur, capitis dextra pars doleret, dentes utrius- „ que maxillae in dextro latere duntaxat vacillarent, ſa- liva

o) Vid. Commerc. Litt. Noricum Anni 1742. p. 17.

„liva è dextro palati latere proflueret, membrorum „dolor in dextro latere urgeret, ſiniſtro plane intacto „relicto. Poſt quatuordecim dies ptyaliſmus ceſſat, „& aeger ſanitati reſtitutus, ſibi nunc de variis aliis ad-„fectibus v. g. tuſſi ſicca, diuturna, ſimul per hanc cu-„ram mercurialem ſublatis, impenſe gratulatur.“

§. IX.

Tumor brachii ſiniſtri inſignis, una cum tumore & duritie teſticuli lateris ejusdem.

Paucis abhinc ſeptimanis Leidae hunc caſum videre mihi contigit. In puero ſex ſeptemve annorum ſubito admodum, & ſine cognita quadam praegreſſa cauſſâ, enatus fuerat tumor in Brachio ſupra articulum cubiti, qui primum parvus, paulatim increvit ad inſignem magnitudinem, ita quidem, ut circulationem humorum per manum impediens, hanc oedematoſam & ipſius cutis circumferentiam, quâ tumorem tegit, lividam reddat, nigricantem. Cujusnam ſit naturae ille tumor dubium adhuc eſt quam maxime: utrum enim ex oſſis ipſâ luxuriet ſubſtantiâ, an ex ejus ſubnaſcatur perioſteo; vel aliis fontibus utrum proveniat, omnino incertum eſt. Aderat praeterea glandularum axillarium illius lateris, & quae ad venam jugularem ponuntur, intumeſcentia magna. Sed quod in illo caſu, quod obiter tantum quoad noſtrum ſcopum hic adduco, ſingulariſſimum, eſt quod ejusdem lateris Teſticulus durus etiam eſt valdopere, tumeat inſigniter, doleat & duplam ſaltem habeat dimenſionem, dum alterius lateris teſticulus omnino ſanus eſt. Hanc obſervationem eo magis memorandam credidi, cum latus totum dextrum illius pueri perfecte ſanum eſſe, ac labe nulla adflictum hactenus deprehenditur.

§. X.

Nephritidis ſymptomata, e directo caput afficientia, alterutro laborante Rene.

Horum quidem primus, quantum novi, meminit Th. Bartholinus *p*), qui de hiſce ſequentia retulit: „Sed quia circa calculoſos verſamur, miror obſervatam in nonnullis hic Hafniae calculoſis ejusdem lateris hemicraniam, quâ parte renum calculus ſe urinae viis oppoſuit, doloremque fecit. Vidi id apud Amicos duos. An ſero in caput reſtagnanti id imputandum, vel membranarum ejusdem lateris ille ſit conſenſus, non vacat jam expiſcari.“

Inſequitur hunc Baglivius, qui illam obſervationem confirmavit: ſcilicet ſe ſaepius obſervaſſe ſcribit, quod, dum calculus alterum infeſtaret renem, hic in conſenſum quaſi traxerit illius lateris ſyſtema vaſculoſum, ita ut pulſus mutatione in carpo directi lateris, quonam in rene lateret calculus, indicaretur. Nec vaſculoſum tantum ſyſtema de calculo hocce participare, verum & nerveum ſyſtema in conſenſum hic trahi per directum, confirmat, quae de hemicraniâ in nephritide calculoſa alterutrius ſubjunxit lateris: loco eodem haec habet: „Quare ſaepe obſervavi, in calculoſis pulſum manus reni adfecto reſpondentis parvum eſſe depreſſumque, communicata doloroſa oſcillatione contractioneque è renibus ad vaſa è directo. In nephritide quoque, quâ parte eſt calculus, eâdem ſuccedit in capite haemicrania, ut vidi in ſene ad forum Farneſiorum, quâ reſpicit ripam Tyberis *q*).“

§. XI.

Hemizomatis Necroſis.

Memoravit hanc doct. Sal. Theoph. de Me-

za

p) Epiſt. Medic. Cent. IV. Ep. VI. pag. 26. in fine.

q) Oper. omn. p. 335. in fine.

z a in *Actis Societ. Med. Hauniensis r*), ſequentibus verbis: „Ante aliquot menſes occurrit ad me femina è plebe, foetum monſtroſum, ut dicebat, nec antea ſimilem forſan editum oſtendens. Video autem maſculum dimidio corporis latus ad dextrum perfecta Necroſi adfectum, brachium ſcilicet, thoracis dimidium abdominisque, crus pesque totus, quin & ſcroti dimidia pars exſiccata, indurata & nigra, Mumiae ad inſtar, dorſum vero totumque latus ſiniſtrum naturaliter ſe habebant."

Hae ſunt obſervationes, quae mihi occurrerunt: nullatenus dubitanti, quin apud Auctores hinc inde plures notatae ſint: quicunque illas, iisve ſimiles oculo viderit accuratiori & recte perpenderit, humanae noſtrae machinae mirabitur ſane effecta, ac quam forte initio de *Homine duplici* rejecerat opinionem, largietur facilius. At facta haec medica, etſi demonſtrativa ſint, ac de quibus ſermo fuit, convincant, majorem tamen ſortientur certitudinem, ſi, quae ad ſuam ſalutem intendit Natura, Symptomatum activorum genus particulare huic adjiciantur demonſtrationi. Hoc etenim dum ſatagam, patebit, non ita tantum noſtrum eſſe corpus comparatum, ut morbis quandoque ejus dextrum tantum adficiatur vel ſiniſtrum latus; at ita ſimul illius Naturam regere morborum ſolutiones, ut quae dextro in latere nonnunquam particulari morbo adfligantur partes, eodem etiam in latere ſolvantur evacuatione critica, aut, ſiniſtras ſi ingruat malum partes, eodem in ſiniſtro corpore dijudicentur criſibus — Haec ut evincantur, huic Capiti, etſi morbos proprie contineat Dimidii Hominis, nunc addere liceat, qui quandoque eveniat, ut viſcere aliquo in parte dextra vel ſiniſtra adfecto, illius morbi ſolutio producatur per partium rectitudinem.

C 2 §. XII.

r) Vol. I. p. 141. *Haufn.* 1777. in 8vo.

§. XII.

Evacuationes Criticae alterutrius Lateris, inprimis per Nares dextras vel ſiniſtras.

Mirifica ineſt Naturae C. H. materiem morboſam per emunctoria varia expellendi vis, attentis quibusvis Practicis probe nota: videturque & ipſa non ſine delectu quodam, determinatisque motibus, per determinatas alterutrius lateris partes, ſuas excitare evacuationes.

Inter determinatas illas à Natura medicatrice excitatas evacuationes merito prae ceteris illa pertinet, quâ morbos Hepatis & Lienis haemorrhagiâ narium terminari obſervatum eſt, ita quidem, ut, ſi in emolumentum cedat laborantis, adfecto hepate illa proveniat ex nare dextra, lien ſi fuerit obſeſſus morbo, ſiniſtra ex nare prodeat epiſtaxis.

Suos natales haec HIPPOCRATI debet obſervatio, qui ſcribit *s*), „Quae exadverſa & praepoſtere fiunt „ſanguinis eruptiones, malae ſunt, velut in lienis tu„more, ſi ex nare dextra effluat" & alio loco *t*), „In „directum *) laterum dolor, praecordiorum diſtenſio„nes, lienis tumores & ex naribus eruptiones fieri de„bent." — Refert etiam COUS *u*) de Ariſtaei uxoris fratre, quod ſuſpicionem aliquantulum praeberet lienis male adfecti, cum ſcilicet ſanguis ex nare ſiniſtra crebro fluxerit, atque ita ſubinde fuerit judicatus.

Hanc obſervationem practicam clarius adhuc dum propoſuit GALENUS binis in locis, quorum prior *v*) ſequentia continet: „Solvit autem Lienis & Hepatis in„flam-

s) Lib. I. Praedictorum n. 125. p. 78. Ed. Foëſ.

t) Lib. VI. de Morb. Vulg. Sect. II. Aph. X.

*) Quid intelligendum ſit per *directum*, ejusdemque ſignificatus Graecorum vocem *κατ' ἴξιν*, videatur inferius.

u) Epid. Lib. II. Sect. II. p. 1012.

v) Lib. III. de Criſibus Cap. III. Utor Editione cum Indice BRASSAVOLI.

„flammationes ſanguis è naribus profluens, cum haec „viſcera una cum acutis febribus habent inflammatio- „nes. Et omnes, quae in praecordiis fiunt, calidae „atque acutae inflammationes fluxu ſanguinis judican- „tur. Oportet autem per directum fluere ſanguinem, „ex dextra quidem nare, hepate patiente, vel locis in „dextris praecordiis poſitis, ex ſiniſtra autem liene & „locis vicinis.“ — Et, paucis interjectis, criſeos dif- ferentiam adhuc quandam adnotat, utrum ſcilicet de- vexam, an convexam hepatis partem occupet inflamma- tio; ſic enim pergit: „Hepatis vero devexae quidem „partes inflammationem patientes tribus praecipue mo- „dis criſis obediunt, fluxibus ſanguinis è nare dextra, „& ſudoribus bonis, & urinis abundantibus. Conve- „xae autem partes excrementis alvi bilioſis atque ſudo- „ribus, nonnunquam vero & vomitibus.“ — Alter locus *x*) huic dicto majus adſtruit adhuc robur: „Quae- „nam (inquit) ſunt illa, quae ducere oporteat? Nem- „pe quae neque judicantur, neque integre ſunt judi- „cata: haec igitur per quam partem ſint evacuanda do- „cet, duplicem nobis dans intentionem, & ipſam par- „tis naturam & humoris inclinationem. Ad quem „enim locum ex conferentibus vergit, eo ducere con- „venit. Sunt autem evacuationibus conferentia loca, „inteſtina, venter, veſica, uterus, cutis univerſa: ad „haec, palatum & nares, quin vel cerebrum expurga- „mus, vel per profluvium ſanguinis fit excretio: prae- „cipueque ſi κατ' ἴξιν, hoc eſt, per directum ad locum „patientem. Nam quae contra fiunt profluvia ſangui- „nis, mala ſunt.“ Hactenus GALENUS.

Hanc eandem obſervationem poſtmodum memora- runt confirmaruntque Recentiores, inter quos & Nu-

 peri

x) Comm. I. GALENI in HIPP. Sect. I. Aph. XXI. *Quae ducere oportet, quo maxime natura vergit per loca conferentia, eo ducere convenit.* Conferri etiam poteſt Comm. Aph. praeced.

peri recenſendi ſunt Viri Cl. BOERHAVIUS *y*), SWIETENIUS *z*), OOSTERDYKIUS *a*), & ANT. DE HAEN *b*).

Non me fugit, eſſe quosdam, & eos inter forte quodammodo numerari poſſe SWIETENIUM *c*), qui aſſerunt, aut quandoque regulam hanc exceptionem pati, aut poſt detectam circulationem hanc HIPPOCRATIS aliorumque prognoſin non magni eſſe faciendam. Ne concludant (quod illorum pace dixerim) praecipitantius, quam verius: non enim exceptione aliquâ mox regulae generales tollendae ſunt, nec ordinariae Naturae in ſanis aegrisve leges fortuita quâvis aberratione infirmantur *d*); & licet conceſſerimus quandoque hic diverſum tenuiſſe iter Naturam, eorumque ſimul aegrorum proſpexiſſe ſaluti, alia tamen phaenomena HIPPOCRATI, FRANSISCO SOLANE DE LUCQUE

y) De Cogn. & Cur. morb. Aph. 923. num. 4.

z) Comment. ad eundem locum, Tom. III. p. 99. & Tom. II. pag. 462.

a) L. cit. Lib. IV. Morb. Part. Cap. I. §. XII. & Lib. VII. Cap. I. §. VIII. num. 1.

b) Rat. Med. Parte X. pag. 309 & 310. & alio loco T. XI. Cap. I, pag. 6. Ed. Vindeb. ubi loquitur de ſubſidentia tumoris lienis poſt febrim intermittentem, poſt ſubſidentia naris ſiniſtrae haemorrhagiam. Cum his conf. HIPP. Praed. L. I. n. 18.

c) L. cit. Tom. III. p. 101., ubi dicit „Forte tamen quandoque haec regula & exceptionem patitur. Heraclidae conjugi (HIPP. Epid. Lib. VII. Aegrot. 134. CHART. „Tom. IX. p. 599.) febre acuta laboranti, tertia die morbi „ictericae factae, quarto die ſanguis ex nare ſiniſtra probe effluxit, & ſeptima die integre judicata fuit. Verum quidem „eſt, quod huic mulieri & menſtrua ordinatim fluxerint, & „ſimul ſudores toto corpore manantes & criticos habuerit, „adeoque morbi ſolutio ſoli per narem ſiniſtram haemorrhagiae tribui non debeat."

d) Conf. Venerandum Senem, ſummum Pathologum Cl. GAUBIUM in Inſt. Path. Med. §. 892. in fine.

LUGQUE & JACOBO NIHELLIO recenſita docent maxime in natura N. C., ejus legibus, & ſyſtematis vaſorum actionibus, harum excretionum quaerendam eſſe originem. Nimirum HIPPOCRATES *e*) memorat, quod LYCIAE, quae veratri potione ſanata ad extremum ſplenem habuit magnum, cum dolore & febre, vena, quae ad ſplenem eſt in cubito diſtendebatur & plerumque quidem pulſare videbatur *f*). SOLANO DE LUCQUE poſtquam obſervaverat Antiquorum *pulſum dicrotum*, Latinis *bis ferientem* dictum, haemorrhagiarum narium eſſe ſignum, memoravit, ſanguinem ex nare illius lateris, in quo ſecundus ictus evidentior eſt, majori erupturum abundantiâ, ſi ſecundus arteriae ictus in uno carpo evidentior ſit, quam in altero *g*).

NIHELLIUS, qui SOLANIANA experientia incitatus eſt, eaſdem obſervationes continuavit, obſervavitque in homine colore cachectico, febre quotidiana, obſtructis hypochondriis laborante, qui 10 Octobris 1737. tota die lancinanti temporum dolore adfligebatur, cum dextrae naris pruritu exiguam, majorem tamen, quam praegreſſa die, ſanguinis quantitatem naſo

 expul-

e) L. II. Epid. Sect. II. p. 1015.

f) Doct. J. H. RAHN, in egregia & perpulcra diſſertatione *Mirum inter caput & viſcera abdominis commercium* exponente Goettingae 1771. 4o. p. 40, hunc ipſum HIPPOCRAT. locum recenſens, pulſus plenioris & frequentioris meminit, citatque editionem LINDENIANAM: verum nec ex LINDENIANA (Tom. I. p. 693.) nec ex CHARTERIANA (Textu XXIV. Tom. IX. p. 142.), nec ex ipſo textu Graeco (exſtat enim tantum καὶ ἡ φλὲψ ἡ κατὰ σπλῆνα ἐπ' ἀγκῶνι ἐτέτατο, καὶ ἐσφυζε μὴν πολλάκις), niſi diſtenſionem venae pro pleno pulſu intelligere velis, id colligendum autumo.

g) Vid. Ejus novae raraeque Obſerv. circa criſium praedictionem ex pulſu, latinitate donatae à doct. WILH. NOORTWYK Cap. I. §. VIII. p. 4. Hujus obſervationis etiam meminit SWIETENIUS Tom. II. p. 463.

expulſam. Pulſum 13°. dicrotum deprehendens, haemorrhagiam exigua quantitate & ex dextra nare naſcentem vidit, ac horis aliquot elapſis, pulſum explorans ut prius in dextro, quam in ſiniſtro, evidentiorem ſenſit *h*).

Haec nonne dictis meis robur addunt? videtur. Sed objicient forte illorum adverſarii, nihil hic allata probare exempla, cum & SOLANO *i*), & NIHELLIUS *k*), quandoque pulſum hunc in praedicendis narium haemorrhagiis fefelliſſe arguant. Largior hoc lubenter, dum tamen non ſequitur, id, quod hic tantum innuo, inde deſtructum iri: nimirum ex ante dictis manifeſtum eſſe, *in toto genere vaſculoſo illius lateris, in quo haeret vitium, mutationes poſſe oriri, quae non ita obſervantur in altero.* Hoc omne eſt, quod volui & ex hiſce certum habeo.

CAP. II.

EXPOSITARUM OBSERVATIONUM HARUMQUE PHAENOMENORUM CAUSSAS INDAGANS.

§. I.

Explicationis cauſſarum Difficultas.

„Res eſt minus explorata, quo modo, cum ſanguis „aequali conatu, certe ſine ullo delectu, totum „corpus ſingulasque ejus partes diluvio riget ſuo, ta-„men

h) Alio loco (ibid. p. 118 & p. 122.) differentiae pulſus dicroti, quem *Martinellum* dixit AVICENNA, in alterutro carpo memorantur, absque tamen ut additum fuerit, num unica ex nare, aut ex quanam proripuerit ſanguis.

i) Ibid. p. 10.

k) Ibid. p. 53 & 64.

„men in nonnullis duntaxat ſanguinis vitium redundet, „idque tam exacta intervalli locique diviſione, ut non „facile ratio diduci tam juſtae proportionis poſſit *l*). “

Explicandae unius Lateris morbos difficultatis generale (ſi haec enunciata hic ita dicere liceat *m*)) judicium ut ſuis, quae obſervationibus addidit, ratiociniis *n*), ita, quae alii & ſuis adpoſuerunt, in genere demonſtrant explicationes *o*). Nec vitio etiam hoc adeo vertendum eſt: cum etenim quivis tantum ſuas, quas aut ipſe viderat, aut ſparſim hinc inde collegerat, ediderit obſervationes, nec facta haberet, quibus concluderet,

l) Etſi PECHLINI dicta (Obſerv. Phyſico-Medic. Lib. II. obſerv. 54. p. 341.) introductionis inſtar hic adduxerim, ne tamen huic ſententiae me totum quantum addictum credat Lector: abſit hoc quam maxime; patebitque inferius, me contra ſtatuiſſe quam ſeveriſſime *aequali conatu ſanguinem, aut ſine ullo delectu*, non *ita diluvio rigare totum corpus partesque ſingulas*, verum in diſtributione, ut ita dicam, humorum inaequali, à Syſtematis Vaſculoſi actione derivandâ, Cauſſarum unam eſſe repetendam claſſem, ex quibus Morbi unius Lateris profluunt.

m) Subjungit enim, „Poteſt quidem ab aequa nervorum „in utrumque latus diviſione alterius & dimidiatae partis vi„tium oriri, ſi unum latus convellatur, ſed á ſanguine eodem „paſſim impetu per venas delato, quis eſt qui rara illa & ſin„gularia unius lateris phaenomena deducere ſe poſſe confi„dat? “ — Haec ſi quem offendant, excuſet quaeſo, quum quo fuerit dictum ſcopo inveniet quivis perſpiciens. — Et quod hic veniam etiam meam facit, eſt, quod nec in ipſis nervorum adfectionibus illam ipſam nervorum in utrumque latus aequam diviſionem ſymptomatis explicandis ſufficientem declaret: afferit enim inferius. „Nunc etiam corporis dimidiati „tremores muſculorumque unius lateris palpitationes quis non „cum ſtupore advertat? “ Et paullo poſt. „Notum eſt haemiple„giae ſymptoma. Laborat ibi unicum & dimidiatum corpo„ris latus ad perpendiculum, nervorum mechanico adfectu „prodigium moderante, quamvis neque ibi omnia explicata „ſatis. “

n) Vid. hujus Cap. §. inſequentem.

o) Ibidem.

nec materiae ubertatem, ſufficientia, nec H. C. denique leges variâ temporum, quâ hae prodiere obſervationes, periodo examuſſim ita eſſent cognitae, quâ nunc gaudemus, ſcientiâ, haud illud ita exſpectari poterat. Et hanc operam (quod hic initio monuiſſe liceat) etſi in me ſuſceperim, etſi, quantumpote, quae hac de re invenerim, ordine redegerim juſto, ac praeterea explicandi rationes & media, quae ſubolfecerunt Auctores nonnulli (ut ex recenſione, & noſtrae, poſtea his de phaenomenis exhibendae, explicationis patebit comparatione) in meos adhibuerim uſus, ne putetis quaeſo Legentes, me horum omnium interpretationem concinnaturum teretem, rotundam, omnibusque appoſiturum numeris abſolutam. — Interpretationem horum, in quâ nihil non exaequatum inveniatur, datum iri unquam, ego quidem, ut aſpere doleo, ſic vehementer dubito: hinc Conjecturas tantum proponam: ſed veniet forte dies, quae his dubiis lucem addet majorem, haecque pandet luculentius.

§. II.

Variorum Auctorum explicationes affectionum dimidii Hominis memorantur.

Ut autem, quae de rationum explicandorum phaenomenωn defectu mox diſſeruimus, probemus quodammodo amplius, praemittamus prius, juxta ordinem praepoſitum (Cap. I.), quasnam ſuis obſervationibus, ad leges C. N. functionum componendis, attulerint rationes.

Icteri dimidiati *p*) cauſſam forte ſic rimandam, etſi difficillimum putet, quando idem flavum ſerum non minus circumibat per ſiniſtrum latus, quam per dextrum, aſſeruit MORGAGNIUS, ſi credas, per laxiores hujus fibras (etenim hemiplecticum erat idem latus) lentius promotum magis inficere potuiſſe laticem ſanguineum, bilioſa tinctum flavedine. Poſt

p) Vid. Cap. I. §. II.

Poſt adjectam obſervationem de ſudore unius lateris, quam attulit SCHMIDIUS q), non quidem illum caſum directe explicat, verum problematice proponit, „Utrum partes ſiniſtri lateris pluribus ac majoribns vaſis lymphaticis, vel ſpeciali prae reliquis conformatione; an vero cutis in ea corporis parte ſpeciali pororum diſpoſitione & ſtructurâ à primo ortu ita facta gaudeat, & pluribus glandulis ſubcutaneis, majorem ſeri copiam recipientibus & emittentibus? vel an Archaeus partium ſiniſtri lateris alacrior & robuſtior ſit, e contra dextri vero lateris partium torpidior ac debilior non niſi à ſpiritu ſeminali excitatus excrementum ſerorum expellere tentet? Auctoribus Naturae myſtis expendendum relinquo. "

Primae obſervationi, quam ex Eph. N. C. recenſuimus r), quoad ejus cauſſam addidit ROMMELIUS ſequentia: „Forſan pori illius lateris, cui incumbit (ſupina jacere illi moleſtum) ob molem reliqui corporis ſuperjacientis arctius conſtringuntur & canaliculi, quibus latex ſeroſus continetur, & glandulae ſubcutaneae ab incumbente onere viſcerum, viaque praecluditur, quo minus ſeroſitas in iis contenta ad- & effluere poſſit. "

Suae de frigore obſervationi s) haec praepoſuit PECHLINUS: „De frigoris caloriſque ſenſu res paulo impeditior: niſi enim hic quoque nervorum diviſione ſuccurras, haud facile adparet, quomodo frigus, quod ſanguinis alias ingenium ſequi videtur, dimidiatum corporis latus, veluti ad amuſſim occupare, diſtinguereque perpendiculariter poſſet. "

Poſtquam HARTMANNUS t) ſui ipſius corporis obſervationi explicandae haud ſufficere & inſervire poſſe aëris

q) Vid. Ibid. §. III.
r) Ibid. pag. 8.
s) Vid. Ibid. pag. 9.
t) Vid. Ibid. pag. 10.

aëris illum ambientis qualitates, nec eo conferre ſuorum humorum *u*) viscoſitates, perſpexerat, illam explicationem in ſecretoriorum vaſorum debilitate, & ipſi juncta laxitate illius lateris, quaeſivit *v*), atque illud proprie eſſe, quo hi effectus contingant, conjicere credidit, quum lateris illius capitis dolores, oculorum hebetudines, adfectiones gravedinoſas, quin imo mitiores paralyſes & rheumatismos pateretur, ſi forte in his vaſis obſtructio & ſpiraculorum cutis occluſio accideret, quae quam facile fieri poſſit, non eſt quod adſtruemus *w*).

Pechlinus, poſtquam variolarum unius lateris fecerat mentionem *x*), haec quoad explicationem ſubjungit: „An forte negligentior unius partis cura & „obvium frigus materiam repulerit inque alteram par„tem, magis vel lecti aut motus occaſione calentem, „conjecerit, non de nihilo dixeris. "

Quoad Ignis Sacri, cujus antea obſervationes dedimus varias *y*), cauſſarum indaginem, nihil determinati Auctoribus hic relictum video. Cl. Haenium ſi conſulamus *z*), nil certe hic invenimus, dicit enim tantum: „Mirabitur forte quis poſt univerſalem febrim „Naturam uno tantum corporis in latere exanthemata „producentem; ſed quod hic, id alibi frequenter facit. „Febris univerſalis praegreditur, & ad unam parotidem, ad unam coxam, ad unum brachium pedemve „tota vis morbi, ejusque materies, defertur. In univerſali ſcorbuto uno in crure ulcus, imo foticulus, liberat aliquoties totum fere corpus. Et omnes illae „criſes κατ' ἴξιν Veteribus dictae quid aliud denotent? "

Nec

u) Diſſert. Ejus ante cit. §. XXI. & XXII.
v) Ibidem §. XXIV.
w) Ibid. §. XXVI.
x) Vid. n. Cap. I. §. V. p. 14.
y) Vid. Ibid. §. VI.
z) L. ante cit. pag. 118.

Nec majoris ſunt momenti, quae eâdem de materia protulit laudatus ante doct. VAN PHELSUM *a*) quin imo ingenue quaenam, cur haec eruptio plerumque dimidium truncum vel dimidium pectus occupet, ratio ſit, adhucdum ſe neſcire fatetur. Forte dicit, quod haec adfectio ſe plerumque in diaphragmatis regione ad unum latus ſe conſpiciendam prodat, ratio quaerenda erit in violenta repulſione materiae, cum nempe frigoris adfectiones graviores, aut aliud perſpirationem prohibens remedium, primum aut plurimum in hanc partem aeſtuati ſic corporis inciderit, cum hoc latus frigidae ſe expoſuerit aurae: quippe inter ceteras N. C. partes tectas, ea, quae ſupra inguina eſt, minus tecta cuſtoditur.

De diſtenſionis vaſorum cerebri unius lateris è directo pulmonis adfecti *b*) explicatione haec addidit MORGAGNIUS *c*): „Exemplo haud ſcio an ab aliis adnotato, ſed tamen fortaſſe non diſſimili ratione explicando, ac major in ea mala rubor, quae vitiato ab eodem latere pulmoni reſpondet, aliaque ejusmodi, „quae κατ' ἴξιν fiunt, ut HIPP, loquuntur interpretes & in his DURETUS, ubi illius exponit locum: „*quibus peripneumonicis tota lingua fit alba & aſpera, „pulmonis ambae partes inflammantur; quibus autem dimidia tantum, illa pars quae ſpectatur.* Illa autem explicandi ratio, etſi tam difficilis & retruſa, aut certe, „ſi ad nervos etiam confugias, ambigua ſit, quam ex „eorum ſcriptis, qui eam cum antea, tum aetate hac „noſtrâ excogitare conati ſunt, proclive eſt exiſtimare, „nonnunquam tamen aliquanto minus difficultatis habere poteſt, velut hic, ſi illam pulmonis ſiniſtri ſupremam parte non ſolum duritie ſua antiquâ, ſed nova „addita, tum à ſpumoſo ſero turgentia, tum à pleura, „ad-

a) Ante cit. Tract. p. 51.
b) Vid. Cap. I. §. VII.
c) L. C. art. XII.

„ibi craſſiore facta, compreſſione, nonnihil urgere po-
„tuiſſe opinemur ſiniſtram ſubclaviam venam, &, quod
„conſequitur, reditum ſanguinis à parte capitis ſiniſtrâ,
„quae praeterea infirmior quam dextera creditur, re-
„morari."

De ſalivatione dimidii hominis ejusque ſignorum cauſſa nihil memorat BERGIUS *d*), verum aliis id explicandum relinquit: „Problematis (inquit) loco hic „eſſe poſſet, quum venae bibulae cutis utriusque late-„ris hauſerint mercurium, per quem mechaniſmum hy-„dragyrum in vaſis arterioſis dextri lateris collectum & „coacervatum fuerit?"

De aliis obſervationibus, quas §. X. & XI. Cap, I. dedimus, aut nullas aut futiles cauſſas invenimus, aut quas ipſi §. X. jam adjecimus.

Verbo nunc adhucdum notemus, quid de criſibus Naturae è directo lateris adfecti, quod earum cauſſas attinet, produxerint Medici, ut Veteres ſic Hodierni.

Vetuſta factorum adnotatio, cui inprimis, quas ante recenſuimus *e*), de ſanguinis profluviis *κατ' ἰυθυωρίαν* (ſic etenim & appellabantur) debemus, in id potius, quod praeſentes obſerebant caſus, adnotando, quam explicando fuit verſata: cum enim HIPPOCRATEM pervolvimus, perlegimusque GALENUM, aliosve, qui forte eadem protulerunt, factum utique agnoſcere, conſtantem ſe fere ſemper hic obſervaſſe agentis Naturae modum, felicemque ex eorum eruptione, ſi per directum fierent, infelicem, ſi contra, fuiſſe, nihil autem de hiſce quoad explicationem memoriae tradidiſſe, comperimus. Nec iis hoc vitio adeo vertendum autumo: his etenim temporibus, quibus tot novis in omnibus ſcientiis gaudemus, quibus tot & tantis inventis ſuperbit Ars Medica, quibus tantos Anatomicos WINS-

LO-

d) Vid. Cap. I. §. VIII.
e) Vid. §. ultimum Cap. I.

LOVIOS, ALBINOS, HALLEROS, MECKELIOS, CAMPEROS, atque in aliis Medicinae partibus Viros tam eximios vixiſſe, & adhucdum vivere, gloriamur, merito inexhauſtam adhucdum, dixerim fere intactam, horum phaenomenorum (licet recentior aetas, ſuis etiam obſervationibus ſupra adductis confirmaverit factum) explicationem dolemus aſpere. — Unicus SWIETENIUS *f*), qui hic anteſignanus eſt, latius quodammodo, ut in aliis, hanc materiam pertractavit, verum omnibus penſitatis, *ex cognitâ hactenus corporis fabricâ non adeo patere omnium horum rationem*, concludit. — Idem aſſeruit RAHNIUS *g*); eadem tradiderunt alii. — Et vereor ſane quam maxime, ut hanc per N. C. fabricam, quatenus oculo ſe noſtro ejus praebet craſſior ſtructura, rimemur unquam: in auxilium enim cum ſanguifera vaſa, quatenus in C. N. ſunt diſpoſita, ſi vocemus, nihil hic proficimus, cum nulla ex ipſius hepatis vel lienis ſubſtantia progerminent vaſa directam cum naribus indicantia communicationem: nec plus profecerit quis, qui nervorum ab ἐνεϱγείᾳ deducere hoc mallet, cum ſatis ſuperque cognitum ſit, plexus nervorum hepaticos, aliosque ramos, ita ſibi intertextos eſſe, ut ex dextra aeque atque ſiniſtra parte in ſiniſtrum ſaepius ac dextrum terminentur latus, illaque pervagentur indiſcriminatim. — Hac itaque in re ſi quid ſapere velimus, ad alias N. C. actiones, & hinc repetenda effecta, advertendum erit, & quantum hae lucis his adfundere poſſint in explicatione noſtrâ omnium unius lateris phaenomenorum videatur infra.

Atque haec ſunt, quae de hiſce phaenomenis invenerim Auctoribus recenſitas explicationes, & in hiſce nunc ſubſiſtere liceat: etenim in tradenda horum phaenomenorum explicatione, ad quam nunc tranſeo, patebit qui-

f) Loco ante cit.
g) Diſſert. ante cit. p. 39. & 40.

quidem, alios Auctores adhuc fuiſſe, qui paſſim de hiſce phaenomenis aut referendis aut explicandis egerunt locis variis, verum cum poſtea haec recenſebuntur neceſſario, non ut nunc praemittantur, tuncque repetantur, neceſſe duxi: ſuo itaque & convenienti loco horum fiet mentio juſta.

§. III.

Quaenam Momenta in explicatione Cauſſarum affectionum alterutrius Lateris conſideranda ſint, proponitur.

Omnibus, qui N. C. ut Medici aut Philoſophi conſpexerunt, in confeſſo eſt, in omnium Cauſſarum ſive ſtatus ſani, ſive morboſi indagine duo potiſſimum reſpicienda eſſe; nimirum hunc praeciſe effectum oriri & non alium, *quia quaedam in N. C. partes ſunt, quae eodem modo, atque aliae humano artificio conſtructae machinae, mechanica ratione agunt, patiunturve; ineſſe praeterea N. C. ſi vivens conſideretur, alias facultates, ſua effecta ibidem producentes, non tamen ita à ſolidorum fluidorumve actione mechanicâ, quam quidem à vi vitali inſitâ, ſuas etiam leges,* (utinam modo ſaluti hominum explicitae magis!) *ſequentes, repetenda.*

Haec igitur, quae veriſſima ſunt, iis fundamentum praebere debent, quibus phaenomenorum unius lateris adfectionum, praeprimis ſi huic contribuere naturalem à Naturâ N. C. bipartionem non omittatur, ſuperſtruenda eſt explicatio: & hoc ut quodammodo intelligatur plenius, monendum eſt, me quidem eâ verſari in opinione, ut 1°. nonnullae unius lateris adfectiones (quae Capite praecedenti pertractantur) dependeant quandoque à Cauſſis Mechanicis ſolis, ita diſpoſitis, ut neceſſitate mechanica in unum modo producant latus adfectiones: alias 2° eſſe, quae à dynamica Vaſorum actione repetendae ſunt: 3°. ſuos quandoque producere unius lateris morbos Syſtemata Nervoſum, 4°. &

S. Lym-

S. Lymphaticum, 5°. denique magnam hic mereri attentionem Textum Cellulosum, ut totum corpus permeantem, ſic praeprimis, & quod ad noſtram rem magis ſpectat, obtegentem illius ſuperficiem una cum ejus partibus, quae cutis nomine veniunt. Quod ſi his titulis explicationem horum phaenomenorum niti aſſeram, & mox probare alloboraturus ſim, ſicque haec phoenomena generaliter legibus C. H. mechanicis & dynamicis produci ſtatuam; non ita tamen haec res concipienda eſt, ac ſi quodque harum partium ſyſtema adfectum privos tantum & ſibi proprios unius lateris produceret morbos. Abeſt hoc quam maxime: connubium in hiſce legibus partibusque datur, ut toto in corpore, ſic particularibus etiam hiſce in morbis, inſigne, quo fit, ut variae leges, omniumque ſyſtematum effectus, non tantum fere ſemper conſpirent, ut talem producere poſſint morbum, verum ſine tali connubio nihil quicquam in genere valerent ſingulae. Quod ut pateat, quid quaevis lex, quidque quodvis particulare ſyſtema his contribuat videamus primum, inquiſituri poſtmodum, quantum conſenſus omnium ſyſtematum, viriumque dynamicarum & mechanicarum connexio & conſociatio hic adferat praeſidii.

Hiſce igitur praemiſſis, ad rem ipſam propius accedamus.

§. IV.

Quid Cauſſae Mechanicae ad morbos unius Lateris contribuant, inquiritur?

Quamdiu & quoties ſanguis ex utriusque cordis cavitate in arterias utriusque lateris N. C. per omnem ambitum quaquaverſum premitur, aequabilique motu dispergitur, atque in utrumque latus ſimiles offendit actiones reactionesque; tamdiu totiesque (nullâ nunc habitâ ratione actionis vaſorum) aequalis per utrum-

que, ut ita dicam, corpus, diſtribuitur ſanguinis menſura: at ſi idem ille ſanguis cordi expulſus in uno latere, ſive totum illud corporis ſit, ſive alicujus partis, reſiſtentias oſtendat, vel arterioſo ſyſtemate libero, per venoſum rediens obſtacula inveniat, quibus, quo minus in cor redeat, impeditur; neceſſario inde ſequi debet, ut ſanguinis inde determinata turbetur proportio, retineatur, quae reditura erat, ſanguinis quantitas, & aliorſum ruere, quam oportet, cogatur ſanguinei laticis pars aliqua. — Hoc fieri quandoque, & inde produci unius lateris morbos, probant, ut credo, quas antea *h*) peripneumoniae, haemoptoae, vomicae, phthiſi, pulmonum tuberculis adeſſe notavimus ex variis Auctoribus, notaruntque HIPPOCRATES & MORGAGNIUS, ſymptomata. Et haec ſi praemittamus, horum phaenomenorum explicatio haud ita difficilis aeſtimanda eſt: etenim his in effectibus, ſi gena alterutra conſpiciatur rubra, alterutro patiente pulmone; alba vel rubra ſi fuerit lingua dimidia è directo pulmonis adfecti; vel denique alterutrum ſi fuerit inflammatum cerebri hemiſphaerium, cum ſuis adjectis partibus, ex inflammatione unius è directo poſiti pulmonis, illud ego quidem exinde repetendum autumo, quod pulmonis inflammatione nata ſit obſtructio, illaque impediatur ſanguis quo minus per alteram venam jugularem deſcendere poſſit, qui impeditus, majorique copia ſic collectus, neceſſario vaſorum turgeſcentiam, coloris transparitionem intenſiorem & rubicundiorem, praeprimis ſi acrimonia hiſce ſe adjungat, ut in phthiſi & aliis frequens eſt, ſecum fert comitem.

Atque hac data explicatione patet, quantum haec MORGAGNII dictis *i*) conveniant, quantumque ex illis in noſtros uſus hic tranſtulerimus.

Hanc

h) Vid. Cap. I. §. I & §. VII.
i) Vid. hujus Cap. §. II. pag. 44.

Hanc aequabilem ſanguinis diſtributionem turbari, & hinc unius lateris morboſam diſpoſitionem poſſe produci, aliis adhucdum cauſſis mechanicis, ego quidem ſuſpicor. Scilicet, ut diximus, quamdiu aequabilis quantitas ſanguinis unicuique corporis parti diſtribuitur, omnia juxta rythmum procedunt naturalem; verum, ut hoc fiat, requiritur in unoquoque latere, ut canalium eadem ſit amplitudo, vaſorum eadem capacitas, idem eorum numerus; requiritur inſuper, ut ipſa vaſorum cohaeſio in uno & altero latere eadem ſit, eadem elaſticitas, atque ambientium, ut muſculorum, tunicae cellulosae cum ſuâ cute, eadem in illa actio: at vero in uno latere corporis ampliores poſſe eſſe canales, eorum numerum eſſe majorem, quam in altero in aliquo individuo, quid eſt quo minus credamus *k*)? quae obſunt praeterea, quo minus vaſorum conhaeſionem & elaſticitatem (quocunque id fiat modo) & ambientium texturam in uno latere minorem eſſe poſſe, quam in altero, aſſumatur? quae denique impediunt, quo minus praeternaturalibus flexionibus, & vaſorum curvaturis, interturbetur motorum humorum aequabilitas in uno vel in altero latere? Et haec ſi aſſumantur, ſi in quovis latere haec diſparia ſint, his ſi aequilibrium deſtruatur, nonne totidem fontes ſunt morborum ac cauſſae praediſponentes, quibus unius lateris morbos explicare poſſe crederes? Nec fundamento hoc adeo carere

D 2 aut

k) Obſervari quandoque duas arterias brachiales, duas radicales, alias, non eſt quod Medicis in Anatomia vel parum verſatis inculcemus. Et hoc ſi fieri poſſit, & fiat in nonnullis individuis, quidni quandoque, dum conſpici illud tantum in vaſis maioribus queat, illud etiam in nonnullorum individuorum minoribus ramis fieri poſſet? Nullus video, cur non ita ratiocinari liceret; Natura enim in omni ſingulari varietate diſſimilis eſſe, & vere individua, ſolet. Scrutandum eſt in ſingulis, inque ipſis individuis, & quod de individuis verum, valere facile poteſt de reliquis, & vice converſa.

aut ratione deſtitutum eſſe, probant nonnullae obſervationum, quas ante dedimus *l*), ſuadentque nonnullorum Auctorum rationes & explicationes, quibus particulares illos á ſe obſervatos caſus adſtruere tentaverunt *m*).

Haec licet ſpeciem veritatis quandam mihi habere videantur, non tamen dico, quod ex his ſolis cauſſis repeti poſſint phaenomena, quae hic expoſita dedimus: accedere iis inſuper connubium illud cauſſarum & legum mechanicarum & dynamicarum, de quibus agetur §. IX., ego quidem crediderim, tuncque ſimul obſervatum iri mihi perſuaſum habeo, unum & alterum ſi conjungatur, non ita longe à veritate abeſſe, quae nunc de cauſſis hiſce mechanicis adduximus; imo iis majus additum iri robur confido.

Quae de ſyſtemate arterioſo & venoſo diximus, eadem & de S. lymphatico intelligi velim, caeteris paribus: huic enim ſuam functionem privam peragenti ſi ſimilia acciderent, turbae inde neceſſario in uno latere accidere deberent, quae nullum haberent commercium cum adfectionibus, quae ex viribus ejus inſitis provenire poſſunt, ut poſtmodum videbimus. — His abſolutis ad momentoſas magis, & plus ad unius lateris morbos producendos conferentes cauſſas tanseo.

§. V.

Quantum hic ſuam ſymbolam conferat Syſtema Vaſculoſum vi proprie dynamicâ, diſpicitur.

Arterioſum Venoſumque Syſtema vi gaudere propriâ irritabili, hacque ſuos motus impertire ſanguini, ei

l) Vid. obſerv. Icteri dimidiati Cap. I. §. II. et obſ. Sudoris HARTMANNI, Cap. I. §. III. pag. 10. & alias ſupra memoratas.

m) Vid. explicationem, quam dedit de Ictero MORGAGNIUS, & de ſuo Sudore HARTMANNUS, Cap. II. pag. 41 & ibid. §. II. pag. 42.

ei directionem, vim celeritatemque variam diverſis in partibus conciliare, utut negatum Viris etiam praeclaris n), hodie tot experimentis, de induſtria eum in finem à Cl. VAN DOEVEREN o), VAN GEUNS p), Doct. VAN DEN BOS q), BIKKER r), DENNISON s), & qui hic quaſi Auctor claſſicus eſt VERSCHUIR t), aliisque inſtitutis, totque factis medicis & obſervationibus practicis, ſine hac virtute haud facile intelligendis, comprobatum eſt, ut inter axiomata medica hanc referre veritatem nullus dubitaverim.

Comprobant nempe illa quam ſtrictiſſime, in ſanitate ex hac vi repetendum eſſe, quod quaevis N. C. pars, privae ſuae functioni deſtinata, demenſam conſequatur ſanguinis quantitatem; quod hac vaſorum actione ſuum paret ſuccum, ſuos ſecernat excernatque humores quodvis organon; verbo, quod hac vi particularis humorum fiat diſtributio juxta leges C. N. impreſſas, dum arteriis, miniſtris quaſi nominandis, tantum laticem ſuum ſuppeditet cor, dominus. — Verum eadem; ut in ſanitate haec demonſtrant luculentiſſime,

 ſic

n) Vid. §. XV. §. XXIII. & §. XXXV. aliisque in locis mox allegandam perpulcram Diſſert. Doct. VERSCHUIR, nunc inter Amſtaelodamenſes Practici inſignis.

o) In Spec. Obſ. Acad. Cap. XIV. ut & in Diſſert. Clar. VAN GEUNS & Doct. VERSCHUIR mox citandis.

p) Diſſert. *De eo quod Vitam conſtituit in corpore animali*, Groning. 1758. ed. & nunc inſerta Theſ. Diſſert. Cl. SANDIFORTII Tom. III.

q) Diſſert. de Solidis H. C. vivis, L. B. 1756.

r) Diſſert. de Naturâ Hum. quae Medicorum eſt, L. B. 1756.

s) Diſſert. de Arteriarum omnium & Venarum part. irritabilitate, Edinb. 1775.

t) Diſſ. de Arteriarum & Venarum vi irritabili &c. Groningae 1765. Ed. per omnem ambitum: cum qua omnino conferantur W. HEWSON'S Experimental. Inq. the 2d. Part. in not. p. 13. & W. CULLEN Inſt. Phyſiol. §. 159.

ſic non minus in morbis declarant, ab hac, & quidem ab hac ſolâ, vi revocandum eſſe, quicquid, quoad ſanguinis curſum, in morbis ſit abnorme. Tota fere hoc nititur congeſtionum doctrina & ſanguinis in febre inaequalis diſtributio; pendent inde criſeos molimina, haemorrhagiae activae, multa alia, quibus praeſentem materiam peccantem eliminare, ac foras expellere, tentat Natura, ſic ut dubites, utrum validiora habeat haec inſtrumenta, & an alia, praeter vaſorum actionem, quà ſanitatis deſtructioni obniti quovis modo intendit. — Haec, & multa alia, quae optime enucleata ſunt a Doct. VERSCHUIR *u*), mihi de unius lateris morbis meditanti anſam dedere cogitandi, an non huic vaſorum virtuti activae pro maximâ parte hae apparitiones adſcribendae forent? — Et cum febrim topicam occupare non raro corporis partes ſingulares SWIETENIO, HAENIO, aliisque obſervatum ſit; cum hanc febrim Virginis alterutrum crus tremiſcere, dein caleſcere & ſudare, reliquo corpore integro, adnotatum inveniam *v*); cumque porro mecum reputem, haemorrhagiam narium ſiſti quandoque ſola immiſſione manus in frigidam *w*); & ad diverſitatem, quam pulſum habere in variâ N. C. parte, vel in utroque carpo (uti ex ante allatis obſervationibus patuit *x*), aliaque innumera, hac in re obſervata, attendam animum; convictum me plane ſenſi, ex hac ſolâ fere actione repetendos eſſe unius lateris

u) De his enim prae ceteris egit in Diſſertatione memorata.

v) Medical Eſſ. Tom. I. p. 295, 296. & Tom. II. p. 302. nec non Doct. DENNISON in Diſſert. cit.

w) Vid. Doct. BIKKER. l. cit. p. 46.

x) Vid. Cap. I. §. X. & §. XII. praeprimis pag. 36. & 37. His addi adhucdum poteſt, quod pulſus diverſitatem invenerit è directo in carpo hominum pleuritide laborantium BAGLIVIUS; diſertis enim inquit verbis (loco ante cit.) „Et in „Pleuritide pulſus ex parte lateris adfecti, in quo eſt centrum „oſcillationis inflammatoriae, depreſſus magis obſervatur, „quam ex parte ſani; "

lateris morbos, ſi modo per dimidiam totius corporis, aut determinatam illius dimidii partem, ſeſe exſerat vis haec vaſis inſita: neque alio ex principio deduci poſſe puto, quas de criſi in adfecto latere obſervationes ſcriptis prodiderunt Medici.

Quod ut quodammodo enucleatius concipiatur, rogare liceat, quaenam quaeſo obeſſe poſſent rationes, quae dicta haec abdicarent. Vaſorum partitionem in dextrum & ſiniſtrum latus ſi compararemus aequalem; illaque vi quaſi propriâ, à cauſſis non ita facile determinandis, quovis in latere gaudentia ſtatuamus; quidni vaſorum illam unius lateris ſeriem ſpasmo, aut defectu irritabilitatis, & in nonnullis caſibus particularibus ramos vaſorum capillarium, quae per cutem diſpergun-tur, ipſa morte adfectos poneremus, ſic ut in uno caſu inde producatur congeſtio ad aliud latus, vel materiae ſtagnatio in illo latere, prout hoc vel illud locum habeat? & quidni porro exinde deduceremus, hac ipſâ unius lateris adfectione oriri effecta, quae quidem vaſorum vi oriri conjicere poſſimus, neutiquam autem, cur ita fiant, mathematice determinare queamus?

Hanc Vaſorum actionem in utroque latere (etſi cauſſam ejus non ita facile perſpiciamus) cum diverſam ponimus, cumque unius lateris irritabilitatem & ſenſilitatem majorem, minoremve concipimus, eliciendum inde mihi videtur, quî fiat, ut, ſi morboſus ſtimulus per omnem laticem ſanguineum diſtribuitur, diverſam ſortiatur adfectionem ab hoc ſtimulo quodvis latus, ut ita dicam, vaſculoſum, & quî uno in latere materies haec morbifica ſuas producat phaſes, dum altero in latere vaſorum actioni nullam (ſi ita loqui fas ſit) ſuae praeſentiae imprimens perceptionem, absque ullo effectu ſenſibili, vel viſibili, iners quaſi pererret ac mortua?

Hiſce, quae modo diximus, pro fundamento aſſumtis, neceſſario etiam ſequi debet, quod, ſi unum latus

facilius a ſtimulis in actum deduci queat, in hóc ipſo, ſive ejus parte (modo conſenſum ad dimidium hominem ſe extendere ponamus) oriri debeat major humorum circulantium celeritas, atque inde etiam fieri poſſit major calor, majorque humorum ſive ſanorum ſive morboſorum ſecretio *y*); vel, quod alteri lateri, torpidiore vitâ praedito, nec ſtimulis tum naturalibus, tum foras advenientibus, tam facile excitando, à contrariis cauſſis effectus eveniant contrarii. Quod ſi porro mecum reputem, eo majorem eſſe irritabilitatem vaſorum, quo magis à corde diſſita ſint, ut argumentis, omni dubio majoribus, aſſeruere DENNISON, VERSCHUIR, WHYTT, SCHWENCKE *z*); non miror adeo, quod haec effecta, ſi uno in latere obtineant, potiſſimum in cute ſeſe prodant, utpote ceteris paribus à corde remotiſſima, ſimulque vaſculoſiſſima.

Venae cavae contractiones alternae, ut GALENO obſervatae, ſic poſtmodum HARVAEO, STENONI, LANCISIO, WALLAEO, TH. BARTHOLINO, BORRICHIO, HALLERO, VAN DOEVEREN, VERSCHUIRIO aliiſque obſervatae ſunt *a*), & quidem ita manifeſte, ut corde etiam reſecto illius contractiones ab hepate & à jugulo ad cor extenderentur. — Quod ſi in hiſce experimentis hae fuerint obſervatae contractiones, quidni aſſumere liceret, in adfectione morboſâ hepatis, infarctione viſcidâ aut inflammatoriâ laborantis, in vena hac cava motus oriri irregulares, ſpas-

y) Confirmant dicta noſtra, quae adnotavit ex Cl. GORTERI Excert. Med. de motu vitali ſaepius jam laudatus, nec nimis tamen facile laudandus, Doct. VERSCHUIR in Nota *k*) pag. 14. Diſſert. ſuae.

z) Horum omnium Auctorum ſententias v. apud. doct. DENNISON in diſſ. cit. p. 51. & ſeqq. Cf. CULLEN l. c. §. 159.

a) V. VERSCHUIR Diſſ. c. §. XXXI. & DENNISON Ibidem C. III. p. 57. Cf. CULLEN l. c. §. 165.

ſpasmodicos, ſurſum vel deorſum ſeſe extendentes, reliquumque ſyſtema vaſculoſum ita in conſenſum trahentes, ut inde producantur congeſtiones ſanguinis quae in vaſa, debilia nimis, quam ut columnam ſanguinis ſuſtineant, irruentes, haemorrhagias gignant activas κατ' ἴξιν illisque morbi judicationes efficiantur ſalutares.

Quod ſi dicta (quae facile extendi poſſent, & deberent, niſi nimium creſcere diſputationem, & Medicis harum rerum gnaris me ſcribere certum haberem) in compendium quaſi contrahamus, ac cum Obſervationibus (Cap. I.) allatis comparemus, veritatis ſpeciem acquirere inſignem videntur; imo inſignem adeo, ut dubitem, utrum adductis phaenominis explicandis aliâ quidem in ſubſidium ſint vocanda C. N. inſtrumenta, aliae partium ceterarum actiones. — Ex prolatis enim haud adeo conceptu nunc difficile mihi videtur, qui fiat, ut unius lateris linguae conſpiciatur rubedo, aut dimidia obſervetur lingua albida vel nigra? quî porro bilioſi liquidi labe intinctus latex ſanguineus, per omne corporis vas diffuſus, unam tantum unius lateris vaſculorum adficiat ſeriem; ita ut hujus tantum lateris vaſa ſtimulo majori vel irregulari obſequioſa ſint, illius non item? quî uno in latere ſtimulo exiſtente majori, cum celeritatis humorum circumactorum incremento & vita vegetiore, oriantur ſudores, calores, eruptiones morboſae variae; vel contrariâ obtinente cauſſâ, frigus dimidii conſequatur corporis? quî ex eodem fonte, quo icterum dimidiati corporis repetimus, repetenda etiam unius lateris ſalivatio videatur? quî praeterea (niſi forte & hic ad Syſtema Nerveum vel Lymphaticum recurrendum ſit) tumere queat teſticulus è directo tumoris brachium obſidentis? quî hemizomatis oriri queat necroſis? quî porro accidat, ut ex adfecto ſyſtemate vaſculoſo, quod ex hepate ſurſum tendit, dextrae naris producatur haemorrhagia; vel vena cavâ, aliisque

que vaſis adfectis, quae ad inferiora tendunt corporis, haemorrhoidalis proliciatur fluxus? & qui forte ex iisdem principiis repetenda ſit criſis ſiniſtrae naris, lien ſi fuerit adfectus?

Si porro jam noſtram hanc ſententiam cum nonnullorum explicationibus compareremus, patet, inter hos fuiſſe aliquos, qui & ex hac vaſorum activitate repetendos hos morbos, ſubolfecerint. Archaei enim ſiniſtri lateris alacritas & robur, dextri vero lateris torpiditas ac debilitas *b*), quid quaeſo aliud eſt, quam noſtri ſyſtematis vaſorum vis vitalis actuoſa, irritabilitas ejusque actiones particulares? Utrum autem ſpiritus ſeminalis hoc in caſu incitamentum fuerit, quo ſeroſus latex uno in latere copioſius fuerit expulſus, ego quidem non facile crediderim ac determinaverim. — Atque eodem quodammodo redeunt, quae in ſua adjecta explicatione adduxit ROMMELIUS *c*), ac ſi illius lateris pori & canaliculi, quibus latex ſeroſus continetur, conſtricti forent fortius mole ſuperjacentis reliqui corporis.

Non tamen negaverim, ſi omnia accurate conſiderentur, ad evidentiam, omni dubio majorem, dicta phaenomena Cauſſis indicatis reduci non poſſe. — Novi hic dari hiatum, & ſyſtematis noſtri lacunas ipſe video, quas agnoſcendas jubet machinae humanae cognitio haud penitior. Inter has tamen difficultates, quae dicta ſymptomata ſecum gerunt, me judice diſparebunt variae, ubi noſtrae ſententiae ea, quae ſequentur, addiderint robur, atque ubi quid ſingulae partes & earum actiones contribuant, ſeorſim, & quid producere queant conjunctae, explicaverim poſtmodum latius. — Ad hunc itaque laborem ut me accingam, ordo propoſiti nunc dictat.

§. VI.

b) Vid. hujus Cap. II. §. II. pag. 41.
c) Vid. Ibidem.

§. VI.

Syſtematis Nervoſi ἐνεργεια & actio in morbis Unius Lateris.

Ut ordo conſervetur, hunc titulum hic tantum commemoraſſe liceat: agere enim hic loci de iis morbis, quae mere nervei ſunt, quique in uno latere corporis tantum locum habent, inutile maxime foret, cum haec materies in Sect. II. ex profeſſo nobis erit pertractanda: quae cum nimis longa ſint, ut hiſce inſerantur, & iis ſpecialis quidem tractatio competat, ad illam referre Legentes liceat. Quum vero dubitari nequeat, quin nervorum magna eſſe debeat conſideratio in iſtis Vaſorum motibus a ſtimulo excitatis, quos (§. praeced.) memoravi, illud hujus loci foret, ut, quantum Nervoſum Syſtema in Vaſculoſum, aliasque inde pendentes C. N. actiones, influat, & quomodo ſic etiam unius gignantur vel augeantur lateris morbi, commemoraretur; de hoc autem cum quodammodo latius in hujus Cap. §. ultimâ ſit tractandum, haec miſſa facio.

§. VII.

Syſtema Lymphaticum quatenus in morbis Unius Lateris producendis ſuas agat partes.

Syſtema Lymphaticum, quicquid etiam Auctoribus nonnullis fingere placuerit *d*), ego quidem, obſervationibus Glissonii, Hoffmanni, W. Hunteri, Monroi & Hewson convictus, pro particulari ſyſtemate vaſorum abſorbentium *e*), quorum praecipuus

d) W. Hewson Experimental Inquiries Part the Second. pag. 6. & 7. Cl. Meckel verſabatur etiam in illa opinione; vid. Ejus diſſert. de Venis Lymph. valvuloſis: verum haec & aliorum egregie refutata ſunt ab eodem Expert. Hewson C. IX. pag. 133. & ſeqq.

e) Ibidem C. X. p. 157. & ſeqq.

puus, & quaſi communis, truncus ductus thoracicus eſt, atque ex quo in unoquoque latere in omnem corporis ambitum ad ejus peripheriam diſperguntur rami *f*), habeo.

Illud autem Syſtema, ut reliquas N. C. partes omnes, vivere, ſenſilitate & irritabilitate, ſeu vi contrahendi, ac in fluida agendi, motumque conciliandi eſſe donatum, probant facta certiſſima: à morte enim chylo pleniſſima inaniuntur, & diſparent, quae certe non mediocrem vim irritabilem denotant. Imo ipſo viſu illorum contractio, cum inſtar filorum tenuiſſimorum nonnunquam vaſa haec ante oculos diſpareant animadvertitur *g*). Has

f) Ibidem. C. III. p. 20. & ſeqq.

g) VERSCHUIR l. cit. §. XXXII. & ibi cit. Auctores, nec non Doct. DENNISON Diſſert. cit. p. 60. ubi haec habet: „Nec Lymphaticis ad morum ſatis eſſe videtur muſculo„rum & arteriarum vicinarum actio, eo valvulis praedita „comprimens; nam manifeſta earum inſignisque irritabilitas „motum periſtalticum, ab abſorbentibus finibus forſan coep„tum, oſtendit (CULLEN Inſt. §. CLXVII.) Quanta eo„rum irritabilitas ſit, teſtatur HALLERUS (E. P. Tom. „VII. L. XXV. Sect. 2. Chyl. mot. §. 5. Exper. 250. Vaſa „autem lactea eadem ac lymphatica eſſe, & ejusdem naturae „participia, vid. Eund. p. 199.) Eorundem ejusmodi actio „eſſe videtur, ut, cum in articulis contractiora, quam alibi „ſint, hi primum repleantur, eaque repletio pro ſtimulo, hu„morem porro promovente, agat. Quem tamen agendi modum, „quoniam cerni oculis nequit, pro conjecturali ita propono; „ut inde eſſe hic actionem, eamque muſcularem neutiquam „addubitem. "

Inſignis eſt locus doct. HEWSON (L. c. pag. 13. 14. 15. & 16.) qui haec dicta probat; quapropter & huc eum conferre liceat. „And as the blood veſſels have a muſcular coat, which „aſſiſts in the circulation, ſo may the lymphatics, as is rende„red probable from what Dr. HALLER ſays of his having „found them irritable in his experiments (Sur le Mouv. du „Sang Exp. 295, 298.) and alſo from what is obſerved on „ſeeing

Has proprietates inſitas cum agnoſcamus; his functionibus cum ſint deſtinata vaſa lymphatica, nullus video rationes, cur non unius lateris ſyſtema contractione agitari poſſit abnormi & incitatiori, vel cur non in uno latere locum habere poſſit vis vitalis eorum torpidior, quibus fieret ut hic illic producerentur tumores lymphatici, vel abſorbtio minus procederet aequalis, aliaque excitarentur ſymptomata, quae (obſervatione ad morbos unius lateris magis adplicatâ, lymphaticoque ſyſtemate magis meliusque cognito) ex his fontibus deducenda eſſe, poſtmodum intelligetur forte plenius.

Ex hac forte vitâ torpidiori vaſorum lymphaticorum Cerebri, & abſorbtionis defectu aliove vitio, an non repetendi ſunt, quos Auctoribus notatos invenio, dimidiati capitis hydrocephali interni? Nimirum Nobil. TULPIUS *h*) memorat, quandoque haerere tantum liquorem

„ ſeeing them in living animals diſtended with their lymph, in „ which caſe they appear of a conſiderable ſize; but upon emptying them of their contents, they contract ſo much as not „ to be eaſily diſtinguiſhed. This is an experiment which I have „ frequently made in the trunk of the lacteals in a gooſe and on „ the lymphatic veſſel on its neck, both of which when diſtended with their naturel fluids are as large as a crow quill; but „ on emptying them in the living animal, I have ſeen them contract ſo much that it was with the greateſt difficulty I could diſtinguiſh them from the fibres (See alſo HALLER E. P. L. „ 2. ſect. 3. §. 111. The celebrated NUCK thought he could „ ſeparate the coats of the lymphatics, Adenograph. cap. 111.) „ The coats of lymphatic veſſels have, in common with all other „ parts of the body, arteries and veins for their nouriſhment; „ this is rendered probable by their being ſuſceptible of inflammation, for they are frequently found in the form of a cord, „ painful to the touch, and extending from an ulcer to the next „ gland. Theſe painful, ſwellings of lymphatic veſſels likewiſe „ ſhew, that their coats have ſenſibility, and therefore that they „ have nerves as well as arteries and veins. "

h) Obſerv. Med. Lib. I. Cap. XXV. Hanc obſervationem in

liquorem effuſum vel in dextro, vel in ſiniſtro cerebri ventriculo, illudque ſe bis vidiſſe in alterutro adnotat, ita ut ultra duas libras uni parti aquae eſſent incluſae, atque ita ſtricte quidem, ut altera foret plane illaeſa atque integra. Haec unica eſt, quam de humanâ ſpecie Auctoribus adnotatam invenio, obſervatio: attamen in brutis ſimile quicquam ſe bis obſervaſſe Auctor eſt Joh. Jac. Wepferus *i*), ubi in uno caſu in cerebri bovini ventriculo ſiniſtro, & in altero in dextro hydropem dimidiatam tantum invenit. Et ſimile quid in vitulino ſe capite obſervaſſe Cl. Bonn, *Anat. Prof. in Ill. Athenaeo Amſtelodamenſi*, in parte ſiniſtrâ mecum communicavit, quâ hydrope illius partis caput totum fuerat dilatatum, ut mihi in ſceleto, qui à Cl. illo Viro conſervatur, conſpicere licuit. Si jam in vaſis lymphaticis, revehentibus humores ab arteriis in his ventriculis ſecretos, vitium fuerit in illo latere, quid explicatu facilius, quam quod ab hoc producti fuerint illi hydrocephali? — At objicient nonnulli forte, non dari in ipſo cerebro lymphatica, nec illa unquam abhucdum fuiſſe demonſtrata, & hinc illud malum à venarum reſorbtionis defectu repetendum eſſe. Hoc ſi pro momento largiamur, demonſtrat tunc ſaltem illud vitium unius lateris venarum abſorbtionis defectu eſſe productum, de quo (§. V.) jam egimus, ita ut haec tunc demonſtrationem illius rei confirment ulterius. — At vero, quia adhucdum nulla vaſa lymphatica in cerebro inventa ſunt, dum per omne corpus inveniuntur, an ideo huic organo illa denegabimus? Analogia juſta nos ita concludere (ni fallor) vetat, ac nuperior induſtria, quae in amphibiis, piſcibus & volucribus ea in lucem protraxit (in quibus etiam adeſſe negabantur) prudentiam inculcat ſerio. Similem praeterea in cerebro abſorb-

in ſua Anat. Pract. etiam retulit Bonnetus, Vid. T. I. obſ. IX. pag. 383.

i) In egregiis Ejus Hiſt. Apoplecticorum p. 63 & 64.

ſorbtionem per vaſa lymphatica probare videtur eadem humorum remorantium ex cavitatibus omnibus N. C. ac circumactorum per lymphatica reductio *k*). Analogiam hanc ut probaret, caſum adfert Doct. HEWSON, qui magnam de vaſorum lymphaticorum in cerebro praeſentiâ probabilitatem indicat, quem hic adducere in nota liceat, eo praeſertim ſcopo, ut ſi vel inde non probari crederent lymphaticorum in cerebro exiſtentiam Adverſarii, diſcerent tamen, unius lateris morbos iis aut produci, aut ſolvi poſſe eodem in latere *l*).

Haec

k) V. HEWSON L. c. Caput VII, integrum.

l) „But although lymphatic veſſels have not yet been de„monſtrated in the brain it is probable from analogy, that this „organ is not deſtitute of them; and the following caſe affords „an argument in favour of abſorption being carried on here by „lymphatics, as well as on other parts of the body.

„J. H. a Young man of twenty five years of age, by trade a „ſilk dyer, and whoſe father at that time laboured under a third „attack of madneſs, conſulted me about a glandular tumor upon „the left ſide of his neck, of which he gave the following acco„unt: that for ſome time he had bein troubled with an eruption „which had gone off and returned repeatedly; that a week after „its laſt diſſappearance, he was ſeized with a fixed pain in his „forehead, for which he was bled; that one day whilſt at work, „after this pain had continued a fortnight, he felt a weakneſs in „his left arm, and the bruſh with which he was working fell out „of his hand, but he had no weakneſs in his right arm, nor in „his legs. That this weakneſs returned two or three times a „day for nine days; and was rather relieved by putting his „hands into warm water. About three days after he was first „attacked with this weakneſs, a tumor appeared on the left ſide „of his neck, juſt below the ear, when I first ſaw him this tu„mor had continued eleven days. It ſeemed to be an enlarged „lymphatic gland, was then hard, but afterwards gradually „came to ſuppuration, and at the end of ſix weeks it burſt and „diſcharged a yellow curdled matter. He adds at the ſame ti„me that he was attacked with the weakneſs, he had a faultering „in his ſpeech, and ſlight convulſions in his lips.

„Now as in this caſe there ſeemed to be a compreſſion of the „brain,

Haec omnia nonne demonſtrant, vaſa in cerebro adeſſe lymphatica, & his, ut in aliis N. C. partibus, abſorbtionem fieri? Concluſio videtur adfirmativa.

His intermiſſis in viam redeamus. Ex iis quae hujus Cap. §. ult. adducenda erunt, hoc praeterea evincetur, poſſe in N. C. unius lateris morbos oriri, ad quos fovendos, alendos & producendos ſuam S. Lymphaticum confert ſymbolam.

Inter omnes Auctores, explicationem obſervationum ſuperiorum exhibentes, ſolum video SCHMIDIUM *m*) qui, quoad S. Lymphaticum, de ejus cauſſis mechanicis & dynamicis ad morbos unius lateris explicationi adhibendis cogitaverit: problematice ſcilicet propoſuit, „Utrum partes ſiniſtri lateris pluribus ac ma„joribus vaſis lymphaticis, vel ſpeciali prae reliquis con„formatione, . . . ita factae gaudeant?“ — Obtinuiſſe illud forſan in illo aegro, cujus meminit, & has cauſſas ad adfectiones illas contribuere potuiſſe, me conſentire facile vides.

§. VIII.

Influxus Textus Celluloſi in adfectiones corporis dimidii.

Textum celluloſum per ſe ſolum non ita ad unius lateris morbis diſponere poſſe prima conſideratione videretur, cum adminiculum potius videatur, quod recipiendis vaſis ſanguiferis, lymphaticis, nervisque, ac corpori integendo ejusque ceteras partes ambiendo deſtinatum

„brain, which was removed, when the glands ſwelled, is it „not probable that the cauſe of the compreſſion has been ſome „extravaſſed fluid, which afterwards being abſorbed, occaſio„ned the tumor & ſuppuration of the lymphatic gland? and there„fore is it not a preſumption that abſorption is here likewiſe „carried on by lymphatic veſſels?“ Vid. ibid. pag. 51, 52, 53. & 54.

m) Vid. hujus Cap. §. II. pag. 41.

ſtinatum ſit. — Haec licet ita ſint, habet tamen & ſuas proprietates, ſuamque fabricam, quae hic enumerandae ſunt, ut pateat (§°. inſequenti) quantum ceteris cauſſis robur addat, ac efficiat, ut morbi obtineant unius lateris, futuri non ita facile, niſi tales proprietates, taliſque fabrica in celluloſo praeſentes eſſent textu.

Totum H. C. textu fere celluloſo conſtare videtur, ita tamen ut pro diverſâ modificatione, organiſatione, & virium vitalium temperaturâ aliam nanciscatur figuram, formam & directionem, alia & diverſa conſtituat organa, alias diverſasque perficiat functiones. — Reliquum itaque, quod hujus textus celluloſi remanet, informe & inorganicum, compactum & complanatum membranas efformat, interſtitia organis noſtris vacua relicta replet, connexionem cum omnibus N. C. partibus organicis ſuſtinet, ac Corpori integro involucro atque integumento inſervit. — Hanc functionem dum adimpleat, generalem etiam qualitatem omnibus partibus N. C. privam & inſitam, vitam ſcilicet, poſſidet, quâ ipſâ ad contractiones proprias peragendas, & hinc functiones quasdam perficiendas, apta redditur.

Hanc ejus conformationem & actionem tam eleganter expoſuit Clar. VAN GEUNS *n*), ut Ejus verba adduxiſſe expediat. „Sunt autem, primo, fibrillae laminulaeque tales inorganicae vario ſitu, decurſu & implicatione ita inter ſe contextae, ut telam aliquam referant minus regularem, quae compacta & complanata membranas efficit, etiam inſigniores, quaeque convoluta

n) In Diſſert. laud. §. VIII & XVIII, cum adjectis notis, vid. Diſſert. Med. Theſ. Cl. SANDIFORTII, Tom. III. p. 534 & 543. — Conf. etiam doct. BIKKER in cit. Diſſert. p. 50. art. 5. ubi dicit, „altera eſt uniformis „conſtrictio, qualis contingit in membranâ celluloſa, cum „ejusque poris, acri quodam inſtigatis, "

„ voluta vaſorum plurimam conſtituit ſubſtantiam, imo „ per totum corpus, celluloſae telae nomine, extenſa, „ & frequenter adipe referta vacuitates inter partes fere replet, vaſorum dein decurſum firmat ipſaque vaginis inſtruit, cum iis quoque omnem viſcerum & „ glandularum ſubſtantiam fere conſtituit, quam Veteres παρέγχυμα dixerunt. Conſtitutione interim ſua, „ firmitate, denſitate, duritie, colore, fibrillarumque „ & laminularum ſubtilitate, implicatione aliisque proprietatibus in ſingulis fere partibus, ſed praecipue in „ viſceribus variat haec tela, & varie etiam inde in diverſis partibus, ſi vitaliter agendi quandam facultatem habeat, agit. Videtur porro ipſis etiam partibus durioribus, cartilaginibus oſſibusque, ortum largiri. Efficit adeoque longe maximam corporis integri partem tela celluloſa varie formata. "

„ Cum vero telae celluloſae tanta ſit in corpore dignitas, hinc merito etiam de ipſius vi vitali inquiritur. „ Non poſſe de intricata fibrillarum & laminularum ejus „ implicatione regulares adeo & inſignes promtasque „ actiones & ab actione remiſſiones exſpectari, quales „ fibrae muſcularis nobilior natura & fabrica ſuppeditat, „ facile patet. Videri autem ſingulis ejus fibrillis contrahendi quandam vim, quamvis forte non ubique in „ corpore, vere vitalem, eſſe adſcribendam, cujus mutuo concurſu aliqua etiam, vel propria actio, e. g. „ aequabilis canalis vel cavitatis quam tela circumdat „ conſtrictio, vel actionum fibrarum muſcularium, quas „ in ipſis muſculis ubique interſtinguit, in vaſis vero & „ viſceribus varie connectit, directio & adjumentum ſiſti poſſit, ex ſequentibus pateſcere puto. Partium „ & cavorum plurium, quorum adſtruxi vim propriam „ activam, plurima ſubſtantia celluloſa eſt; ſic uterus „ inprimis, cujus tam inſignis eſt atque valida contrahendi vis, modicam valde continet fibrarum vere

„ muſ-

„muſcularium copiam, ſed totus fere denſa, ſtipata, ad „cervicem maxime compacta, fibrarum irregularium „celluloſarum implicatione contexitur. Membrana „ſcroti dartos, pro vera celluloſa habenda, evidenter „admodum ſe conſtringit ad frigoris vel venerei orgas-„mi ſtimulum. Cutis, quae, praeter vaſa & nervos, „celluloſa tela arcte compacta eſſe videtur, per varias „cauſas ſe conſtringit pellem anſerinam, ut vocant, fa-„ciens, quod & in morbis evenit; ſed & exſciſſum de „animali vivo fruſtum ad ſtimulum vel & ſolum frigus „convolvitur. Ipſius denique communis celluloſae „membranae vivum exſciſſum fruſtum acri liquore ta-„ctum cum impetu ſe conſtringit. Non video itaque, „cur celluloſis etiam fibris, quibusdam ſaltim, à muſ-„cularibus forte maxime irregulari fibrillarum ſuarum „implicatione differentibus, quandam ſuam vitalem „vim abnegem."

Ex hiſce itaque proprietatibus, Textusque Celluloſi communicatione cum omnibus corporis partibus repetendos autumo morbos unius lateris, ſi ſola ejus dimidia pars ſtatuatur adfecta: nec meliori modo cognoſci poterit, quî rubicunda, alba vel nigra fiat dimidia lingua, aliis adfectis partibus, quae communicatione membranarum ſuas noxas organis connexis imprimunt. Sic ex diverſâ celluloſae fabricâ, ſi uno in latere pellucidior ſtatuatur, idea icteri unius lateris clarior evadit. Nec abſonum mihi videtur, inde criſin lienis per ſiniſtras nares repetere ſalutarem, quippe quae vaſis communicantibus directe difficulter admodum extricaretur.

Egregia ſane ſunt, noſtraeque ſententiae robur, ut puto, addentia inſigne, quae ea de re propoſuit Doct. Th. Bordeu *o*). Non quidem tamen dixerim ex ſolis

o) Per omnem ambitum Tract. cui titulus *Recherches ſur le Tiſſu muqueux ou l'organe cellulaire*, editi Pariſiis 1767. in 8., qui totus hac de re perlegi meretur.

ſolis illis, quas enumeravimus, proprietatibus, omnia phaenomena explicari poſſe adeo facile: conferunt ſane huc ante dictae partes, earumque actiones, quae, ut à celluloſa ſuas actiones mutuantur, ſic eidem illae actiones impertiunt, quapropter dictorum illorum veritas (§. inſequenti) eluceſcit clarius. — Eſt tamen tunicae celluloſae, ex ſuâ ipſius fabricâ proveniens, adjuncta proprietas, quae morbis unius lateris quam maxime favet: nimirum dividitur haec praeſertim in ſuperficie corporis, quâ cutim conſtituit, in duas partes, ita ut à capite ad calcem diſtinguat quaſi C. H. in portionens aequales. — Indicavit hanc eleganti, ut in ceteris, ſtilo Doct. Lorry *p*), ubi inquit: „Demum in morborum „cutaneorum hiſtoriâ illud non erit inutile annotaſſe, „cutem humanam, per totum corpus aequaliter diffu„ſam, poſſe tamen & debere in duas partes aequales „dispertiri, quarum una laevam occupet corporis par„tem, altera dextram. Totumque corpus, quantum„cumque patet, in duas haſce partes eſt diviſum, plicâ „quâdam convallem utramque efficiente, ac deinde ab „hâc quaſi lineâ partem utramque diſtinguente quaſi à „centro ſeſe diffundentem. Id certè à cellularis tex„tus ſuppoſiti ſtructurâ eſſe repetendum evidens eſt; „qui textus cellularis ſimilem experitur partitionem. „Sic totum C. H. in duas aequales partes externas di„viditur ad Hippocratis mentem. Quae quidem parti„tio magni momenti à divo Sene habita, an in eno„dandâ morborum theoriâ, & ſtabiliendis tum meta„ſtaſeωn, tum revulſionum praeceptis, aliquam obti„neat dignitatem, è morborum phaenomenis, eorum„que attenta obſervatione, divinandum eſt, plusquam „ex anatome ſubtilius excultâ. Haec obſervatio Me„dicis digniſſima. “

Hanc

p) Tract. de morbis cutaneis p. 20. in fine & 21. edit. Pariſiis 1777. in 4to.

Hanc obſervationem ex cellularis tunicae ſcrutinio anatomico accurato deduxit optime ante jam laudatus BORDEU *q*), quae, ut hanc rem abſolvant, longiora licet quodammodo, gallico idiomate hic adjicere in Nota liceat.

q) L. cit. à pag. 68. ad pag. 75., ubi ſequentia de hac re habet. „*Il en eſt un* (coarctatio cutis nimirum, de qua ante egerat) „*qui paroit meriter une attention particuliere. Il diviſe le corps en deux parties égales, à droite & à gauche, il a été indiqué dans les* Recherches ſur le Glandes, *ſous le nom de* raphé *général; c'eſt un plan réel de ſéparation entre les deux côtes du corps, & non point un être imagine par les Anatomiſtes.*

„*En effet, on trouve évidemment, entre les deux cuiſſes,* (*au* raphé *proprement dit*) *une eſpece de* couture *ou de* calloſité *naturelle, qui n'eſt qu'un étranglement de la peau, & qu'on ſuit aiſément par devant & par derriere dans les deux ſexes; le dartos eſt ſeparé en deux par une cloiſon, ainſi que la verge. La ligne blanche commence au pubis, qui eſt diviſé lui-même en deux parties latérales par un cartilage mitoyen. La peau qui recouvre le ventre, eſt auſſi bien que l'organe cellulaire, plus reſerrée ſur la ligne blanche qu'ailleurs. On trouve en entrant dans le bas ventre, & mettant, pour un moment les viscères à part, le méſentere qui eſt fait par l'adoſſement des deux plis du péritoine. Le diaphragme eſt diviſé en deux muſcles, très evidemment vers l'épine du dos, & aſſez ſenſiblement vers le ſternum. Le médiaſtin reſſemble beaucoup au méſentere. La trachée elle même porte l'empreinte des deux portions des poulmons. On trouve le raphé bien marqué dans la glande thiroïde, dans le cartilage de ce nom, dans le cricoïde & dans l'épiglotte. L'oeſophage & le pharinx ſont ſéparés, ſurtout poſtérieurement, par une ligne blanche fort apparente ou par un entrecroiſſement des fibres.* Hippocrate *connoiſſoit la ligne médiane de la langue. La machoire inférieure reſte long temps diviſée vers le menton, & lorsqu'elle eſt unie, elle porte une ligne ſaillante fort apparente. Le palais a ſa ligne depuis le deux inciſives ſupérieures jusqu'à l'extrêmité de la luette. Les os maxillaires ſont unis dans cette ligne. Les levres ont leurs brides dans la même ligne. Les narines y ont leur cloiſon. Le nez n'eſt que l'union latérale de deux tuyaux ou des deux*

Atque haec omnia ſi quis conſideraverit, invenerit, ut opinor, in ipſa cute & ſubjecta tunica celluloſâ cauſſas praedisponentes, quibus unius lateris morbos explicare poſſe crediderit. — Subſiſtendum autem in hiſce ulterius enucleandis hic eſt, atque nunc in quantum omnes praedictae Cauſſae conjunctae, & proinde etiam Textus Cellularis, cooperentur ad adfectiones praedictas, inquirendum venit. §. IX.

deux narines adoſſées; ſes os propres aboutiſſent aux deux côtés du frontal, qui reſte long temps diviſé & qui contient une cloiſon verticale dans ſa cavité. Les muſcles ſourciliers & les frontaux ſont ſéparés par un plan mitoyen, qui étrangle la peau. Tout le monde connoit la future ſagittale, ainſi que la faux, le corps calleux, l'adoſſement des tubercules qui ſont dans les ventricules du cerveau, & la crete de l'os etmoïde. La moële allongée & la moële épiniere ont leur corps calleux. Les vertebres qui ſont diviſées en pluſieurs parties dans les jeunes ſujets, ont leur apophiſes épineuſes, ſur les quelles la peau eſt plus étranglée que vers les côtes; cet étranglement commence vers la tubéroſité occipitale, & va aboutir au coxcis; il commence par une ſorte de ligament cervical, & finit de même, en aboutiſſant au raphé entre les cuiſſes; en un mot, il eſt aiſé de voir que le plan de ſéparation, dont il eſt queſtion, exiſte en effet; qu'il eſt l'aboutiſſant où les fibres & les vaiſſeaux viennent ſe joindre & s'entrelaſſer comme les branches des deux arbres voiſins. " Eandem inſuper in vaſis viſceribusque diviſionem locum habere deſcribit, tandemque concludit: „ *Le corps paroit donc compoſé de deux moities adoſſées l'une à l'autre . . . & . . . la maniere de concevoir le corps (ainſi), ne laiſſe pas de repandre du jour ſur l'explication de certains phénomènes de l'économie animale. Nous en conclurons ici ſeulement, que la ſubſtance cellulaire eſt étranglée dans toute ſa partie moyenne & diviſée en deux portions latérales, ſes balons ou ſes poches ſont, pour ainſi dire, affermies ſur l'axe du corps, d'où elles s'étendent de coté & d'autre, ce qui leur donne d'autant plus de force, qu'elles ſont appuyées ſur une baſe plus ſolide. Ceci nous indique, que les matieres contenues dans un des côtés du corps & qui penetrent la ſubſtance cellulaire, ont beaucoup plus d'aiſance à s'etendre en haut & en bas, qu'elles n'en out à paſſer d'un côté à l'autre, ce qui rend raiſon de quelques ſymptômes des maladies.* "

§. IX.

Quid combinationes Legum Mechanicarum & Dynamicarum, & uniuscujusque Syſtematis connubium efficiant.

Luſtravimus nunc, quid ſingula haecce ſyſtemata, quid Cauſſae Mechanicae & Dynamicae, Vaſorum actio, Nervorum ἐνεργεια & Tunicae Celluloſae Contextus ad morbos unius Lateris per ſe ſpectata, contribuere videantur; at vero, ſi vel obiter etiam conſideremus, quantum, ut una N. C. functio juxta leges naturales procedat, quantum multo magis ut omnes ſuo fungantur officio, requiratur, ut haec ſyſtemata cooperentur, coadjuvent ſe, atque integra, combinata & conſociata ſint; mirabimurne & ab hoc influxu, ab hoc connubio, pendere ante dicta unius Lateris phaenomena? „Sic „facti (ut recte inquit Cl. HAENIUS *r*)) a Summo „Numine, ſic conditi ſumus, ut vix dentur in corpore „alicubi adfecto partes, quae angi ac dolere partem ſo„ciam torpidae atque otioſae patiantur."

Corpori itaque dimidio etſi inhaereant cauſſae praedisponentes ex fabrica & ſtructura partium functionumque ſingularium, non ſufficit ſane ſaepiſſime, ut haec tantum adfecta priva pars in dimidio corpore illius demum producat lateris morbos. Requiritur ſaepe, ut omnia, aut ex omnibus aliqua ad minimum, cooperentur ſyſtemata, quo iſti unius lateris producantur morbi, non producendi, niſi & diſpoſitio & fabrica variarum partium, & cooperatio mutuumque obtinuiſſet connubium. Clarius hoc fiet, ac conjecturis noſtris, credo, de unius lateris morbis majus addet robur, ſi horum exempla quaedam adduxerim, quae demonſtrationi inſerviant.

r) Diſſert. de Colica Pictonum, Ed. 1745. Hagae Com. p. 32. nunc denuo inſerta Rat. Med. Continuatae T. III. ſeu Oper. Poſthum. Vol. I. p. 363.

Vaſculoſum ſyſtema, etſi actuoſum per ſe & vi vitali praeditum, ut functiones ſuas peragat juſto modo, ſyſtematis nervoſi influxum poſcit requiſitum, & illud eo conferre probant certo nervi, per ipſam vaſorum ſubſtantiam decurrentes, in majoribus viſibiles *s*), in minoribus juſtâ analogiâ deducendi *t*). — Nec declarant minus abnormes ſanguinis motus, ab aliâ cauſſâ non facile repetendi *u*). — Et, quod de ſyſtemate vaſculoſo diximus, eundem tenere gradum vice converſa de Syſtemate Nervoſo & Lymphatico, nemo ſane in Medicinâ ut ignoret adeo hoſpes eſt. — Praeterea etſi Textum Celluloſum activitatem quandam habere diximus; omnem tamen, ut ita dicam, organiſationem & actionem repetit à vaſis ſanguiferis, lymphaticis & nervis, per omnem ejus plagam diſperſis, ita ut haec illum regere, illa ab hoc regi, non immerito opinandum ſit. muni-

s) Hallerus El. Phyſ. Tom. I. Sect. I. L. II. §. XII. pag. 69 & 70., ubi intercoſtales nervi arterias carotides earumque ſubnaſcentes ramos perreptare; nervi cardiaci ſuperficiales faciem anteriorem arcus aörtae incedere; meſentericam arteriam, meſocolicam, coeliacam integri plexus nervei à magno abdominis ganglio nati circumplicare afferuntur. Cf. & Tom. II. pag. 206 & 213. & de Part. C. H. praec. Fabrica & Functione Tom. I. p. 134. Ed. in 8vo.

t) Hallerus Ibidem ait: „Neque dubium eſt, cum „nulla absque nervo fibra muſcularis ſit, & cum absque ea vi, „quae per nervos advenit, debilis omnino ſit ea potentia, qua „eae fibrae contrahuntur, nervulos adeo ad carneas fibras arte„riarum accedere, etſi nemo, quantum memini, ejusmodi ſur„culos demonſtravit." Cum hiſce confer. Verschuir l. cit. Cap. I. §. XVII. pag. 13. Verbo hic monere liceat, non ita debilem vaſorum fore actionem, niſi nervis arterias ſuppona s inſtructas: ad arteriarum integritatem requiri nervorum actionem non quidem negaverim; at ſimul tamen ab earum vi inſita, contractili, magnos, ſi non maximos, edi effectus, certiſſimum habeo.

u) Verschuir Ibid. Cap. II. §. XII. pag. 43 & 44. & Cap. III. §. XXVII. pag. 76.

Quod ſi porro conſideremus, eundem illum textum celluloſum laxitate vel rigiditate peccare poſſe; eumque, ab acri irritatum, hoc cum intertextis partibus communicare poſſe, ac iis impertire (additis ſimul ejus diviſione in duas plagas laterales aequales, continuatione membranarum, ejusque connexione cum omnibus partibus) fontes invenio, ex quibus totidem Dimidiati Corporis profluere poſſint adfectiones morboſae.

Si denique, haec omnia contemplantes, à Naturâ totum quaſi Hominem in Syſtemate Vaſculoſo, Lymphatico, Nerveo, Celluloſo, aliis bipartitum videamus ac omnes partes ut conſpirantes, inter ſe, ſic etiam dilectu quodam vicinas prae primis conſociatas, & alteras alteris inſervientes intueamur; nonne concludere licet, morbos unius lateris ea propter oriri, quod cauſſae in Dimidio Homine concurrant nonnunquam mechanicae, à vaſorum amplitudine, majori vel minori; numero in uno latere aucto vel imminuto; debilitate, laxitate, vel rigiditate; ambientium fulcro imminuto vel adaucto, repetendae: vel quod illorum morborum cauſſae dynamicae ſint, ſuam non raro ſortientes originem ab actione vaſorum abnormi aut imminutâ in uno alterove latere; vel quod S. Nervoſum in uno latere actuoſius, vel debilius operetur; vel quod ſuo officio non fungantur vaſa lymphatica; vel quod continuationes membranarum hic ſuam ſymbolam conferant; vel porro quod, ut ipſa cutis ſtructura ad morbos dimidiatos cooperatur, ſic major etiam cutis actio, transparentia, laxitas, vel rigiditas, aliaeve qualitates in uno vel in altero loco hiſce in morbis ſuas ſuſtineant partes: vel denique quod ſaepe hae partes ſive ſingulae, ſive omnes conjunctae, ita conſpirent, ut juxta axim corporis, modo non ita cognito, adfectae, ex ſyſtematum horum omnium conſociatione & contubernio, dicta producant phaenomena?

Atque ſic, ut ante dictorum faciamus compendium, & explicationis efficiamus finem, cum ſummi Pathologi

 verbis

verbis *v*) hic concludere liceat, „ Conſenſus iſte quidem inter Oeconomiae humanae ſyſtemata, functiones, partesque omnes univerſalis eſt: at propiorem tamen magisque peculiarem aliorum cum aliis inſuper dari, certa obſervationum fide conſtat; etſi rationem ejus legesque haud ſatis liquido perſpiciamus. Credibile, non una modo, ſed pluribus niti conditionibus, harumque principem in genere nervoſo; deinde in ſyſtemate circulationis; porro in continuitate membranarum *x*); tum in vaſorum communitate. . . Quin & huc facere poteſt vicinia partium, & collocatio declivior, aut ex diametro oppoſita, actionumve aliqua cognatio. Prout igitur plura aut pauciora horum una concurrunt, ita varii ſympathiae gradus naſci videntur. Nec praetereunda vis vitalis, quae cum & latiſſime per univerſum corpus diffuſa ſit, nec aequaliter tamen aut in ſingulis partibus, aut in quibusvis hominibus, vigeat, & ampliſſimo ſimul polleat conſenſu, quam plurimum ſane hic valere debet. “

Atque hae ſunt conjecturae, quas de *Unius Lateris morborum Cauſſis* proponendas habui.

v) Inſt. Path. Med. §. 864.

x) Addere liceat *S. Lymphatico*.

CAP.

CAP. III.

NUM VENAE SECTIO IN PLEURITIDE, ALIISVE MORBIS, E DIRECTO, AN IN OPPOSITO LATERE INSTITUENDA SIT, EXPONENS.

§. I.

Agendi Ratio, ob Auctorum diverſas opiniones, traditur.

Quaeri certe jure poteſt, ſanguis ſi debeat educi, utrum, quodnam vas aperiatur, indifferens ſit, aut, uno latere adfecto, utrum adfectae partis (quod e directo, κατ' ἴξιν, dicunt *y*)) an oppoſitae venae ſecandae ſint.

Non potui celebratam hanc omittere Quaeſtionem medicam, dum ex profeſſo de Dimidii Hominis adfectionibus earumque Cauſſis tractare in animum induxeram. Ante dicta autem cum quis attenderit oculo Philoſophico, atque ex iis didicerit, per omnem Medicinae ambitum annalibus medicis inſertas Dimidiati, ut ita dicam, Hominis morborum hiſtorias, interque illos tales, cui

y) Per V. S. κατ' ἴξιν, ſive *per directum*, intelligitur illa, quae fit ſecundum rectitudinem partium, ſive eandem directionem. ita ut in dextro latere adfectâ parte aliquâ eodem in latere etiam tundatur vena; & ſic de ſiniſtro latere idem ferendum judicium. — Cum per ipſius materiae tractationem abunde ſatis patebit, hunc horum vocabulorum Veteribus, & qui illos inſecuti ſunt, Neotericis fuiſſe ſignificatum, plura de hiſce addere inutile eſt. Qui tamen plura vellet, conferre poterit HIPPOCRATIS Oeconomiam in voce ἴξις & κατ' ἴξιν, nec non GALENUM in HIPP. Comment. variis in locis, & BRISSOTUM in Apolog. diſceptatione pag. 103. & ſeqq., aliosque.

qui virium inſitarum efficacia victi, omnium luculentiſſime ob oculos poſuerunt, eſſe, ut omnium partium inter ſe, ſic etiam particularium, ſic dimidiae noſtrae machinae conſpirationes ac conjugia ſodalitia: ſi quis cogitaverit praeterea (id quod mihi paginam hic abſolvere videtur) curioſam Naturae obſervationem & imitationem, ut primam Arti originem, ita incrementa dein dediſſe, daturamque ulterius; ac rectiſſime proinde Naturam morborum medicatricem, Medicum Naturae miniſtrum, illique honorem habendam ſervitutem, invitus etiam agnoſcere fuerit coactus; omnemque doctrinam medicam, ſi bonae futura ſit frugis, ad hanc normam per imitationem compoſitam debere eſſe, perpenderit; ille etiam, auxilia morbis convenientia, & V. S. inprimis, in ipſâ adfecta parte, vel ejus vicinia (ut morbo & ſuccumbenti onere oppreſſas partes, cauſſas in ipſo loco adfecto aggrediendo, ſublevare tentet) adminiſtrandam eſſe facile credere poterit. — Crederem & ego, niſi tam diſparem hac in re ab Artis usque noſtrae incunabulis offenderem agendi modum, ut nullum ferme de ea differentem reperias, quin in diverſam inclinet partem, hanc illamve mordicus tueatur ſententiam, his illisve argumentis quaeritet diverſa, prout Natura, vel ſua potius ſibi ingenioſe conficta, dextre perpolita, & ſcientificâ quaſi methodo propoſita hypotheſis monſtrare videatur, quaenam in medendo ſequenda ſit via, eamque certam ſibi habeat.

§. II.

Sententia HIPPOCRATIS, GALENI, *Aliorumque, qui ſanguinem è vena affecti Lateris educendum eſſe, putarunt.*

Hanc igitur materiam ut enucleemus, enumerabimus illos Auctores, qui hac de re egerunt, atque agmen hic

hic ducet Medicorum Fax HIPPOCRATES *z*), qui, de pulmonum laterumque agens inflammatione, attendendum eſſe praecipit, num alterutrum, aut utrumque adfligat latus, additque: „His haec inſtituenda curatio, „ſi quidem dolor ſurſum ad jugulum tendat, vel ad „mammam & brachium, internam brachii venam ſecare „oportet, *ea parte, quâ dolor adfligit*, & ſanguinem „detrahere pro corporis habitu, &c.“ Hunc locum, ubi manifeſtiſſime in adfecto latere V. S. praecipit, pluribus augere foret facile, verum cum producendis GALENI dictis ipſiusque in HIPPOCRATEM Comment. producere ea neceſſe ſit, hic ſubſiſtere liceat.

Ordine inſequentem produco GALENUM. Hic innumeris fere locis HIPP. illud dogma ſtabilivit, inter quos referre lubet ſequentes. — De evacuatione humorum variis ex partibus adfectis agens *a*), cum ſemper vicinitatem partium obſervandam praeceperat, haec ſcribit: „Ea quippe evacuatio faciliime & optime fit, „quae per venas vicinas & affines parti adfectae fiat.“ — De revulſione non per V. S., ſed per cucurbitulas ſermonem miſcens, inquit: „Adjumento eſt, ſi, ubi ni- „mium ſanguis fluit è naribus, praecordiis (hypochon- „dria Graeci dicunt) affigatur cucurbitula *b*).“ — Hac de doctrina duo alia elegantiſſima nobis reliquit loca *c*), ubi docet HIPPOCRATI V. S. & criſes eſſe obſervatas, illasque adeo eſſe veras, ut in morbis hepatis, lienis, pleuritide, aliis, niſi ita fiant, vel nihil prorſus juvent, aut ſi quid juvent, tardiſſime; cum contra, quae *per directum* fiunt, momento ſaepe citius, & miraculi adinſtar, adferant auxilium. Ne longior ſim, mentem

z) L. de Rat. Vict. in Morb. Acut. p. 401. Ed. Foëſ.

a) Lib. de Conſtit. Artis Med. Cap. XVII.

b) Lib. de Revulſione Cap. II.

c) Lib. de curandi Rat. per Sang. miſſionem Cap. XV. & XVI.

tem GALENI hic tantum expoſui, cum alias verbotenus illa ob praeſtantiam exhibere conveniſſet. — HIPPOCRATICAM illam doctrinam iterum inculcat in Libris ad GLAUCONEM de *Arte curativâ d*), praecipitque κατ' ἴξιν tundendam eſſe venam, cum dextra, vel ſiniſtra pars locorum muliebrium; ſplen; hepar; ſynanchae; & opthalmiae dextram vel ſiniſtram occupaverint partem. Nec ſubſiſtit hic illius Auctoris hac de re monita proferre: percurrite mecum varia adhucdum Ejus Operum loca, ut in *Comment. in Lib.* HIPP. *de victus rat. in acutis e*) in Libro GALENO adſcripto *Praeſagium experientiâ confirmatum f*) in *Lib. Meth. Medendi g*) aliisque, & ubivis hanc rem inculcatam comperietis. Oporteret quidem, cum rei dignitas id poſceret, atque Ejus Praecepta fundamentum quaſi praebuerint omnibus, qui GALENUM ſunt inſecuti, Medicis, ut plenius haec traderentur; verum, cum ſic in longum nimis extenderetur voluminis ratio, relego Legentem ad binos elegantiſſimos, eosque raros tractatus PETRI BRISSOTI & RENATI MOREAU *h*), ubi plurima GALENI citata loca fuſius reperiet expoſita.

Hanc doctrinam cum ſtabiliverant HIPPOCRATES & GALENUS, atque in variis morbis, unius lateris partes

d) Lib. II. Cap. II.
e) Comment. II. art. 10. & Comment. IV. art. 73.
f) Cap. IV.
g) Lib. V. Cap. III. & Lib. XIII. Cap. XI.
h) Titulus tract. hic eſt: *Apologetica diſceptatio, in quâ docetur, per quae loca ſanguis mitti debeat in viſcerum inflammationibus, praeſertim in pleuritide.* Ed. Pariſiis 1622. Huic adjuncta eſt RENATI MOREAU Διάλεξις *de Miſſione ſang. in pleuritide.* Ibid. eodem anno. Non igitur prodiere hi Tract. bini Anno 1630, quemadmodum ſcribit Ill. SWIETENIUS Tom. III. p. 41. Horum altera editio parum maculata prodiit Halae 1742. in 8vo. BRISSOTI tractatus ſolus primum prodierat Pariſ. 1525.

partes occupantibus, adhibendam inculcaverant, eos in variis per V. S. juvandis morbis, praeſertim autem in Pleuritide, preſſo pede inſecuti ſunt Auctores plurimi, quos inter referendi ſunt. *Stephanus Athenienſis, Oribaſius, Actuarius, Conſtantinus, Briſſotus, Curtius, Fuchſius, Puteanus, Emericus Oppavianus, Montanus, Akakia, Fontanonus, Tagautius, Jacchinus, Caſſanus, Fernelius, Amatus Luſitanus, Rondeletius, Crato, Valeſius, A' Vega, ab Altomari, Argenterius, Joubertus, Hollerius, Carvinus, Mercatus, Maſſaria, Sclanus, Laurentius, Pietraeus, Riolanus Fil., Carolus*, aliosque innumeros, quorum omnium dogmata atque argumenta, ad ſeriem temporum, quibus vixerunt, incomparabili labore expoſuit ante jam laudatus MOREAU *i*).

Poſteriori dein tempore alii iterum hujus V. S. inſtituendae in adfecto latere meminerunt Auctores, inter quos nominandi ſunt Ill. SWIETENIUS *k*), Cl. TRILLERUS *l*) aliique *m*), quorum prior obſervationibus credendum hic maxime putavit, illisque convictus in adfecto latere V. S. celebrandam voluit. Alter directa in hac inſtituit experimenta, cumque didiciſſet, adfecto in latere tuſis venis longe citius ſanari pleuriticos, quam ceteros, quorum oppoſita ſecta erat vena, quasnam ſuſtinuerit partes, concludere facile eſt *n*).

Nec

i) A pag. 7. ad pag. 71., ubi ſimul & eorum Auctorum libri citati inveniuntur, ita ut otium nobis hic fecerit Auctor ille inſignis.

k) Comment. Tom. III. p. 41 & 42.

l) Diſſert. de Pleuritide pag. 30.

m) Conf. mox citandum Tract. WIPACHERI pag. 6 Nota *y*).

n) Confirmat horum Auctorum dicta obſervatio Clariſſ. WERLHOFII invenienda in Commercio Norico ann. 1735. D. 24. Febr. & in Oper. omn. Parte III. p. 763. Haec ita ſeſe habet. „Vocabar ad juvenem pleuritide epidemia, ex vera „&

Nec omittendum eſt DAVIDEM WIPACHERUM juniorem o) Pleuritide adfectorum triginta & ſeptem hiſtorias ab aliis, aut à ſe ipſo obſervatas tradidiſſe, in quibus omnibus adfecti Lateris fuit pertuſa vena, eo cum ſucceſſu, ut, adjunctis remediis convenientibus, ad unum omnes reſtituti fuerint in integrum. Quem catalogum ne quis inſufficientem adhucdum praedicaret, in fine ſuarum obſervationum Legentes relegat ad DURETI Commentarium in HOLLERII Praxin, HILDANI Cent. Obſervationum, HORSTIUM, FORESTUM & nobis jam citatum TRILLERUM.

§. III.

Variae, quas pro Venae Sectione κατ' ἴξιν Auctores memorati adduxerunt, rationes adferuntur.

Si directam V. S. praecipientium expendamus rationes,

„ & notha mixta, eodem die correptum, cum immenſis lateris „ dextri doloribus. Spirabat difficulter, parum ſanguinolenti „ exſcreabat, cum tuſſi moleſtiſſima, febrem habebat magnam „ inflammantem, in neutro decumbere poterat latere, pulſus „ pleuriticus erat, urina flammea. Acceſſerat ante me Chi„ rurgus, & properaverat venae in ſiniſtro brachio apertionem. „ Superveniens ego eodem momento, emiſſis jam tribus fere „ unciis ſanguinis floridi atque ſani, non exiguo foramine, & „ cum ſaltu prodeuntis, claudi vulnus juſſi, & aliud ſat patu„ lum in dextro fieri. Et en! Octo adhuc unciae ſanguinis „ flavi, fere plane cruſtoſi, qualis in ſumma pleuritide eſſe ſo„ let, proſiluere, momentaneo cum levamine, & felici deinde „ morbi ſanatione. Sequenti die in pede lateris affecti aliam „ ad decem uncias V. S. inſtitui, & minus quidem, aliquan„ tum tamen adhuc cruſtoſum, eduxi ſanguinem, cum inflam„ mationis dolorisque ulteriori diminutione. Illi Veterum „ κατ' ἴξιν Venae Sectioni ſolidarum fibrarum ſyſtema, ex„ quiſitius hodie cognitum, itidem patrocinatur. "

o) In Libro, cui titulus *Genuina Ratio, cur Pleuritide vera ſaeviente V. S. adfecti Lateris, alias Derivatoria dicta, praeoptanda ſit*, L. B. 1756. 8vo. Parte II. Cap. IV. à pag. 85. usque ad pag. 166.

nes, eluceſcit, HIPPOCRATEM & GALENUM vel eò perveniſſe ut ſanguinem ex adfecto latere detraherent, quod ſic derivationem, eâque materiae impactae ſolutionem faciliorem producerent, vel eò potiſſimum, quod experientiâ ducti, feliciorem longe eventum ſe ſic ſortiri perſpexerint. Nullibi ab iis, quantum ego noverim, mentionem factam lego, quae fuerit ratio agendi, cum directam auſpicarentur V. S. potius, quam oppoſitam, niſi illius unicae, *experientiam in his Naturam imitandam docere:* GALENUS enim ipſe in Libro de Venae ſectione, ut refert BRISSOTUS *p*), & Naturae imitationem & ſuam adducit experientiam, quaſi ea res ſolâ poſſet dirimi experientiâ, cum alioqui in minimis ſemper etiam addere rationes ſoleat.

Inter illos, qui poſtmodum hanc tractarunt materiam, HIPPOCRATEM & GALENUM inſecuti, quos mox recenſuimus, aliqui ſunt, qui nullâ habitâ agendi ratione, experientiâ etiam tantum ducti, V. S. inſtituerunt directam. In his numerandi ſunt ORIBASIUS & CLAUDIUS CAROLUS, quorum prior venam κατ' ἴξιν ſecuerat, quoniam viderat, Medicorum pleuriticis ſanguinis miſſionem, è directo laborantis lateris adhibitam, evidentiſſimam ſaepe adferre utilitatem, quae vero ex brachio oppoſito facta ſit, aut omnino obſcuram, aut certe conciliare tardam *q*). Poſterior potiſſimum ideo illud praecipiendum credidit, quia uſus jam invaluerat, ut ſemper è directo ſanguis educatur in pleuritide, quamcumque ea etiam habuerit cauſſam *r*).

Fuerunt iterum alii, qui evacuationem, revulſionem, vel derivationem majorem in adfecto latere orituram credentes, illam ſuarum actionum normam poſuerunt,

p) L. c. p. 12.
q) R. MOREAU l. l. p. 9.
r) Ibid. p. 75.

ſuerunt, eamque inſecuti ſunt: ſic Oppavianus V. S. inſtituit directam, ut materies, quae jam fluxit, evacuaretur, & ut, quae fluere debet, prohiberetur *s*). — Taguatius idem fere aſſeruit, cum in omnibus membris per directum V. S. inſtituendam (ſive repellere, id eſt ut inquit, in contrarium retrahere velis, ſive ad latus derivare, etiamſi adſit plethora) praeceperit addideritque derivationem ad latus & ad vicinia debere fieri revulſione ad contraria *t*). — Nec abſimili utitur ratiocinio Cassanus: Is enim Hippocrate, Galeno, Oribasio, propriâque experientia ducibus, venam cum ſecaret, hujus inſuper agendi modum exponit: nimirum ſe ideo id in adfecto peragere latere 1°. quidem, quod diverſio materiae fluentis per locum directum ipſo loco, ad quem fluit, fieri debeat, 2°. quod eadem revulſio per partem communicantem cum illo membro, ad quod fluit, ſit peragenda, & 3°. quod revulſio per locum, non immediatum ipſi loco patienti, ſed per locum proximum ſit molienda *u*). Eandem tuetur ſententiam Argenterius, ſcilicet 1°. ob revulſionem veram, cum nulla alia ſit rectitudo quam dextrarum partium cum dextris, ſiniſtrarumque cum ſiniſtris, & haud vice converſa, 2°. quod Pleuritides non per venam azygam ſed per venas, quae decurrunt ad muſculos thoracis naſcantur; hae autem communicationem ſolam habeant cum venis brachii ejusdem lateris *v*). Fuerunt iterum & alii, qui κατ' ἰνθυωρίαν venam in pleuritide tundendam praeceperunt, vel quia axillarem inter & cephalicam ab utroque latere quaedam enaſcatur vena, media fere ex axillari, quae inde obrepens in multas finditur venulas, quae in univerſam

s) Ibid. p. 33.
t) Ibid. p. 37.
u) Ibid. pag. 38.
v) Ibid. p. 49.

verſam cum venulis & ramis venae ἀζύγȣ copulantur, ſicque ſecta jecoraria lateris adfecti non ſolum ex cavâ, verum etiam ex illis, in quibus ſanguis inflammatus continetur, educi crediderunt; vel etiam 1°. ut impurus ſanguis detrahatur, cum ſani lateris ſanguinem nihil prorſus vitii contrahere credebatur, & 2°. ut Naturae ductum ſequerentur, quae quanto potuit ſtudio breviores ac tutiores ſemper amat vias, & longiora repellit compita. Prioris ſententiae Auctor eſt AMATUS LUSITANUS, poſterioris CARVINUS x).

Fuerunt denique adhucdum & alii, qui vel ideo, quoniam Natura C. N. ſolidis, fluidis & ſpiritibus bipartitum ſecuerit veluti quadam lineâ, duas ipſius partes diſtinguente, eo conſilio, ne una parte adfecta totum ſimul adficeretur corpus, V. S. directam celebrarunt, ut STEPHANUS ATHENIENSIS Auctor eſt; vel ob fibrarum rectitudinem, ut BRISSOTUS, quique cum eo ſtatuerunt MARTINUS & AKAKIA, qui V. S. oppoſitam adeo exhorrebat, ut enthuſiasmo quaſi exclamet, quot hominum millia AVICENNAE aliorumque Arabum de ſanguinis miſſione ex oppoſito latere in pleuritide, aliisque internis corporis adfectionibus opinio jugulaverit! & SIMON PIETRAEUS (PIÉTRE) ne latum quidem unguem à BRISSOTI dictis factisque recedens (quamvis tamen, exiliores vel nimis idoneae ſi fuerint venae in adfecto latere, hic earum ſectionem in oppoſito religionem non habuerit); vel ut FERNELIO, SCLANO, VALESIO, VEGAE & JOUBERTO magis placuit, qui propter communem & rectam venarum ſocietatem, quae dextrum intercedit latus & ſiniſtrum (cum á dextro latere nullá vena rectis fibris in ſiniſtrum concedatur), vel quod idem eſt, ob membrorum ſocietatem, communionem & anaſtomo-

x) Ibid. p. 42. & 54.

ſin intercoſtalis venae cum ἀζυγῳ venis directis ſanguinem detrahi voluerunt y).

Sunt & forſan alii, qui vel ſimilem ob rationem, aliamve his vicinam, illud dogma ſtabiliendum praeceperunt, verum dicta ſufficiant.

§. IV.

Aliorum Auctorum opinio de V. S. in adfecto Latere non inſtituenda exponitur.

Tam ingentem qui Medicorum intueris cohortem (hujus Cap. §. II.), tam graves qui conſpexeris duces, toties fideli experientia qui V. S. adfecti Lateris confirmatam videris, crederesne Lector! & ſuos etiam habuiſſe Patronos ſententiam contrariam; -- habuiſſe Viros (fateri illud convenit) qui Arabum opinionibus & barbari ſui ſaeculi figmentis fuerunt commoti etiam ſeverius; — habuiſſe tamen & alios, quibus non ita contranitendi deſiderium, quam veritatis inveſtigandae inbutum fuit atque intinctum conſilium? — In medium hic ſi protulero, quid inde varii de hac celebranda V. S. ſenſerint, horum etiam ignaros victas oportebit tradere manus. Atque haec quidem nunc proferre noſtrum autumo, quia poſtmodum ſic adparebit facilius, quaenam utriusque partis praeponderent argumenta.

In omnibus morbis, ubi revulſionem vel derivationem neceſſariam crediderunt hi Auctores, aut ſemotiſſimas à loco adfecto venas, aut oppoſitas, tundi voluerunt: inprimis tamen hanc quaeſtionem agitaverunt de V. S. in pleuritide, quâ propter & hic conſulere iterum expediet laudatum MOREAU, qui paſſim in ſuo Tractatu meminit, inter illos Auctores nominandos eſſe varios, qui oppoſiti lateris V. S. fuerunt patroni: inter illos

y) De hiſce conſulatur ſaepius jam laud. MOREAU paſſim in Tract. cit.

illos ſcilicet fuere plurimi Graeci, ut ARCHIGENES *z*), ARETAEUS CAPPADOX *a*); Arabes, ut *Abhumeron*, *Avenzöar*, *Averroës*, *Joannes Platearius*; Latini Veteres, ut *Lucius Caelius Aurelianus b*); Latini Recentiores, ut *Andraeas Thurinus c*), *Hieremias Thriverus*, *Brachelius*, *Symphronianus Campegius*, *Jul. Caeſar Scaliger*, aliaque minus ſolita nomina.

Alia inſuper fuit Secta, quae non adfecti lateris aut oppoſiti, verum modo adfecti modo oppoſiti, brachiales quandoque, extremitatum inferiorum alias, tundebat venas, atque horum iterum magna eſt cohors: ſic ante jam laudato *Moreau* recenſentur *Aëtius*, qui, etſi modo inſequatur *Galenum*, *Archigenem* alias, in pleuritide tamen venam ſecat è directo *d*) atque alii, ut *Iſaäc Iſraëlita*, *Rahzes*, *Joan. Meſues*, *Rabi Moyſes*, *Averroes*, *Alsharavius*, *Petrus Aponenſis*, *Bern. Gordonius*, *Nicolaus*, *Andr. Caeſalpinus*, *Heurnius*, *Gentilis de Fulgineo*, *Guido de Gauliaco*, *Valescus de Tarenta*, *Matthaeus de Gradibus*, *Joan. Arculanus*, *Marcus Gattinaria*, *Barth. Montagnana*, *Ant. Guaynerius*, *Joan. de Tornamira*, *Alex. Benedictus*, & alii, quos proferre inutile eſt, cum mox ſimus viſuri, eos easdem ob rationes hanc vel illam ſuſtinuiſſe partem.

§. V.

Rationes pro oppoſiti Lateris V. S. a Variis adductae.

Proponamus nunc, quaenam adverſariorum mox recenſitae ſententiae fuerint argumenta. Inter hos autem non tot aſſertas rationes legimus, cum horum multi

F 3 prae-

z) Vid. AËTII Tetrab. 2. Serm. 2. Cap. 68.
a) Lib. I. de Morb. Acutis Cap. X.
b) Lib. II. de Morb. Acutis.
c) Epiſtola ad MATTH. CURTIUM.
d) Tetrab. I. Serm. III. Cap. 12.

praeceptum tantum, nullà experientià, nullâ ratione munitum, ex tripode quaſi pronuntiarunt audacius. — Sunt tamen & inter illos, qui, cur potius una ex venis, adfecto lateri oppoſitis, tunderetur, tradiderunt: inter hos agmen ducit ARETAEUS CAPPADOX, qui illud ideo juſſit, quod ſatius maxime duceret ſanguinem procul ab inflammatâ parte detrahere *e*). — AVERROËS, quo utatur antiſpaſi, illam tantum praecepit *f*). AURELIANUS porro *g*) ob rationes ante memoratas (quas me neſcire fateor) ſe oppoſitam ſecaſſe venam aſſerit. Denique JULIUS CAESAR SCALIGER ex oppoſitâ parte ſanguinem eſſe detrahendum Geometricà adſtruxit demonſtratione: „Etenim, inquit, ſi do„lor latus ſiniſtrum invadat, indeque ſanguis educatur, „plus trahetur à dextro in ſiniſtrum, quam dextrâ vena „inciſâ in ſiniſtrum. Major enim eſt humorum copia „inter circumferentiam dextram & doloris locum, quam „inter eundem locum & circumferentiam ſiniſtram. — „Cum ergo (ſunt verba haec MORAVII *h*)) vena „ejusdem lateris inciſa non ſolum auferat è loco adfe„cto, ſed trahat ad locum adfectum, certum eſt ma„lum ex ea detractione ſanguinis augeri, quod ſuis ex„perimentis confirmat. — Interim non negat, fluxio„ne compoſita utilem eſſe ſanguinis ex eodem latere „eductionem. “

Tertia Secta *i*) potiſſimum venam baſilicam & ſaphenam oppoſiti lateris primum, ejusdem poſtliminio ſecabant, quia ſic per antiſpaſin, fluente adhuc materiâ, oppoſita diverteretur, ut ſtatuere ISAAC ISRAELITA & AVERROES, vel fluente materià, corporeque

e) MOREAU l. l. p. 7.
f) Ibid. p. 15.
g) Lib. II. de Morb. Acutis Cap. 18.
h) L. c. p. 34.
i) Vid. §. noſtram praecedentem.

que plethorico oppoſitam; fixata autem directam tuderunt, inter quos fuerunt praeprimis RHASES, MESUES, RABI MOYSES, ALSHARAVIUS, GORDONIUS, GENTILIS, GUIDO, VALESCUS, & omnes, quorum antea mentionem fecimus, ob ſimilem vel huic adfinem rationem ſua ſuſtinentes dogmata *k*).

Quae tantopere valuerunt ſuo tempore, aliisque tantam inducere potuerunt perſuaſionem, ut, tamquam ſi de aris eſſet litigandum, illi, qui aliter ſentirent, haereſeos culpam incurrerent, ſuique erroris poenam Martyrio quaſi luerent. Qua facta animadverſione, antequam ad caetera transeo, ducor quaſi, & neſcio quo impetu, an jocandi & deridendi, an potius praejudiciorum vim ſeverius caſtigandi, ut paucis explicem, quae dira, quae moleſta bonus illi BRISSOTUS, ex Latinis Recentioribus omnium primus, qui Pariſienſibus, dein Luſitanis, cum incredibili nominis ſui jacturâ, medendi uſu continuo & Apologetica tandem Diſceptatione V. S. directam docuit, perpeti debuerit. Nimirum ille ratione, experientiâ propriâ, atque HIPPOCRATIS & GALENI praeceptis doctior V. S. cum celebraret in adfecto latere, illamque ſuis inculcaret diſcipulis (ex quibus emiſſus unus in Suburbia Pariſiis proximâ, ubi Anno 1515 & 1516. periculoſiſſimae grasſabantur pleuritides, tam laeto ſucceſſu è directo venam ſecuit, ut omnes ad unum reſtituerit, plurimis eorum morientibus, aut in longum languentibus, quorum oppoſiti lateris ſecta erat vena) poſtmodum ſcientiae Medicae perficiendae in Luſitaniam trajecit, cumque ibi forte tunc temporis ſaeviſſimae infeſtabant pleuritides, eas cum curandas reciperet, ſua methodo feliciter evadebant omnes: Sed en malorum exordium! Etenim Luſitaniae Regis Archiater DYONISIUS, cumque eo varii, auctoritate ducti, aut Arabum erroribus impli-

k) MOREAU l. l. ante citatis.

impliciti, oppoſitam cum ſecare ſolerent venam, graves inde exortae lites: hic, ut accidit plerumque, quidam BRISSOTO (qui unus defendendae veritati, ceteris omnibus, falſa ſuſtinentibus, ſuperior certe fuiſſet, ſi contranitentibus inquirendi veri tantum fuiſſet deſiderium) dederunt patrocinia, alii cohorti DYONISII auxiliatrices praebuere manus; & cum vehementer admodum in utramque fuiſſet diſceptatum partem, jusque dirimendi negotii ad ACADEMIAM SALMANTICAM eſſet delatum, eo pervenit, ut Arabum aſſeclae per oppreſſionem à Judice Edictum auferant, atque extorqueant, ne ulli Medicorum adfecti lateris venas pertundere foret licitum. — Atque hac judiciorum acerbitate & ſeveritate pullulantem BRISSOTI doctrinam penitus coercuiſſent & reſecaſſent, niſi aliud BRISSOTO addicti Medici ACADEMIAE SALMANTICAE Decretum impetraſſent, quo vera & genuina, aegrisque vere ſalutifera aſſereretur BRISSOTI doctrina. — Siccine litem compoſitam crederes? nil minus: Dionyſiani quippe ad CAROLUM V., Hiſpaniae Regem provocarunt, contendentes, non modo falſam eſſe BRISSOTI doctrinam, ſed impiam, exitialem, non minorem humanis corporibus perniciem, quam mortalium animis Lutheranorum ſchismata adferentes. — Et parum certe abfuit, quin Caeſaris Majeſtas ſubſcripſiſſet, niſi, pendente lite, CAROLI III. obitus ex pleuritide (in qua vena ſecabatur oppoſita, unde gemina pleuritis & praeceps, ut refertur, interitus) ſuſtinendo BRISSOTI partes, ſi dicere fas ſit, optatus, lugendus aliter, contigiſſet atrox *l*). Ad tantum faſtigium praejudicia pervenire poſſe crederes? incredibilia fere ſunt, at fidem

l) Haec latius adhucdum expoſita legere poterit L. in Apologet. Diſcept. BRISSOTI, invenienda in Tract. cit. R. MOREAU & in BRISSOTI vitâ, ab eodem MORAVIO conſcripta, ex quibus haec praeſertim hauſi.

fidem non derogat error. — Utinam modo non alia ſcriptis mandata, ac poſteris conſecrata forent! Antimonium Lege Publica in Medicina vetitum; Leges à Magiſtratibus, ne operatio determinata, morâ plerumquè inutilis reddita, niſi certis ſub conditionibus, in perniciem laborantis neceſſario tendentibus, inſtituatur cautas; ne & alia, quae hanc rem ulterius poſſent illuſtrare, memorem, qui ſerio cogitaverit; hominum mirabitur ſtultitiam, atque aegrorum, his adhibitis forte reſtituendorum, ſortis miſerebit acerbius.

Expoſita ſic praejudiciorum vi, foecunda illa errorum genitrice, ad reliqua, quae materiam hanc propius ſpectant, transeundum eſt.

§. VI.

ANDREAE VESALII *ſingularis opinio, ejusque examen.*

Nec ſubſtitit hic diſſentiendi libido: dum enim haec agitabantur animoſius, circa annum 1539. novum, & nusquam auditum, dogma excogitavit ANDRAEAS VESALIUS, illudque per Epiſtolam cum NICOLAO FLORENATE communicavit *m*): nimirum, omni in Pleuritide, quodcunque obtinuerit latus, axillarem venam dextri cubiti ſecandam eſſe. Cujus facti hacce in Epiſtola varias adſtruxit rationes, omnes (ut mox ſumus viſuri) non ita ſtabiles: quo factum etiam, ut poſtmodum his contranitentes acquiſiverit Auctores varios *n*).

m) Haec Epiſtola VESALII in Operibus omnibus a BOERHAAVIO & ALBINO editis non invenitur. Tractatus hujus rariſſimi (quem tamen inter meos libros me nunc poſſidere gaudeo) titulus hic eſt, A. WESALII *Epiſtola docens venam axillarem dextri cubiti in dolore laterali ſecandam: & melancolicum ſuccum ex venae portae ramis ad ſedem pertinentibus purgari,* Baſil. 1539. in 4*to* min. forma.

n) Vid. MOREAU l. cit. pag. 34, 42, aliisque in locis.

Credebat ſcilicet Vesalius venam eam axillarem in omni pleuritide ſecandam eſſe, quia, cum nunquam tres utriusque lateris ſuperiores coſtae ob exilitatem venarum, quas recipiunt à vena cava, obque ipſius has coſtas ſuccingentis membranae fabricam minus raram, laxam, & minorem, inflammatione corriperentur *o*); omnisque praeterea inflammatio tantum in venis ſeptem inferioribus, coſtis ſuis uſibus datis, ſuam ex vena conjuge carente repetentibus originem, haerere poſſet: cumque inſuper his inhaerente ſanguine phlogiſtico, ſi inhaeſerit dextris ad oculum per directum fieri pateat, ſtatueritque, dextrae ſi contineant ſanguinem phlogiſticum, prius deduci debere ad originem venae azygae ex vena cava, cum quâ conſentiunt fibrae venarum lateris dextri, cujusque evacuationis minor certe foret via; quid mirum aſſeruiſſe Eum etiam ſatis perſeveranter, *ſequi hiſce ex propoſitis, ſive ex brachio revellere & derivare ſimul viſum fuerit, ſive duntaxat in imbecillioribus viribus revellere, & deinde poſt aliquod temporis intervallum derivare ſtudueris, ſemper dividendam eſſe dextri cubiti axillarem p*).

Etſi in hujus Cap. §. ultima omnium, ne nimium vager, omiſſa criſi, quo proprie in loco, an in adfecto, an in oppoſito, V. S. celebranda ſit, adjicere ſatagam, obiter tamen hic monuiſſe liceat, non majori Vesalium adſeruiſſe ratione, *aut nunquam, aut rariſſime ſaltem, tres ſuperiores coſtas inflammatione infeſtari*, quam vulgus, qui pleuritidem abeſſe credunt, niſi *ſiniſtrum doluerit latus*, aut illos Medicos, quorum alii *ſiniſtrum ſaepius ex legibus Oeconomiae humanae*, alii *magis dextrum adfici* aſſerunt *q*): pleuritidem enim oriri poſſe, & ori-

ri

o) Epiſt. mox cit. pag. 54.

p) L. mox cit. praeprimis p. 43. & ſeqq. aliisque in locis.

q) V. Swietenii Comm. Tom. II. pag. 9. Oosterdy-

ri revera quandoque, quocunque in loco pleurae, ex ejus fabricâ, functione & translatis obſervationibus medicis quam certiſſimum eſt. — Falſae igitur hypotheſi ſuperſtructum argumentum ſe ipſum deſtruit.

§. VII.

Proponitur WIPACHERI *Explicatio V. S. è directo, & num ea rem conficiat inquiritur.*

Paucos ante annos Problematis hactenus examinati novam explicationem exhibere tentavit Doct. WIPACHERUS, quam, ne quid praeteriiſſe videar, adducere etiam hic liceat: & illud quidem eo magis mihi praeſtandum videtur, cum Ejus hac de materie conſcriptus liber *r*) titulum prae ſe ferat, qui rem illam penitus conficere quaſi indicet, & ipſe hic Auctor in Praefatione ſua *s*) aſſeruerit, quod „Problema praeſens à multis jactatum, nunquam tamen perfecte ſolutum, demonſtrationibus Anatomico-phyſiologicis pariter atque pathologicis explicatum tradat."

Quo igitur nodum hic ſolvat, praemittit Anatomen & Phyſiologiam Pleurae, ac inter cetera ibi mentionem injicit (uti ſuo ſcopo convenit) de vaſis tam arterioſis quam venoſis pleuram adeuntibus, atque illa quidem, ut arterias omnes nunc naſci ex aörta inferiori, nunc nonnunquam earum nonnullas ex ſubclavia vel cervicali, & alias quandoque ex axillari, aſſerit. — Venarum porro

DYKII Inſt. Pract. Cap. de Pleuritide §. XIV. TRILLERI Diſſert. de Pleuritide Cap. I. §. XXI. MORGAGNI Epiſt. Anat. Med. XX. Art. 65. & F. WENDT Diſſert. de Pleuritide Gott. 1762. invenienda in Diſſert. Theſauro Cl. SANDIFORTII Tom. II. pag. 104. & in BALDINGERI Sylloge Opuſc. Med. Pract. Vol. IV. pag. 71.

r) Vid. hujus libri titulum §. II. hujusce capit. pag. diſſert. noſtrae 82. in Nota *o*).

s) Pag. VIII.

porro deſcriptionem faciens, lateris dextri omnes nunc in venam ἄζυγον terminari, earum autem ſiniſtri lateris nonnunquam tres, quatuor ſuperiores in ſubclaviam, reliquas in venam ſine conjuge ſuum effundere laticem, aliorum diſſectionibus comprobat. Earum nunc venarum quaſi truncus communis vena ἄζυγος interdum in ramulis anterioribus aörtae, interdum venae bifurcatae, ad renes incipit, & in venam cavam ſuperiorem terminatur: accedunt & hic anaſtomoſes venae thoracicae inferioris, pariter atque ſcapularis internae in ſuas axillares ſeſe exonerantes. In venam porro ἄζυγον venae bronchialis dextrae rami terminantur; ſiniſtra vero hujus nominis vena in ſubclaviam defertur. Anaſtomoſes praeterea arteriae ſubclaviae cum ejusdem nominis venae conjunctae in dextro latere in cavam ſuperiorem, in ſiniſtro in venam ſubclaviam ejus nominis ablegantur. Et haec excerpſiſſe ſufficiat. — Iis autem pro fundamento poſitis, pergit *t*), ac conficit, omnes Arterias ergo, quae pleuram adeunt, oriri ex *axillari*, ex *aörta deſcendente* & ex *intercoſtalibus*, Venas autem terminari in *axillarem* & *ſubclaviam*, donec tandem in communem harum omnium venam, cavam ſcilicet ſuperiorem, terminantur. — Ex his omnibus nunc ita concludit *u*): „Cum itaque hae venae omnes in ſuperiorem cavam ſuum tandem effundant ſanguinem, utique patefcit, & eam eſſe deplendam, ne ſanguis tam copioſe ut ante, & violenter in cor, atque ex illo in arterias praeſtructas ruat, proin & eo ipſo ſanguis arterioſus minuatur ſimul, ne amplius in oppilationem φλεγμονώδην tam violenter ſaevire queat: ab altera parte, per venas ipſas materia ſtagnans, cruore ſubſidente vel potius ſegnius refluente educto, ſpatium acquirat & libertatem locum mutandi, quod communi-

„ter

t) Cap. III. pag. 63.
u) Ibid. pag. 64.

„ter nomine reſorptionis intelligitur, & *haec ſunt, quae* „*noſtra derivatoria venaeſectione ſiunt atque accidunt.*“

Hactenus, niſi fallor, nihil adhucdum demonſtravit, quo delectum unius lateris prae altero praeferamus: omnes enim rami cum in venam cavam ſe exonerent, haecque bifurcetur poſtmodum in duo crura venarum ſubclaviarum, indifferens eſt, quodnam illius cruris aperiatur vas, cum nihil niſi evacuatoria V. S. inſtituitur. Et ſenſit ipſe hanc etiam difficultatem eamque indicavit *v*), atque ut effugium quaereret, his addidit, thoracicam inferiorem & ſubſcapularem in axillarum venam dextram hiare, & hinc, ſi pleuritis in vaſis arterioſis haereat, quae cum iſtis vaſis anaſtomoſin faciunt, medianae ejusdem lateris incıſione exantlari harum venarum communem ſimul & proximum alveum. Haec dum de dextro latere adſeruerat, ad ſiniſtrum tranſit, dicitque *x*), intercoſtales ejus lateris ſuperiores, mammaria interna ſiniſtra, vena bronchialis & mediaſtina antica ſiniſtra in ſubclaviam ſiniſtram, thoracica inferior & ſcapularis interna in axillarem, cum ſeſe effundant, par ratio erit, cur adfecti lateris ſiniſtri V. S. celebranda ſit. — Omnibus itaque ſic propoſitis, hanc materiam ad finem perducit, aſſeritque *y*), „ſi ergo venas, „& quidem ratione trunci communis, in quem ſuum „fundunt ſanguinem, intueamur propius..., ingenue „fateor *idem eſſe*, *idem effici*, venam cavam ſuperio„rem, has venas immediate recipientem, ſive per dex„tram, ſive ſiniſtram depleas ſubclaviam, adeoque & „nihil obſtare, quo minus aeque in oppoſito ac adfecto „inſtituatur venae ſectio latere. At *z*) *contrarium* aſ„ſerere cogimur ob reliquas in pleura occurrentes ve„nas,

v) Ibid. pag. 66.
x) Ibid. pag. 68.
y) Ibid. pag. 78.
z) Ibid. pag. 80.

„nas, venaeque cavae ſuperioris truncum non immedi„ate (ut priores) intrantes, ſed potius loco venae me„dianae ejus lateris propiori, ſubclavia nempe & axil„lari vena ſuum ſanguinem deponentes; quarum in „dextro numeravimus latere duas, in ſiniſtro ſex: ſi „ergo una earum, vel etiam omnes (quod fieri poteſt) „oppilationem φλεγμονώδη ante plexus anaſtomoſium „ſuarum cum arteriis patiantur, neceſſario etiam re„quiritur, ut ſuae propriae ſubclaviae & axillaris de„pletione exantlentur.“

An nunc explicatio haec Ejus Tractatus Titulo convenit? Ita mihi non videtur, Tota enim haec explicatio, ſi quid probet, probat tantum, V. S. adfecti lateris celebrandam eſſe, quotiescunque inflammatio arterias illas obſederit, quae anaſtomoſin faciunt cum venis, quae in ſubclavia & axillari terminantur, adeoque illud tantum probat, quod in nonnullis caſibus particularibus explicari queat, cur venarum delectus alterutrius lateris praeferendus ſit. — At vero ſi reſumamus, venarum numerum (arteriae enim nihil hic ad noſtrum ſcopum faciunt) paucum eſſe, nec conſtantem, cum quandoque omnes venae in ἄζυγον terminentur, haec in venam cavam ſuperiorem, aut ad nullas, aut ad paucas venas, & proinde ad argumentandi genus haud ſatis ſtabile pro concluſione & explicatione generali reducimur, ita ut illa tanti mihi non videantur momenti, argumenta, ut explicatio haec *vera & genuina ratio* delectûs venarum adfecti lateris nominari queat. — Praeterea, ſi jam daremus, haec omnia non ita ratione deſtituta eſſe, exinde, ut opinor, tantum colligendum erit, in iis ſolis caſibus, ubi inflammatio in his vaſis haeret, durante V. S. adfecti lateris venas illas, quae ſeſe in ſubclaviam atque axillarem exonerant, minorem offenſuram reſiſtentiam à columna ſanguinis, per venas brachiales in ſubclaviam adſcendentis. Jam vero utrum

utrum huic imminutae reſiſtentiae tantum quidem tribui queat, ut huic reſolutio in vaſis arterioſis adſcribatur, dubium facere videtur brachii V. S. in morbis Capitis irrita ſaepe, quam tamen non raro proficuam praeſtat venae jugularis inciſio; quae vena jugularis cum in ſubclaviam ſe exonerat, ſimilem offendere deberet reſiſtentiam imminutam ab ejusdem lateris brachialium venarum è directo inciſione. — Haec omnia, quo materiam hanc miſſam faciamus, me inducunt; ut credam, non tanti valoris ejus argumenta eſſe, ut noſtram infirment aſſertionem, at ſtatuendum putem, ſubeſſe hic cauſſas haud ſatis explicitas, detegendas forte clarius, dum hic velum inſcitiae removerit Natura.

Etſi autem Ejus ſententiam amplecti nequeam, in eo tamen commendandum eſſe WIPACHERUM puto, quod in Partis prioris ſui Tractatus quatuor Capitibus doctrinam Veterum & Recentiorum de V. S. in Pleuritide generatim expoſuerit, ita ut omnino conſulendus ſit ab iis, qui noſtrum laborem luſtrare non dedignabuntur, quo ſic hiatum ſuppleant, quem huic Diſſertationi praeſcripti limites relinquere me cogunt.

Ad ſelectum V. S. in morbis Capitis dimidiam partem adfligentibus nunc transeo.

§. VIII.

De Selectu V. S. in Apoplexia & laeſione cerebri, quam conſequitur Hemiplegia.

Vidimus, varios ab omni tempore fuiſſe Medicos, qui venam in morbis hepatis, lienis, pulmonis utriusque caeterarumque partium N. C. modo ſecuiſſe in adfecto, modo in oppoſito aut diſſito loco: haec autem antequam miſſa faciamus, addere adhucdum convenit, quid ſenſerint Auctores de V. S. inſtituenda in adfectione apoplectica, aut laeſione cerebri, quam alterutrius lateris inſecuta fuit paralyſis. Hu-

Hujus quaeſtionis apud ARETAEUM CAPPADOCEM *a*) facta mentio eſt, qui ſcribit reſolutas in apoplectico conſiderandas partes, conſiderandumque in ſiniſtrone, an in dextro latere reſolutio ſit: à ſalutaribus enim partibus (ut dicere mox eſt ſanguinem, inquit, haurire oportet: hac enim ſanguis facile delabitur, hac etiam à laeſis partibus materia derivatur. — Huic ſententiae ſuffragatur Ill. VALSALVA, qui in Tractatu de Aure Humana *b*), poſtquam aſſeruerat oppoſita in parte cerebri haerere ferme ſemper vitium praeſentis hemiplexiae, à cauſſis externis aut internis ſubnatae, dicit: „Ea enim ſuppoſita; jam firmum ali„quod fundamentum habemus determinandi . . . . ., „utra jugularis, item de ſiniſtro dextroque brachio „utrum ad V. S. eligendum ſit; nempe an illud, quod „ex latere reſoluto eſt; an vero oppoſitum." Et „paucis interjectis ſic pergit: Illud tamen obiter innu„am: conſtare mihi, quod in ſimilibus morbis inſtitu„ta V. S. non ex latere corporis magis reſoluto; ſed „(quemadmodum obſervationes meae indicant) ex „oppoſito ſive illo, quod omnino ſanum videbatur, „illico fere aegri aliquid levati ſunt."

Hanc ARETAEI ac VALSALVAE ſententiam ſuis obſervationibus, ſuâque & aliorum experientia, probavit MORGAGNIUS *c*), ita ut referat in paralyſi ſiniſtri lateris, ubi in eodem inſtituebatur V. S., nihil profuiſſe, verum in oppoſito inſtituta, una cum ulcere candenti ferro inuſto & herbis cephalicis ſenſum rediiſſe paulatim, motum non item. — Huic aliam à SALANO traditam VALSALVAE addidit, de muliere nimirum, quae

a) Lib. I. de Morbis Acutis, Cap. IV. In Collectione STEPHANI hoc Caput deperditum ſcribitur.

b) Cap. V. §. VIII.

c) Epiſt. Anat. XIII. Art. 23 & Epiſt. Anat. Med. III. Art. 17.

quae utrinque ex Apoplexia reſoluta in uno tantum latere corripiebatur paralyſi; in dextro ſi à dextris, in ſiniſtro ſi à ſiniſtris miſiſſet ſanguinem Chirurgus.

Praeter adductas rationes, quas attulerunt ARETAEUS, VALSALVA ac MORGAGNIUS, nullas quidem inter legendum mihi in manus inciderunt: inſignem tamen Practicum WERLHOFIUM de ſectione venae jugularis in hemiplegiae latere oppoſito, in *Commercio Norico d*), mentionem indicaſſe invenio; ubi meminit ſe vetulae, ſiniſtro latere toto penitus hemiplecticae, quae ante biennium Apoplexiâ correpta & V. S. in brachio, dein emetico & cantharidibus admotis, ſtatim tractata atque exſuſcitata erat, venam dextram jugularem incidiſſe, eo cum effectu, ut eadem veſpera crus moveretur, & quantum quidem his in adfectibus exſpectare licet, reſtituta fuerit in integrum. — Cur autem hic dextram potius ſelegerit jugularem quam ſiniſtram, nihil addit, niſi illud unicum, quod „per vicinas partes, vaſis nervisque cum adfecta conjunctas, evacuans eſſe videatur" *e*).

Et prima fronte, ſi ad omnia, quae de V. S. in hemiplegia attulimus, attendamus, oppoſitas his ſecari venas crederemus; at vero ſi reputemus, ab omni fere aevo fuiſſe obſer-

d) Vid. Ann. 1734. Kal. Nov. & in Oper. Ejus omn. à WICHMANNO editis Parte III. p. 737.

e) Quid enim de hac V. S. ſentiat ſic explicat: „Mihi „haec venae jugularis ſectio in encephali adfectibus, partim „remedium nonnihil revellens, hoc eſt, adfluentem nimium „ad certas partes ſanguinem ad aliud invitans; partim remedium ex mente vera Veterum derivans, hoc eſt ſanguinem „circa caput vitioſe jam congeſtum & ſtaſi ſeu lentore circulationis impeditum, impetu maximo & affluxus celeritate „inſigne jam ceſſante, diſſolvens, & per vicinas partes, vaſis „nervisque cum adfecta conjunctas, evacuans eſſe videtur, „quae plerumque congeſtionem aliquam ſimul patiuntur." Ibidem.

obſervatum, & hominum hinc opinionem pro certâ in Medicina regulâ aſſumſiſſe, *vitium haerere in dextro cerebri hemiſphaerio, ſi ſiniſtrum corporis latus paralyſi adficiatur, & vice converſâ*; perſpiciemus etiam facile, directam hic inſtitui V. *S.* non autem oppoſitam.

Hanc autem materiam cum in Sect. inſequenti pertractabimus, hic nihil addam ulterius: enucleata prius hac materia, quid hac de V. S. concludendum ſit, adparebit tunc clarius. Ad hunc itaque titulum dum haec releganda ſint, nunc etiam in recenſendis aliorum Auctorum dogmatibus ſubſiſto, & ad ultimam §. hujus Capitis tranſeo.

§. IX.

Quid de V. S. è directo, an ex oppoſito, inſtituenda ſtatuendum videatur, exponitur.

Illud, quod ad ſolvendam hanc Propoſitionem opus eſt, facile peragi poſſe forte quis crederet, cum nunc humorum detecto atque explicito circulo, aliisque N. C. actionibus melius cognitis, horum omnium explicatio futura ſit in promptu. — Ita prima ſane fronte videretur: at ſi quis accuratius parum hanc rem contempletur, inveniet, in nonnullis caſibus, cur pro V. S. directa potior ſit ſententia, explicari facile, in aliis non item; imo in aliis tantam reperiet difficultatem, ut ad experientiam ſolam, forteque effecta ex hominis bipartitione, indeque nato quodam mirabili partium ejusdem Lateris conſenſu & conſpiratione, oriunda, refugere in hâc V. S. adminiſtrandae explicatione ſit coactus, illisque ſolis contentus eſſe debeat.

Scilicet, quotiescunque vitium, quod V. S. requirere videtur, in N. C. ita haeret, ut vel in ipſo loco adfecto, vel cor inter & vitium medio, vena poſſit pertundi, optime intelligitur, cur non tantum V. S. haec evacuet, & corpus totum quantitate determinatâ ſanguinis privet, verum etiam, cur directe ſua effecta prae-

ſtare

ſtare poſſit in ipſam partem adfectam; quomodocunque etiam illa hâc peragi concipiatur. Luculentiſſime ob oculos id ponunt dolores graves capitis, vertigines, phrenitides, apoplexiae, ſimilesque morbi ſpontaneâ, aut artificioſa, narium haemorrhagiâ, aut ſectione arteriarum temporalium, vel venarum jugularium ſoluti; demonſtrant hoc inſuper ſcarificationes, hirudinum adplicationes, rubefacientia, epiſpaſtica, veſicatoria, toties vel evacuando humores directe, vel ſtimulante ſuâ vi, miraculi adinſtar, citiſſime inflammatis partibus levamen conciliantia, ut nullum hac de re ſupereſſe queat dubium *f*). — At vero ſi malum ita haereat, ut directe ex adfecta parte ſanguis mitti nequeat, uti in pleuritide, hepatitide, aliisque, ac tantum evacuando ſanguinis totius maſſae partem aliquam prodeſſe V. S. concipi queat; non ita facile intelligitur, cur potius adfecti lateris vena, quam alia, quam oppoſita ſecanda ſit. — Nec illud verum tantum eſſe de morbis pleuriticis & hepaticis, verum & de morbis capitis, ex hepate forſan ſuam originem repetentibus, ut probarunt ante jam allatae obſervationes, ſic etiam comprobant, quae protulit olim P. FORESTUS. Hic Auctor enim *g*) memorat de ſua Uxore, quod dolore capitis in parte dextera fuerit detenta, una cum tenſione ac dolore hypochondrii dextri, cui adfectioni, praeter alia adhibita remedia, brachii dextri baſilicam cum ſucceſſu tundendam praecepit. De alia muliere refert dolorem capitis ſiniſtrum, ſiniſtri hypochondrii concomitantem tenſionem, cui etiam cum ſucceſſu, praeter alia remedia, ſectionem venae ſalvatellae ſiniſtrae adhibuit.

Etſi autem ratio, cur directa, quam oppoſita, V. S.

 potior

f) Conferri hic meretur ante jam cit. Tract. WIPACHERI pag. 24 & 25.

g) Oper. omn. Tom. I. L. IX. De variis Capitis doloribus Obſ. XLVIII & XLIX. pag. 378 & 379.

potior ſit, ex ſanguinis circulo, in nonnullis caſibus explicari nequeat, nequaquam tamen perinde eſt, quodnam vas aperiatur, cum toties contrarium comprobaverit experientia, ut hanc ſequi quaſi teneamur: quotiescunque enim nobiscum reputamus, quotnam facta Hominis bipartitionem comprobent, quot criſes dimidii Hominis vaſorum conjugii, quod adſtruere anniſi fuimus, exhibeant ſpecimina; quoties denique V. S. directae ſucceſſus fortunatos, infelices oppoſitae docuerit experientia, veritatis illa nuntia; in hac ἐμπειρίᾳ acquiescendum contendere poſſe mihi videor, & non minore jure venae ſectiones κατ' ἴξιν in morbis memoratis praeferendas ſuadere, dataque occaſione inſtituere, quam in aliis fieri ſolet bene multis caſibus Medicinae Practicae, ut ope juſti ratiocinii convenientia adplicemus & propinemus remedia, quae experientiâ & uſu determinatis in morbis prodeſſe comperimus, licet genuinam facti cauſſam non perſpiciamus, & empirice ſolum, ex obſervationibus multiplicatis experimentisque certis, quae calcanda via ſit, doceamur.

Quamquam tamen haec omnia indicare videantur, affecti lateris venam prae oppoſita tundendam eſſe, ſubeſſe tamen poſſent rationes vel impedimenta, quae è directo V. S. vetarent: iis igitur in caſibus, ne quid omiſiſſe videatur Medicus, oppoſitam potius quam nullam venam ſecare oportet. Nam licet verum ſit, & illud veriſſimum eſſe ex effectis conſtare videatur, quoddam emolumentum privum praeſtare V. S. è directo, etſi legibus Oeconomiae Humanae illud ritè adhucdum determinari nequeat; attamen & ab altera parte ſtatuendum eſt, aliquem ipſa humorum evacuatione in morbis inflammatoriis effectum produci proſperum, &, cum in omnibus ſcopo propoſito quandoque ſatisfacere non licet, ut ſaltem, quantum poſſumus, pro parte auxilium praeſtemus oportet & caveamus, ne haud ita feli-

cis

cis ſucceſſus metu conſequamur nullum. Similem, etſi noſtrae ſententiae addictiſſimus, opinionem fovit ante jam memoratus PIETRAEUS, qui hac de re conferri meretur *h*).

Licet itaque ex hactenus cognito humorum circulo, & aliis N. C. functionibus & actionibus, haud perſpicuum ſit, cur memoratas leges hac in re ſequatur mira noſtrae machinae Natura, credibile tamen eſt, illas habere ſuum fundamentum in conſenſu & conſociatione partium, quae quoad Vaſorum inprimis Syſtema, dextrum intercedit ac ſiniſtrum corpus, cujus rationes reddere, &, quantumpote, fontes eruere ſupra allaboravimus. Quod ſi autem quis haec ratione haud ita deſtituta mecum cogitet, eluceſcit, quam utile, quamque neceſſarium ſit, ut in morbis medendis ad hanc Hominis bipartitionem, Veteribus tam probe obſervatam, at Recentionibus neglectam nimis, attendamus accuratius, atque ita ex hac melius cognita, certiores in Praxin Medicam deducamus regulas, deductasque ad hominum inſtituamus ſalutem: „Medicus enim ut (loquar cum doctiſſ. olim Medico Pariſino HECQUET *i*)). „ubi morbum curare adgreditur, gnarus eſſe propen„ſionis & conſenſus & communicationis, quae varia va„ſis humores vehentibus competunt, & medicationes „ſuas ad hanc normam moderari, debet, ita ut nihil „moveat, niſi quae evacuare debet, & per eas vias, „quae maxime conveniunt.“

Haec illa ſunt, quae de materie, quam in hac Sectione tractandam ſumſi, exponenda habebam. Utinam

 modo

h) Conf. ſupra p. 85. Vid. vitam BRISSOTI in Tract. ſaepius jam cit. R. MOREAU pag. 71., ut & PIETRAEI Epiſtolam ad D. GUERIN illi adnexam pag. 116. & 117.

i) *Obſ. ſur la Saignée du Pied.* §. 17., qui locus latine verſus invenitur etiam apud Practicum illum inſignem WERLHOFIUM Oper. omn. Parte I. in nota *f*) p. 114.

modo certiora! malui in multis ignorantiam fateri, quam cum aliis manifeſte erronea agnoſcere & adducere pro exhibenda explicatione phaenomenorum, quae noſtrae tractationi anſam ſuppeditarunt: nec puduit me probabilem adferre Conjecturam, probe conſcium, ab Hypotheſibus quoque nonnunquam utilitatem redundaſſe in Artis Medicae doctrinam & praxin; tanto minus, quum facile peritis pateat, ipſum caſtiſſimum illum Philoſophum NEWTONUM ab Hypotheſibus admiſſis in Naturae contemplatione ad veritates ſtruendas inſignia commoda accepiſſe, neque ullo jure ſtatui poſſit, ab conjecturis adeo alienum fuiſſe ſummum BOERHAVIUM, ut quoque hic in ſua reformatae Medicinae doctrina Hypotheſes non adhibuerit: quorum itaque Virorum exemplo paulo forte audacior factus, his finem impono, dictisque gaudere jubeo B. L., donec in ſacris hiſce enodandis felicior aetas meliora docuerit, vel, quae minus certa nunc videantur propoſita, confirmaverit.

SECTIO SECUNDA.

DE ADFECTIONIBUS ALTERUTRIUS LATERIS, A NERVOSO SYSTEMATE SUAM REPETENTIBUS ORIGINEM.

Introductio.

Medicinae fere coaeva obſervatio eſt, *Unum Cerebri ſi adficiatur latus, ſuos in uno tantum N. C. latere produci effectus.* — Hos effectus ab aequa Nervorum

rum diviſione in utrumque latus deducendum eſſe poſterior credidit aetas: ita ut Nervoſus ille Homo Sydenhamio *a*) celebratus, qui intus noſtram machinam occupat, ſponte ſic in *Dextrum* & *Siniſtrum* dividi debeat, longeque frequentius, quam quoad Syſtema Vaſorum hactenus pateſcit, hujus Diviſionis phaenomena Medicis offerat. — Dum autem obſervationibus ac cadaverum ſcrutiniis poſtmodum compertum videatur, non raro, imo fere ſemper, ita inſequi hos effectus, ut, dextro laeſo hemisphaerio, ſiniſtrum N. C. adficiatur latus, & vice converſa, nata hinc fuit doctrina medica, *eſſe quidem duplex in ſua collectione, diſtributione ac agendi modo cerebri organon, verum ita ſimul illud eſſe comparatum, ut functiones alternent, ſic ut dextri hemiſphaerii nervi ſiniſtri corporis functionibus inſerviant, ſiniſtri dextro corpori.*

Doctrina haec multis accepta, multis etiam rejecta, noſtrum requirit ſcrutinium, & ut in praecedenti Sectione, ſic & hic, quid hac de materie conſtet, Obſervationibus ſtabiliemus prius, viſuri poſtmodum, quasnam hi effectus agnoſcant cauſſas, & quo usque hac de re aliorum admittendae vel rejiciendae ſint opiniones. Praeter hos effectus, quibus Nervoſum Syſtema ejusque fontem duplicia eſſe ut origine, ſic collectione, diſtributione & agendi modo probandum erit, curatius obſervanti & alia comparent phaenomena, quae hanc doctrinam ſtabiliunt, quorumque aut mentio jam fuit facta in Sectione prima, aut, prioribus praegreſſis, facienda poſtmodum, ita ut, omnibus prius diſcuſſis, in cauſſarum examine & confirmanda noſtra de *Homine duplici, dextro & ſiniſtro*, theoriâ ſuum inveniant locum ac ſuam conferant ſymbolam.

a) V. Diſſert. Ejus Epiſtolarem ad G. Cole, Oper. omn. pag. 395. Edit. L. B. in 8*vo*.

CAP. I.

ADFECTIONUM NERVOSARUM DIMIDII HOMINIS OBSERVATIONES CONTINENS.

§. I.

Alterutrius Lateris Convulſio.

Rationalis Medicinae Auctor Hippocrates variis in locis obſervationem de hac Poſteris tradidit. In Coacis Praenotionibus *b*) dicit, „Quibus tempora ſecantur, iis ex adverſa ſectionis parte convulſio contingit." — Hanc obſervationem alio loco *c*) confirmat, cum dicit, „At in capitis ſectione ceterae quidem capitis partes tuto ſecari poſſunt, tempus vero, & quod adhuc ſupra eſt, juxta venam, quae per tempora fertur, haec inquam regio ſecari non debet. Nervorum enim diſtenſione prehenditur, qui ſectus eſt. At ſi ſiniſtra tempora ſecta fuerint, dextra convulſio prehendit, ſin ad dextra ſectio fuerit, ſiniſtra convellitur."

Haec

b) V. Num. 498., ubi & Foesio alia parallela Hipp. citantur loca.

c) L. de Cap. Vulner. Tit. 19. p. 907. Conferri quoque poteſt locus in L. V. Epid. Tit. 21. p. 1140., ubi memoratur hiſtoria morbi Appelaei Lariſſaei, cui ante mortem „corporis dextra facies reliquumque corpus convulſione tentabantur, deinde ſiniſtra pervadebat." V. porro Swietenius in Comm. Tom. I. p. 456, ubi alia Hipp. loca proferuntur, nec non G. Ballonii Libellus, in quo explicatur *cur ſauciatis dextra capitis parte convulſio ſanae partis contingat*, in Oper. omn. à J. Thevart editis T. I. p. 312 & 313., ubi alia Hipp. loca adducuntur & critice perſtringuntur.

Haec Hippocratis dicta, quae aliorum *d*) facile poſſent confirmari & augeri, probant equidem factum tale obtinere poſſe & revera obtinuiſſe, non autem, quo proprie in loco cerebri habenda mali ſedes ſit, cum cadaveris defecerit ſcrutinium: qua propter etiam noſtrum non ita feriunt ſcopum. Notare autem hic verbo liceat, peſſime hiſce diebus acturum Chirurgum, ſi, laeſione capitis obtinente interna, convulſionis oppoſitae metu tempora ſecare, quo trepanum adplicaret, negligeret: per hodiernas quippe obſervationes (& aliquas hac de re cum aegrorum ſanatione *Londini* me vidiſſe laetus recordor) conſtat, terrorem illum Veterum laeſionis temporalium muſculorum panicum fuiſſe, & horum ſectione, quo detegatur malum, tot fuiſſe ſanatos ſeriori tempore, quot hominum vetuſtiori hac incuriâ peſſumdatae vitae ſunt.

Propoſito noſtro inſerviunt melius, quas ſeculi ſui ornamentum, ſuique ſemper in omnibus ſimilis MORGAGNIUS *e*) & POUPARTIUS *f*) produxere obſervationes. Prior ita ſeſe habet: „Juvenis magno ictu „caeſim ad ſuperiorem ejusdem ſiniſtri muſculi temporalis partem ſauciatur. Cum aphonia convulſivi motus junguntur in ſiniſtra quidem parte aliquando ſolum & leves, in tota autem dextera aſſidui, ac adeo

 „vehe-

d) Vid. W. SCHOUTEN in tract. *'t Gewond hoofſt* dicto p. 64. & TH. BARTHOLINI Hiſt. Anat. Cent. V. Hiſt. 2., ubi laeſionis acceptae in dextra capitis parte cum inſequente muſculorum faciei oppoſitae partis convulſione, & in dextris temporum laeſionis cum narium, oris ac brachiorum convulſione in ſiniſtra parte memorantur exempla.

e) L. IV. de Morbis Chir. & Univerſ. Epiſt. Anat. Med. LI. art. 45.

f) Mem. de l'Acad. R. des Sciences ann. 1700. obſ. 19. p. 44. & 45. Corrigendus hic error typographicus commiſſus in b. HALLERI El. Ph. T. IV. p. 333., ubi citatur obſervatio BOUVARTII, quae eſt eadem illa, quam hic relatum dedimus.

„vehementes, ut corpus interdum in hoc latus curvari „videatur.“ . . . Ingraveſcente morbo circa diem interiit decimum tertium. . . . . Pergit porro ſic, „Vulnus non modo temporalem muſculum inciderat, „ſed per ſubjectum os alte in cerebri ſubſtantiam de- „ſcenderat. Dura meninx erat circa vulnus multo „craſſior facta. Circa idem, intraque ſanioſus occur- „rit humor, ex cujus forſan mordaci natura convulſio- „nes fuerant excitatae: certe cum vulnus eo usque per- „venire videretur, ut transverſum duntaxat digitum „ab ſiniſtro ventriculo diſtaret, non illuc tamen usque „ferrum pervaſiſſe, ſed profundiorem excavationem ab „ſucco erodenti, in vulnere genito, factam eſſe cogno- „ſcebatur. In cerebri ventriculis non nihil ſtagnabat „ſeri.“ Poſterior haec continet: quod Juvenis, cum ex alto ceciderat, in ſutura ſagittali acceperit vulnus, cujus effectus inter alios erant, quod, ubi ſuppuratio, quae de tempore in tempus ceſſabat, impediebatur, per aliquod tempus pateretur convulſiones maxillae, brachiique dextri inſignes; ceſſantes ſuppuratione adaucta. Poſt mortem Cl. ille Auctor totum lobum ſiniſtrum cerebri abſceſſu conſumtum invenit, dextrum vero, ut & totum cerebellum, perfecte ſanum. Addit inſuper, Cl. CHIRAC Montiſpelienſem Medicum vidiſſe etiam hominem, qui convulſionibus ſiniſtrae partis fuerat agitatus, abſceſſum habuit in cerebri parte dextera.

§. II.

Laeſo Cerebri hemiſphaerio oppoſitarum partium Hemiplegia.

Si omnes, quas maſculum obſervandi ſtudium, quo inchoata atque adaucta eſt Medicina, collegit olim & nunc, proferre vellem, unde ducendum initium, & ubi ponendi forent limites, vix noſcerem: quapropter eas tantum

tantum exponam Obſervationes, de quarum fide quam maxime conſtat, & ubi ſimul Anatomia habuit locum, quo poſthac melius ſic in affectionum illarum veram cauſſam indolemque inquirere poſſimus. Ut enim omnium, quae vides & non vides, myſteria intra ſua viſcera Natura ſagax plurima recondit, quae obſervando & introſpiciendo detegenda ſunt, ſic non minora pariter in noſtro Microcosmo condidit incognita, quae, ſi patefacienda unquam ſint mortalibus, ſanior certe patefaciet Anatomia.

Vetuſtas iterum hanc Obſervationem poſteris tradidit. HIPPOCRATES obſervationibus, quibus dogmata ſua ſemper ſuperſtruxit, edoctus rem ita ſeſe habere enunciat *g*), ſcil. Capite vulneratos impotentes fieri, ſi in dextris fuerit vulnus, in ſiniſtra parte; ſi vero in ſiniſtris, in dextrâ.

Eandem veritatem agnovere GALENUS *h*) & morborum genuinus Obſervator ARETAEUS CAPPADOX *i*), atque illius adeo fuit convictus CASSIUS, ut inter ſua Problemata medica propoſuerit, „Cur à dextra capitis regione ſauciata membrana, quam meningem vocant, ſiniſtra pars reſolutione incurrat, ſin à laeva id contingat parte, dextram paralyſis maneat?" *k*).

Hiſce obſervationibus majus robur addunt, quae poſtmodum Recentiorum demonſtrarunt cadaverum extiſpicia: atque inter Auctores illos ut anteſignanus primas tenet de Anatomia optime meritus, & magni MORGAGNII magnus Praeceptor, VALSALVA *l*), qui de his

g) Epid. L. VII. Sect. I.

h) De Locis adfectis L. III. C. X.

i) De Sign. & Cauſ. Diut. Morb. L. I. C. VII. „Verum ſi caput primo in dextra patiatur, ſiniſtra; ſi in laeva, dextra nervorum reſolutione laborant."

k) Vid. Ejus Probl. Medica Art. 41.

l) V. Tract. de Aure humana C. V. in medio.

his ſequentia refert: „Notitiam . . . hanc mihi compertam per annorum complurium labores, & quam plurimis cadaverum ſectionibus confirmatam eſſe, ſerio teſtabor; ut probe noverunt nonnulli docti gravesque Viri, nominatim P. MOLINELLUS & HIPPOLYTUS FRANCISCUS ALBERTINUS, qui nempe pro noſtra interiori amicitia talibus ſectionibus adfuere. Nec vero ſolum hic loquor de illis hemiplexiis, quae à capitis vulnere proveniunt, ſed in univerſum aſſero, me nullam ferme vidiſſe in apoplecticis adfectibus alterius medietatis corporis reſolutionem, cujus cauſſam, ſecto cadavere, in oppoſita cerebri parte non invenerim. “

Hanc doctrinam confirmavit ac ſtabilivit MORGAGNIUS *m*), cum inquiat, „Id (quod ſcilicet ejus Praeceptor VALSALVA obſervaverat) „mihi etiam in iis, quas Bononiae & Venetiis habui, ejusmodi cadaverum diſſectionibus ſemper conſtanterque perſpectum eſt. “

Nec aliter hac de re judicium tulere F. HILDANUS

m) Adv. Anat. VI. animat. LXXXIV. Relegatur praeterea Ejus Epiſt. Anat. Med. III. Art. 2. Tom. 3. p. 14. & 15., ubi inquit: „Duo reſtant in hac hiſtoria, quae praecipue conſideremus. Alterum ad dogma ſpectat à VALSALVA confirmatum: in hac enim quoque muliere cum reſolutio animadverſa eſſet à ſiniſtris, cerebri vitium inventum eſt à dextris, &c.“ Et ejusdem Epiſt. Art. 18. Septuagenarius dextro latere reſoluto occidit ſexta die. Cauſſa reperta eſt in atro ſanguine, qui ex turgente lateralis carotidis arteriae ſiniſtro ramo, eoque disrupto, late effuſus, hemiſphaerium cerebri ſiniſtrum totum undique ad ventriculorum usque penetralia vitiaverat.“ A laeſione ſiniſtrae partis ſyncipitis ictu excitato paralyſis dextrae partis, ubi Anatomia dextram partem cerebri oſtendit ſanam, videatur Epiſt. Anat. Med. LI. art. 11, nec non Epiſt. LXII. art. 13. & aliis ibi citatis Epiſtolis.

NUS *n*), LANCISIUS *o*), ANT. DE HAEN *p*), quorum poſterior hiſtoriam tradit Sartoris, qui terrore, moerore gravique ira correptus cubitum ſanus petiit, mane autem proximo evigilans toto latere dextro ſe tumidum ac paralyticum deprehendit; idque haud in crure brachioque ſolis, verum etiam in gena & lingua, ita ut loquens non intelligeretur. Mortuo hoc aegro, ac cadaveris inſtituto examine, in ſiniſtro hemiſphaerio inventa ſunt ſequentia: „Dura *q*) mater á latere ſini„ſtro ſinus falciformis cum cranio concreverat, ibidem„que craſſa ac dura erat. In ſiniſtro cerebri hemiſphae„rio, potiſſimum ad latus, varicoſiſſima eadem erat, „in dextro autem parum tantum. Eademque in plaga, „quâ dura mater cum cranio cohaerebat, etiam arcte „coibat. cum arachnoidea ac pia membranis. Sub „arachnoidaea in poſterioris lobi cerebri parte priori „& laeva, lympha multa ſplendens, hinc inde ſubru„bella, adparuit. Eadem lympha coagulata, tremula, „conſpiciebatur in lobi hujus poſteriore plaga, maxime „inter medullae valvulas ſupra piam matrem, " Non„nullis hiſce interjectis ſic pergit *r*), Ventriculus ſini„ſter anterior ſive ſuperior dictus & ampliſſimus omni„no erat, & tum copioſiſſima rubella aqua, tum gru„moſo ſanguine plenus fuit, dexter vero ejus compar „ſuam & amplitudinem & lympham naturalem habuit. " Ex his omnibus concludit, „ In ſiniſtro cerebri hemi„ſphaerio quae narrata vitia ſunt, ad paralyſin dextri „lateris explicandam ſufficiunt. " — Catalogum denique

n) Vid. Illius Obſerv. à SWIETENIO citatam Tom. I. Comment. p. 456. aut in HILDANI Oper. in Obſ. Chir. Cent. 2. obſ. 3. Exempl. I & III.

o) L. l. de Subit. Mort. Cap. XI. §. 6, 7, 8.

p) Rat. Med. Parte IV. p. 182.

q) Ibid. p. 184.

r) Ibid. 185.

que adaugeat obſervationum par, quod à Boneto *s*) & in *Actis Acad. Reg. Scient. t*) memoratur. Prior de famula eſt, cujus ſiniſtrum latus motu privabatur ac ſenſu: in mortuae cerebri ventriculo inventa fuit aqua turbida, illoque dilatato abſceſſus occurrit magnitudine ovi gallinacei, peculiari tunica craſſa veſtitus: in toto reliquo cerebro nullum vitium fuit obſervatum. Altera obſervatio eſt de paralyſi extremitatum ſiniſtri lateris foeminae, in cujus cadavere, duobus in locis, corticis cerebri ad anteriorem & poſteriorem partem parietalis dextri tumores comprimentes inventi ſunt.

Ipſe *Pariſiis* d. Maji 1779. cum Amico meo expertiſſimo L'Heritier, Noſocomii magni (*l'Hôtel Dieu*) Chirurgo, ut vocant, interno, aperui caput hominis, abhinc quatuordecim diebus ob lapſum in mediam partem parietalis ſiniſtri in Noſocomium delati, & ex illius effectibus ibi mortui. Totum, quod Anamneſis morbi me docuit, eſt, quod caſu ex alto diviſa eſſent integumenta ac laboraverit aeger poſtmodum paralyſi dimidiatâ corporis dextri. Nulla adhibita fuere remedia apta, nec ferrâ, ut loquitur Hippocrates, fuit diviſum caput. Moritur aliquot diebus poſt. Sub vulnere integumentorum pericranium à cranio fuit ſolutum, & hic loci ipſum os parietale levi adfectum exfoliatione. Dura mater intra cranium loco laeſionis ſoluta puris quantitatem aliquam continebat, & duram inter piamque matrem totum hemisphaerium ſiniſtrum pure tectum, & cerebrum eo loci, quo laeſio contigerat, ad ventriculum usque lateralem ſuppuratione conſumtum.

s) V. Pract. Ejus Anat. L. I. Sect XV. obſ. 4. p. 360 Alio fine citatur obſerv. à Cl. Aurivillio in Ejus diſſert. de Paralyſi, invenienda in Sylloge Select. Opuſcul. Cl. Baldingeri Vol. I. p. 202.

t) Pro anno 1742, p. 37, 38 & 39. Relata etiam haec hiſtoria eſt à Swietenio l. l.

ſumtum. Egregia ſane continet ſigna hic caſus pro adplicatione trepani, qua aeger hic ſervari potuiſſet; at cum hic exſpatiari non liceat, relego Legentem ad Diſſert. de Contrafiſſura & Regulis adplicandi trepani in Vulneribus Capitis, quam brevi publici juris facere in animo habeo.

Atque hic Obſervationum, quas, quo probanda probemus, ſufficientes ducimus, ſubſiſtit recenſio *u*): etenim „ tam crebram (ſunt magni MORGAGNI *v*) „ verba, quae mea hic facere liceat) olim apud tot Me„ dicinae & Chirurgiae ſcriptores mentionem invenio „ paralyſis, in adverſa vulneri parte corporis obſerva„ tae, ut, ſi producere aut nominare omnes vellem, „ rem magis difficilem, quam neceſſariam ſuſciperem." Id ſcilicet mihi incumbebat tantum, ut ex obſervationum vaſto catalogo, quem ſerior & vetuſtior collegit diligentia, eas modo ſeligerem, quae fideles omnium ore ac conſenſu habendae forent; de iis, quas non ita fidas habemus, parum aut omnino non ſollicitus. Si quis tamen ſit, qui hiſce non contentus uberiorem, quo exſpatietur campum, deſideret, nulla habita ratione praeſentium phaenomenorum, & ex inſpecto cadavere obſervationum, inter alios adire poterit Ill. HALLERUM *x*), BONETUM *y*), MORGAGNIUM *z*), SIMSONUM. *a*), ACTA HARLEMENSIA *b*), PLATNERUM

u) Addi adhuc poteſt SALICETUM catholicon illud theorema protuliſſe. *Quotiescunque vulneratum alicui caput fuit ita ut inde paralyſis contingat, ſi vulnus dextrae capitis parti inflictum ſit, paralyſin factum iri in ſiniſtra corporis parte, & contra.* Vid. mox citandum locum Clar. MORGAGNII.

v) Epiſt. Anat. XIII. art. 14.

x) Elem. Phyſ. Tom. IV. p. 331. &. ſeqq.

y) Variis in locis.

z) Per totum operis ambitum.

a) Diſſert. IV. a p. 158. ad p. 177.

b) Tom I. p. 387. & Tom. X. Parte 2. p. 459.

NERUM *c)*, LUDWIGIUM *d)*, SWIETENIUM *e)*, KOLPINUM *f)* CLOSSY *g)*, VERSCHUIR *h)*, aliosque innumeros; invenietque toties hanc veritatem obſervationibus confirmatam, ut in aliis Medicinae partibus non majorem hiatum inveniri poſſe, optandum foret.

§. III.

In uno eodemque corpore Convulſio unius, & Lateris alterius Paralyſis.

Ita in hoc morborum genere Natura ſe gerere videtur, ut nunc adfecto hemiſphaerio altero convulſio è directo adfecti hemisphaerii, alterius paralyſis obſerventur, nunc contra paralyſis eodem in latere laeſi cerebri, in oppoſito autem convulſivi prodeant motus. — Quod ut confirmetur, agmen hic ducat PHIL. SALMUTH *i)*, qui, poſt inflictum vulnus capitis de convulſione partis laeſae paralyſique partis oppoſitae, tanquam ſymptomatibus, ut dicit, conſuetis memorat, atque extincto aegro vulnus, cerebro inflictum, é directo partis convulſae deſcribit. — HALLERUS *k)* alternum latus reſolvi, adfectum una convulſivis agitari motibus, HORSTII, TANARON & Cl. LORRY dictis comprobat. — Nec alterni tantum lateris paralyſin, adfecti convulſionem, verum etiam alterni lateris convulſionem, adfecti paralyſin & idem ille Auctor &

c) Inſt. Chir. Edit. Belg. C. de Vulner. Tom. I. p. 480.
d) Adverſ. Med. Pract. Vol. II, p. 287. no. 99.
e) Tom. IV. Comment. p. 120.
f) De Cap. laeſionibus, p. 55. &. ſeqq.
g) Obſerv. on ſome of the diſeaſes of the parts of the human body, &c. relatae in Cl. SANDIFORTII Bibl. Tom. II. p. 788. & ſeqq.
h) in ante jam ſaepius cit. diſſert. §. X. p. 42.
i) Obſerv. Med. Cent. I. obſ. XVII.
k) Elem. Phyſ. l. ante citato.

& Clar. SWIETENIUS *l*) ex BONETI Sepulchreto Anatomico memorant *m*).

SWIETENIUS inſuper ex HILDANO obſervationum par adducit, alteram de muliere, cui contuſo bregmate dextro cum fractura & intropreſſione cranii ſiniſtrum latus fuit reſolutum, dextrum convulſum; alteram de juvene robuſto, qui ſiniſtro bregmate fracto oppoſitum latus habuit reſolutum, adfecti lateris ſpasmo correptum brachium.

Memoratis ſymptomatibus adfectus fuit juvenis, cujus meminit BONETUS *n*): convulſivi nimirum erant motus in dextro latere, paralyſis perfecta in oppoſito. Mortuo hoc aegro vulnus in dextra capitis parte cutaneum tantum, ſiniſtri autem lateris cerebrum ipſum graviter adficiens repertum eſt.

Atque has in praeſentiarum, quibus addi facile poſſent aliae, adduxiſſe ſufficiat obſervationes: de cauſſis enim horum phaenomenorum cum agendum ſit inferius, & alias ſuggerenti adhucdum dabitur occaſio; nec eſt quoque quod ad demonſtrandum, quae demonſtranda volumus, hic plures addantur: non etenim Obſervationum farragine concludendi datur norma firmior, verum ex fidis & veriſſimis, Anatome monſtrante viam, concluſio firma haberi poterit ac juſtiſſima

§. IV.

l) L. I. p. 457.

m) BERENHARIUS CARPENSIS (Lib. de Fractura cranii p. m. 33.) poſtquam memoraverat AVICENNAM ſcripſiſſe, quod accidat laxitas in latere vulneris & ſpasmus in oppoſito in pene pluribus, aſſerit illud contingens modo eſſe, dum modo ſpasmus laeſam, modo oppoſitam occupat corporis partem, atqud idem inſuper de paralyſi dicendum concludit.

n) Anat. Pract. T. III. L. IV. Sect. III. Obſ. VII. §. II.

§. IV.

Paralyſis Dimidii Corporis, & quidem illius, cui inhaeret Cauſſa.

Ordiamur hic ab Obſervatione P. FORESTI *o*), BONETO *p*) & SWIETENIO *q*) etiam recenſitâ, nimirum Pueri, cujus dextrum latus cum fuerit paralyticum, ejus cauſſa etiam in dextro cerebri & cerebelli hemiſphaerio, quod ſanioſum erat, putridum, corruptum & ſanguinolentum, fuit inventa, dum alba, incorrupta & ſana cerebri pars ſiniſtra fuerit obſervata. Huic ſeſe jungunt binae adhuc aliae, à ſollerti illo obſervatoro BONETO conſervatae *r*), quarum altera eſt de lateris dextri abolitione motus & ſenſus ex apoplexiae inſultu, cujus cauſſam medulloſi cruris dextri flacciditatem & atrophiam fuiſſe, procul omni dubio, detexit Anatome: altera eſt magni MALPHIGHII cadaveris Anatome *ſ*), cui, etſi in Medicis tantum tanto huic Viro debeamus, parcere tamen morborum cohors, parcere dira tamen noluit Apoplexia: hic enim ſexageſimo ſuae aetatis anno apoplexia & paralyſi totius lateris dextri fuit adflictus, ac exinde mortuus. — Inſignis Auctor & Defuncti amicus BAGLIVIUS *t*), qui illius cadaver luſtravit, de eo refert ſequentia: „Aperto capite, in cavitate ventriculi dextri cerebri duas „libras circiter ſanguinis nigri & grumoſi extravaſatas „invenimus..... In ſiniſtro ventriculo reſidebat aqua „ſubflava ad pondus ſesquiunciae, eique intermixtae „erant minimae arenulae exiguâ quantitate, &c.“

His denique ſi addamus illas, quas Cl. Viri SMETIUS,

o) Obſ. L. X. Obſ. 11.
p) L. cit. T. I. p. 164.
q) L. cit.
r) L. cit. Tom I. p. 139. & 140.
ſ) Ibid. p. 143.
t) Vid. Opera omnia p. m. 682.

TIUS, RUMLERUS, CABROLIUS, HARDERUS, BARTHOLINUS, TURNEUS, BIANCHI, MORGAGNIUS, SCHLICHTINGIUS, HAENIUS, SULZERUS, CALDANUS & MONROUS obſervaſſe adnotantur ab HALLERO *u*), in obſervationibus proferendis & communicandis ſubſiſtere hic licebit.

§. V.

An Medullae Spinalis laeſiones in oppoſiti Lateris parte ſuos etiam producant effectus?

Huic Quaeſtioni negative eſſe reſpondendum, ſuo jam tempore GALENUS, perſpicaciâ & attentione in ſcrutandis corporis animalis partibus Coaevos, ne dicam, Hodiernos ſaepe praecellens, ſtatuiſſe videtur: poſtquam enim paucis egerat de reſolutione & convulſione ſuam ex cerebri laeſionibus repetentibus originem, ac pronunciaverat, ſpinali, quam vocant, medulla in integrum diſſecta infra caput omnes reddi corporis partis reſolutas, haec ſubjungit: „praeterea *v*) in Anatome vidiſtis, ubi per transverſas ſpinalis medullae „inciſiones ad medium usque ſecundum longitudinem „ſecarent, non omnes ſuppoſitas corporis partes, ſed „eas duntaxat, quae è regione ſectionis erant, reſolutas, dextras quidem dextra ſpinalis medullae parte „diſſecta, ſiniſtras vero, ubi reliqua pars eſſet inciſa, " — Idem Auctor inſignis eandem veritatem, obſcuriori licet dictione, alio aſſerit loco *x*): „Spinalis, ait, me- „dulla

u) Loco ſaepius jam citato.

v) L. de Locis adfectis L. III. C. X.

x) De Adminiſt. Anat. L. VIII. C. VI. Duplex, quem hic commiſit, error HALLERUS (El. Ph. Tom. IV. p. 326.) corrigendus eſt, cum alterius demum lateris muſculos reſolvi, ſi dimidiam medullam ſpinalem ſecueris, GALENUM (Adminiſt. Anat. L. VIII, C. V.) ſcripſiſſe, adnotaverit.

„dulla cum juxta longitudinem ſuperne deorſum verſus „per medium recta lineâ diſſecatur, nullum ex inter- „coſtalium nervis reſolvit, neque eos, qui in dextra, „aut altera habentur; neque eos, qui in lumbis aut „cruribus exiſtunt: transverſa autem, cum dimidia „duntaxat pars ipſa diverſa fuerit, ſive ſiniſtra, ſive „dextra, omnes ordine juxta rectum incisae partis tra- „mitem nervi reſolvuntur.“ Ex quibus dictis ſic concludit: „Cum itaque ſemivocale animal voles reddere, „in hunc ſecabis modum: ſin autem mutum ſubito, to- „tam ſpinae medullam transverſam divides.“

Partes Galeni in hac ſententiâ, experientia, ut videtur, duce, amplexus eſt Aretaeus Cappadox *y*), qui contrarium quaeſtionis propoſitae maniſeſtiſſime ſic enunciat: „Igitur ſi infra caput aliquod „principium adfectum ſit, qualis medullae dorſi mem- „brana *z*) eſt, quae nominis ejusdem ſunt & contigua „dextra in dextris, & in ſiniſtris laeva reſolvuntur.“

Hanc praecedentium Auctorum obſervationem ſuo ſcrutinio comprobavit etiam Ill. Morgagnius *a*), qui de cerebri, medullae trunci, medullaeque ſpinalis fibrarum decuſſatione ſequentia ſcribit: „Caeteras „omnes tum in eodem, tum in reliquis cadaveribus, „inter ſiniſtrum quidem, dextrumque latus interſectas „eſſe, conſtabat; decuſſari autem, nedum quae ab ſini- „ſtro eſſent, eas in dexteram, & quae ab dextero, eas „in ſiniſtrum deſcendere, & ſic commutato latere, de- „orſum per *medullae truncum* pergere non apparebat. „Nec vero certiora vidi in rima altera, quae huic in „poſteriore *ſpinalis medullae* facie opponitur.“

At-

y) Lib. I. de S. & C. diut. morb. C. VII.

z) Non eſt, quod multis adſtruam, per hanc *membranae* laeſionem, ipſius medullae ſpinalis vulnera eſſe intelligenda; cum liquido conſtet, non *membranae* laeſione productum iri paralyſin.

a) Epiſt. Anat. XIII. art. 20. p. 252.

Atque hanc rem paullo inferius *b*) certiorem adhucdum reddidit: „cum enim, inquit, plurimae ab utro„que cerebri hemiſphaerio ad medullam, primo *oblon„gatam*, deinde ſpinalem, conſtruendam demittantur, „harum autem paucae duntaxat decuſſentur; profecto „relinquitur, ut multo plures in medullam recta pro„ducantur."

HALLERUS itidem, alterni lateris abſoluta paralyſi nihil ſimile quid in *medulla ſpinali* locum habere aſſerit *c*); ac illud modo reſolvi latus corporis, in quo vulnus medulla ſpinalis paſſa eſt, aut preſſionem. Quae dicta ut confirmet, RIOLANUM *d*) adducit, G. DE SALICETO *e*), & SOCIETATIS EDINENSIS COMMENTARIA *f*), verum hac de re nihil, ut comparanti patebit, citatis locis inveniendum eſt.

Quaeſtioni propoſitae negative eſſe reſpondendum, palam facit Obſervatio, quam pro ſolita ſuâ erga me benevolentia Clar. & Praeceptor & Fautor meus VAN DOEVEREN, qui ob beneficia in me praeſtita pia mente ſemper proſequendus erit, mecum communicavit: ex qua magnâ evidentia concludi poſſe videtur, illud ſpinalis medullae latus fuiſſe laeſum, in quo locum habuerat hemiplegia, h. e., è directo laeſionis medullae ſpinalis ſubortam fuiſſe hemiplegiam. — „Paucis nimirum abhinc annis in Urbis hujus vicinia contigit infortunium, ut ictu ſclopeti, majores grandines plumbeas continentis, laederetur Nobilis quaedam Virgo in colli parte ſiniſtra poſteriori & inferiori, parum ſupra ſummum humerum, ita tamen, ut caput nequaquam inde fuerit laeſum. Haemorrhagia hinc oriebatur per-

 magna,

b) Ibidem, art. 21.
c) L. cit. T. IV. p. 334.
d) P. 349.
e) P. 330.
f) Medical Eſſays of a Society of Edimb. T. V. p. 207.

magna, quae tamen apta deligatione ſatis cito compeſcebatur. Querebatur ſaucia de immobilitate colli ejusque ac faucium dolore & difficultate deglutitionis, totumque illius latus ſiniſtrum motu carebat & ſenſu. Hoc in ſtatu, mente ſua ſemper conſtans, duos cum transegiſſet dies, ſubito convulſionibus correpta, vitam cum morte commutavit. Scrutinio cadaveris poſtridie à memorato Praeceptore, alioque Medico & Chirurgo inſtituto, patuit clarius, nullam capiti allatam fuiſſe laeſionem, at vero venam jugularem illius lateris plane fuiſſe deſtructam, inque hoc primario contuſionis loco omnes partes molles in indigeſtam & confuſam maſſam fuiſſe redactos, adparentibus in eo grandinibus nonnullis plumbeis. Contuſio ingens & laeſio ſpeciatim quoque facta hic erat nervis cervicalibus, à collo ad brachium tendentibus. — Ipſo ictu non tantum fractura inter quintam & ſextam vertebram fuerat ſuborta, ſed & duae grandines, marginibus aſperis & acutis praeditae, viam ſibi fecerant usque in ſpecu vertebrarum, ac contuſionem induxerant vaginae durae matris, quae coloris erat gangraenoſi. — Num vero (uti veriſimile quidem eſt) ipſam laeſerint medullam ſpinalem, diſtincte videri ac certo determinari non potuit, tum ob ſanguinolentum, gangraenoſum & corruptum omnium contuſarum partium habitum, tum ob difficile judicium, num defectus in ipſâ medullâ conſpicuus illato vulneri adſcribi quidem deberet, num forte potius moliminibus, quae ad partem hanc, adeo profunde ſitam, detegendam, erant adhibita. " — Hanc obſervationem ſi cum ante dictis, ac praeprimis Galeni experimentis, conferamus, nonne hinc concludere licet, laeſionem tantum fuiſſe unius lateris medullae, & illius quidem, quod è directo lateris fuit hemiplectici, alterum autem, quod oppoſitum, illaeſum fuiſſe? *g*) Hoc

g) Adſert Obſervationem *Riolanus* (Anthropograph. L. V. C. L. p.

Hoc ſi adſumatur (& hoc aſſumi hic poſſe non ita precarium mihi videtur) patet hinc, non illam decuſſationem in medulla ſpinali, verum rectum fibrarum ordinem obtinere ac diſpoſitionem, rectisque fibris decurrere medullam ſpinalem. Hanc ſtructuram revera obtinere, quoad ex ejus fabrica intricatiori cernere licet, illuſtrare videntur, quae hac de re adnotavit Ill. HALLERUS, qui memoravit, quod lineam rubentem, quae medullam ſpinalem dividit, deſcripſerit RUDBECKIUS *h*).

Addendum hic eſt, Cl. JO. JAC. HUBERUM in Programmate de Medulla Spinali Gottingae 1739. & in Commentatione de Medulla Spinali, ſpeciatim de Nervis ab ea provenientibus, Ibidem 1741. editis, etiam loqui de Ligamento, quod formatur à pia matre medullam ſpinalem inveſtiente, quodque ſi non integre, in anteriore parte quodammodo medullam ſpinalem in duas partes dividat. A poſtica autem ejus parte (vid. Programma p. 15.). tale non per medium decurrere, neque medullam dividere, aſſerit, etſi in nota dicat WINSLOVIUM (Traité de la Tête §. 124.) illius meminiſſe, & MORGAGNIUM (Adv. Anat. VI. Animad. XIV.) egiſſe de duplici fiſſura medullae, anterio-

H 4 re

L. p. 349.) qua aſſerit, vidiſſe *Nicephorum Gregoram* puerum, cui, cum ſagitta nervum Cervicis percuſſit, contigit, ut inde pes alter torpore corriperetur. & remaneret per reliquum tempus inſanabilis morbus: cum pes alter aetatis progreſſu creſceret, hic in ea tenuitate & brevitate, quae tunc fuerat, conſiſtebat, ſuſpenſus inutilis & otioſus tanquam pondus inanime.

h) Vid. Biblioth. Ejus Anatom. Tom. I. pag. 448. Nec tamen loco citato, nec alio, illud notatum invenire potui, atque hinc illud forſan nullius momenti quis crederet. At ita ne quis opinetur: veriſimile enim eſt, HALLERUM vel aliis RUDBECKII ſcriptis uſum, vel apud alium Auctorem illud legiſſe, ita ut fidem veritatis non deroget in citando ſaepius commiſſus error.

re alia, altera è tergo occurrente, abſque tamen ut addiderit, num utraque per impletam piam matrem facta ſit: verum (pag. 16.) ab antica parte filum, ab pia matre factum, diſtinguitur, robuſtum, cum reliqua hujus parte concolor, ligamenti inſtar per medium excurrens & medullam in duas partes ſejungens *i*).

Quod autem attinet Lineam eam RUDBECKII & memoratum Ligamentum; hiſce ſimile quid in Clar. VAN DOEVEREN Partium C. H. Theſauro nuper conſpexi: ſcilicet inter varia Ejus Praeparata anatomica, quibus uſum, functionesque partium ſuis in Lectionibus explicat, in liquore ſpirituoſo varias ſervat medullas ſpinales, quarum duae, materia ceracea repletae, foetus & junioris infantis ſunt: prior in ſua facie anteriore; ſecunda in ſuperficie poſteriore, ſub arteriâ illâ, quae ab initio medullae ſpinalis ad ejus caudam equinam ſerpit, eminentia quadam longitudinali ſubſtantia externae diviſa conſpicitur, ex qua dextrorſum ac ſiniſtrorſum medullae ſpinalis fibrae quaſi transverſae tendere videntur. In tertiâ ex adulto, prope caudam equinam, linea media illa in utraque facie adhuc manifeſtius erat conſpicua.

Etſi

i) In nota ad hunc textum varios adducit Auctores, ut MUNDINUM, ALEX. ACHILLINUM. ALEX. BENEDICTUM, NIC. MASSAM, SAL. ALBERTI & PAWIUM, qui hujus meminerunt, perque illud paralyſes unius lateris explicare tentaverunt. In Commentatione ſua §. IV. pag. 4 & 5. agit iterum de hoc Ligamento, illudque in Icone III. exhibet, verum illud non ſecare medullam eo audacius aſſerit, quo frequentius autopſia ae de re convictus fuit. Haec nunc quanti ponderis ſint, & quantum valeant prae aliis aliorum Auctorum obſervatis, concludant Legentes. Ne quid veritati detrahere velle videar, haec adduxi licet tamen, hoc ligamento etiam non obtinente, non inde mihi videatur deduci poſſe, quod ideo alternet medullae ſpinalis ſubſtantia pulpoſa.

Etſi ſic eminentia illa, & fibrarum medullae ſpinalis directio ex hac in dextram & ſiniſtram partem, haud obſcure poſſet conſpici; non tamen ideo certum habeo, hinc ſequi, revera talem medullae bipartitionem obtinere: pulpoſa nimis ac tenera ejus compages eſt, quam ut examuſſim hanc queamus examinare. Verum haec ſi cum ante dictis comparemus, robur ſane iis additum iri, non levi, ni fallor, ſuſpicione conjiciendum credo.

Atque haec omnia ſi quis perpendat curatius, negative propoſitae Quaeſtioni reſpondendum, aſſentietur, ac Medullae laeſiones pro dimidia parte ſi fuerint, dimidiam etiam modo infeſtare corporis partem, illamque quidem, quae laeſioni huic contigua eſt, pronuntiabit.

Concluſioni huic obſunt quidem aliquae, quae huic vim inferre videntur, Obſervationes, quarum tamen pondus apud me tanti non valet, ut quid detrahere ante dictis poſſint. Ut autem porro me veritatem hic protuliſſe pateat, ſubnectam ea, quae mea de his continent Adverſaria, judicium, num quid valeant ad concludendum, aequo relicturus Judici. — Eo praeſertim redeunt, ſi quid probent, quod viderint nonnulli fibras transverſas, longitudinales utriusque lateris medullae ſpinalis conjungentes, inter quos referendi ſunt PETITUS *k*), HALLERUS *l*): atque aſſeruerit Cl. LORRY in Diſſert., cujus infra fiet mentio, quod, laeſa medulla oblongata in dimidia parte, producatur ejusdem lateris convulſio & oppoſiti paralyſis. — Nec omitti debent, quae hac de re reliquit Expert. Chirurgus

k) Cl. LOUISII *Recueil d'Obſerv. d'Anat. & Chir.* p. 105. & 106.

l) Prim. Lin. Phyſiol. §. 355.

gus noſtras Ulhornius *m*), qui tantopere deſudavit in demonſtrandâ fibrarum medullarium ſpinalis medullae alterna poſiturâ, ut, quod alii aut non viderant, aut ſi quid viderint, prae ſubtilitate partium pro veritate & certis obſervatis aſſerere veriti ſint, hanc ſtructuram obtinere icone *n*) illuſtraverit, addideritque, cerebri dextram partem ſiniſtram medullae ſpinalis conſtituere, ita ut, dextro cerebro laeſo, ea laeſio in ſiniſtram partem corporis, cui medullae ſpinalis nervi inſerviunt, transeat, & contra. — His addere denique lubet, etſi infidae ſuperſtructa hypotheſi ſit res ſeque ipſam proinde deſtructura, Prosperum Martianum (ut refert Ill. Morgagnius *o*)) credidiſſe, ex arteriolis exiguis & numeroſiſſimis, nervos cerebri & medullae ſpinalis ſuam trahere originem, illosque ſeſe decuſſare, non quidem omnes, verum eorum, qui ſuam è medulla ſpinali, non qui ex ipſo cerebro nanciſcuntur nativitatem, in cerebro alternare origines.

Atque haec ſufficiant: Tuum jam erit concludere Lector! num quid ad evertendam prius aſſumtam ſententiam haec valeant argumenta. Vos meas hic ſuſtinere jam mihi videmini partes, ac ſtatuere pariter, *Medullae Spinalis Laeſiones è directo ſuas laeſionis indicare phaſes.* — Atque hic in illud Obſervationum genus recenſendo ſubſiſto.

Si jam adhuc particulares magis quarundam partium obſervationes, ut unius brachii, uniusve pedis paralyſin, convulſionem, frigus, calorem, horroresve adducere vellem, vix finem invenirem: cuivis in Medicina verſato tales cognitae ſunt: quapropter etiam tantum in §§. ſeqq. unam alteramve ſingularem magis unius

m) In Notis Belgicae Traductioni Inſt. Chir. Heisteri additis, Tom. I. p. 165. & Tom. II. p. 614.
n) Tab. VI. Fig. 2.
o) Epiſt. Anat. XIII. art. 18.

us Lateris adfectionem memorabo; interim tamen, qui ſupradictarum adfectionum obſervationes perlegere vellet, eas expoſitas invenire poterit apud HAENIUM, qui & unius Lateris Choream Sancti Viti, variis in hominibus obſervatam, memoravit *p*) & MANGOLDIUM *q*), aliosque Auctores medicos, quos nunc enumerare neceſſarium haud videtur *).

§. VI.

p) Rat. Med. Part. I. Cap. VIII. n. 5, 6 & 8. Cf. ibid. Part. III. Cap. III. §. VII. & Cap. VI. Aegr. 24. Ed. Vindeb.

q) Vide Ejus Opuſc. Phyſico-Med. poſtmodum cit. p. 290., ubi memoratur ſemitertiana, quae horrores producebat „alternatim à ſiniſtro pede femoreque ad dextrum abdominis latus, „ & à ſiniſtro abdominis latere ad dextrum pedem femurque protentos." Iisdem in Opuſc. (p. 289.) memorat de foemina cholerica, quae ab ira incidebat in febrem tertianam & horrores: „Singulare, inquit, hic erat, quod hi horrores, qui eam „in altum ſubinde conjiciebant, à parte poſtica hepatis inciperent & alternatim à ſiniſtris verſus dextras partibus & vice verſa tenderent."

*) Hoc loco, cum ob dolorem comitem certo ſenſu ad Nervoſos dimidii Hominis Morbos, referri poſſit, apponere liceat ſingularem Obſervationem, paucis abhinc diebus mecum communicatam à Doct. mihique Amiciſſimo F. DEJEAN, quam in ſe ipſo fuit expertus: ſcilicet d. 9. Novemb. 1775. cum *Londini* degeret, mane in carpo ſiniſtro dolorem ſenſit ſat magnum, quem, progenies licet podagrica eſſet, pro inſultu illius generis tum non habuit. Toto die frigori acerrimo cum ſeſe exponeret, inſaeviit dolor: cui medendo, eum partis illius dislocationem vel articuli extenſionem habens, oppoſuit linimentum ex ſapone & ſpir. juniperi calidiſſime adplicatum. Increvit poſtmodum dolor, & omnes articuli ejusdem lateris; de tarſo ad maxillam usque, ſtrepitum reſonuere: ſed maxillae ſtrepitus maxime erat incommodus ob viciniam organi auditus, & quod nec ſalivam deglutire, nec loqui poſſet, quin ſtrepitum perſentiſceret. Strepitus hi, ut & dolor, perdurarunt in ſextam ſeptimanam, ac poſtmodum evanuere pedetentim, relicto & in hunc usque diem perſiſtente ſtrepitu in cubito, ad minimum motum ſe manifeſtante. — Reduci etiam hic Caſus poteſt ad Sect. I. Cap. I.

§. VI.

Catoche & Rigor Dimidii Hominis.

Hanc Nervorum adfectionem dimidiatam memoravit famigeratiſſimus ille DE LA METTRIER *r*), indicans, ſe curam geſſiſſe Virginis 17 annorum, quae, adfectione primum hyſterica correpta *s*), dein evaſit perfecte cataleptica *t*), ac poſtmodum pro dimidia tantum corporis parte hac adflicta fuit adfectione nervoſa *u*). — Hujus obſervationis meminit etiam Ill. SWIETENIUS *v*), aſſeritque eam relatam eſſe in Ejus Libro, cujus titulus eſt *Abregé de la Theorie Chymique*, &c. p. 278.; hunc vero librum, cum nunc ad manus mihi non ſit, haud conferre potui. Interim tamen ex comparatione ſymptomatum, quorum meminit SWIETENIUS, & deſcriptionis, quam idem Auctor dedit in citato Tractatu *de Vertigine*, nullum dubium eſt, quin eadem ſit morbi hiſtoria.

Ejus-

r) *Traité du Vertige*, Pariſiis ed. 1738. in 8*vo*.

s) Pag. 118.

t) Pag. 119. & ſeqq.

u) Pag. 123. & 124. „*Après tous ces accès de Catalepſie Hyſterique, la malade eut pendant près de deux mois un heureux* „*intervalle que le lait de chevre, l'air de la campagne, & principalement l'exercice, lui procurerent. Mais elle fut à peine de* „*retour en Ville, que la Catalepſie reparut, ſans être comme auparavant précedée de l'affection Hyſterique, mais avec d'autres* „*ſingularités remarquables. Elle commençoit toûjours par tomber en foibleſſe, & quelquefois en ſyncope. Lorsque dans cet* „*état on s'aviſoit de la picquer pour la faire revenir, ou de lui* „*faire ſentir quelque odeur puante, elle devenoit Cataleptique,* „*mais pour l'ordinaire de la moitié du corps ſeulement. On l'a* „*vûë auſſi tomber d'elle-même dans cette demie Catalepſie, qui* „*étoit plus ou moins parfaite.*"

v) Comment. Tom. III. pag. 312. „Imo in Virgine obſervatum fuit, quod quandoque dimidium corporis latus tantum „corriperetur Catalepſi, quod adhuc longe infrequentius."

Ejusdem fere generis obſervatio eſt, quam prodidit de *Catalepſi particulari* doct- CH. WEBERUS *x*); quae ſic ſeſe obtulit: „Sexagenaria Virgo, multos per „annos vertigine, clavo ſic dicto hyſterico, viſûs vitiis, „maxillae inferioris ſpasmo, linguaeque paralyſibus ſaepius laborans; ſana ſomno utitur circa noctem, mane „vero oculis apertis, ſplendentibus, immotis, ſine lo- „quela ſenſusque ſignis reperitur in lecto. Ego dex- „trum brachium abdomini incurvatum, digitosque illi- „us contractos, reliquas hujus lateris extremitates in- „feriores itidem incurvatas & paululum immobiles, „ſiniſtros vero artus quocunque modo naturales & „mobiles inveni. Prius latus omni caruit ſenſu." — Remedia hic adhibita, ne *puncturae* quidem tum *dextri*, tum *ſiniſtri lateris*, aliquid praeſtiterunt, imo nec opem attulit V. S. in dextro brachio. — „Altero mane (ſic, nonnullis interjectis, pergit) „dextrum latus etiam „nunc incurvatum quidem, attamen multo fuit mobi- „lius. Tertio mane .... per dextrum latus tremores „agitationesque convulſivas trium quatuorve minuta- „rum, à pede ſemper incipientes, quater vel quinqui- „es obſervavi omni hora, quas in nocte quoque cum „totius corporis vibratione thoracisque elevatione ob- „ſervarant miniſtrae. Aegrota ſemper quieta, immo- „ta quadrageſies ad minimum convulſivas iſtas ſuſtinue- „rat agitationes, quum circa veſperam in profundum ſo- „porem triginta ſex horas durantem incideret. Hoc tem- „pore convulſivi ceſſarunt motus. Artus reperi naturali „modo extenſos, pulſum debillimum, & extrema inter- „dum frigida, interdum calida, quo facto, quinto morbi „die mane lento quodam modo animam exſpiravit. E nari-

„bus

x) Obſerv. Med. Faſciculus I. pag. 22. &. ſeqq. ed. Cellis 1764. in 8*vo*. Iis ſi quis careat, conf. Cl. SANDIFORTII *Natuur en Geneesk. Bibl.* Tom. III. pag. 386. & ſeqq.

„ bus ſanguis poſt mortem minimo motu emanavit tenu„is, inque affecto latere notata eſt ecchymoſis.“

Praeter has duas à DEMETRIO & WEBERO relatas, quantum novi, nullae Medicis expoſitae proſtant obſervationes, quapropter eas habere oportet rariſſimas. At vero (ſi verum fateri liceat) an priori obſervationi habenda quidem fides, dubium eſt: in Medicina enim tam parum probatis Medicis huic Homini machinali tribuitur, ut mihi & aliis ſuborta fuerit ſuſpicio, utrum quidem genuina ſit ejus & probatae fidei Catoches deſcriptio. — Quod ad ſecundam obſervationem attinet: Virginis iſtius ſymptomata, ſi attentius luſtrem, dubius haereo, num haec ad Catalepſis effecta, an vero ad Rigorem ſpaſticum potius referenda ſint: ex comparatione quippe Catalepſeos Symptomatum, Auctoribus variis traditorum, patere poterit, memorata ſymptomata genuinam non indicare Catalepſin, ita ut rigor potius ſpaſticus, quam Catoche, haec habenda ſit adfectio *y*).

Quae licet ita ſint, non tamen proinde deſtruunt, at vero è contrario confirmant inſigniter, Syſtema Nervoſum pati etiam poſſe adfectiones morboſas unius Lateris, intacto ſuperſtite. Et hanc WEBERO memoratam adfectionem non tantum in Syſtemate Nervoſo habuiſſe locum, verum etiam in Textu Celluloſo, aliisque cognatis partibus, demonſtrare videtur adfecti lateris poſt mortem deprehenſa *ecchymoſis*, ita ut iis, quae Sect. I. Cap. I. Obſervationibus producendis, & Cap. II.

y) Rigores tales Dimidii Corporis meminit PECHLINUS (L. cit. pag. 342.) qui dicit: „Novi cui Hemiple„gia correpto omnia membra, caput, oculi, lingua, iam eti„am infra coles, dimidio ſui eoque exacto & ad libellam „ſumto obriguerint, motuque & calore ex parte deſtituta „operoſo demum ſpirituoſorum calidorumque uſu inſtaurari „potuerint.“

II. in Cauſſas inquirendo aſſeruimus, haec addat robur haud infirmum: quod & de ſequenti inprimis verum eſt.

§. VII.

Hemiplegia unius Lateris, una cum Sudore nunc dextri Corporis nunc ſiniſtri, Febre dimidiati Corporis, Convulſionibus aliisque Symptomatibus.

Singularem hunc unius Lateris Morbum in ſe ipſo expertus eſt Clar. Ch. A. Mangoldus, ejusque hiſtoriam delineavit ipſe z), quae ſequens eſt. „ 1. Ante „ complures annos incidi ob continuas diu noctuque agitatas profundas meditationes in Hemiplegiae cujusdam ſpeciem, quae Sudore unius lateris, ſiniſtri nempe, praeſertim vero faciei (reliquum enim corporis „ dimidium non, niſi cum vehementer ſudarem, in „ conſenſum rapiebatur) ſeſe manifeſtabat."

Praeceſſerant (ut aſſerit n. 2.) huic adfectioni ante aliquot menſes ſcintillationes ante oculos moleſtae, adeo nonnunquam auctae„ ut iis celerrima vibratione quaſi ignis excuteretur. Quae dum memoraverat, pergit: „ 3. Hemiplegiae vero dictae producendae plena „ cauſſa erat ſcintillatio, mane quodam ad 2. usque horas producta, ita ut omnia objecta inflammata eſſe „ viderentur, qua ceſſante tandem nebula per ½ horae „ ante oculos obverſabatur, relicta ſtatim uno in oculo „ magna aciei viſus debilitate, quae tamen imminuta „ fuit deinceps, non niſi ſub coelo pluvio redux.

„ 4. Sudor faciei particularis haec ſimul peculiaria „ habuit,

z) In Ejus Opuſc. Phyſico-Med., quae collegit & edidit C. G. Baldinger Altenburgi 1769. in 8vo pag. 293. & ſeqq. Diſſert. in qua haec memoratur obſervatio, exhibet Exper. quasdam Phyſiol - Path. Decuſſationem Nervorum & Fluidi Nervei Naturam illuſtrantes, ed. primum Erfurti, 1766.

„habuit, quod ab aſſumtione acrium raphanaceorum, „& acidorum vegetabilium piperatorum praeſertim in „latus oppoſitum, dextrum nempe, conceſſerit, nec, „niſi magnam eorum copiam comederem, univerſalis „factus fuerit.

„5. Nec reticendum in lateris ſiniſtri manu me „poſthac, tempeſtate paululum modo frigida exiſtente, „frigus ſentiiſſe penetrans admodum in ipſa oſſium me-„ditullia, & illam tum, quaſi contuſa fuiſſet, lividam „non nihil & gravem factam fuiſſe *a*).

„6. In latere dextro vero ſaepe rheumatismos le-„ves, & in pulmone hujus lateris punctiunculas, cum „reſpiratione ibi paullo difficiliori quam antea ſenſi. "

His praegreſſis, Numeris aliquot inſeqq. enarrat MANGOLDUS, quod errore diaetae refrigerantis nimium & caloris frigoriſque viciſſitudine poſtmodum inciderit in Febrem, quae dein typico ſuo admodum regulari recurſu monſtravit quartanae prolongatae vel potius quintanae genium. — Huic convenientia adhibuit remedia & mitigati inde paroxysmi: ſenſit vero tunc temporis urinae colorem fieri rubicundiorem, quin ad fuſcedinem accedentem ob viſcerum ſine dubio (ut inquit) internorum, pancreatis & meſenterii pulmonisque dextri labem aliquam. — Adhibuit tunc remedia temperantia, donec urina colorem haberet naturalem. Conquievit tunc febris per 8 circiter dies, tuncque rerum non naturalium praeſertim frigoris commiſſo errore, omnia producuntur febris ante dicta ſymptomata. Antiphlogiſticis, diapnoicis & laxantibus hanc cum curare

a) Ad hanc coloris mutationem manus addere hic congruum duco, quod nuper legi apud Cl. PLENCKIUM, in Ejus Libello, cui titulus *Doctrina de Morbis Cutaneis*, quique prodiit Viennae 1776. in 8*vo*, pag. 36, ubi ad *Genus Macularum* memorat, quod viſa ſit ſemel in uno ſubjecto facies viridis, latus corporis dextrum nigrum & ſiniſtrum flavum.

rare adniteretur, nec regimen tamen obſervare poſſet juſtum; Ipecacuanhae praegreſſa doſi, qua viridia, bilioſa & viſcida expellebantur, Cortice Peruviano fugavit febrim. Abigitur inde febris, at remanet ſenſus obnubilationis, cum in aëre liberiori obambularet, alternans cum ſenſu lucis ante oculos obſervantis, nec perfecte diſparent ſigna labis in viſceribus. — Venae tunc temporis valde erant inflatae, ac cordis palpitatio & ad ſomnum proclivitas cum pulſu magno Eum plethoram docebant ſanguineam; V. S. hinc inſtituebatur Unc. XII.: inde vires adaugebantur atque alacritas, dolores mitefcebant & ſomnus magis reddebatur diſtans.

Omnium ſic ſymptomatum praeſentium enarrata hiſtoria, cujus epitomen tantum dedimus, ita pergit *b*): „11. Praeſertim vero digni ſunt, qui referantur, 3. „paroxyſmi, quorum unus fortiſſimus, alter minus for„tis, & tertius debilis fuit, & qui in eo conveniunt, „quod phaenomena nervorum fabricam, & praeſertim „Decuſſationem eorum in cerebro, denuo manifeſtent, „ſicque experimentorum in vivis captorum loco haberi „poſſint *c*). — Ante primum ſcilicet refrigeraram cor„pus viſitans aegros, ſentiens frigus & laſſitudinem ca„piebam olei anim. Dipp. minus depurati gtt. viij. „Imminutum inde nonnihil ſaevum frigus, quod ad „convulſiones accedebat fere; ſed ſuccedente aeſtu & „pulſatione arteriarum in capite, ſiniſtri praeſertim la„teris, quae in aliis quoque paroxyſmis praecipuum „con-

b) Ibid. pag. 300.

c) Si Mangoldo obloqui hic liceat, mihi quidem ad decuſſationem demonſtrandam ſingularis haec morbi hiſtoria nihil facere videtur, at vero quam maxime haec augere catalogum noſtrum Obſervationum ac Conjecturis noſtris de horum phaenomenorum Cauſſis adjicere robur, ut cuivis legenti patebit facile, & poſtmodum inſuper in hujus Sect. Cap. ult. demonſtrabitur ulterius.

„conſtituebat ſymptoma, & quam ab obſtaculo in ſinu „laterali durae matris polypoſo, phaenomenis quibusdam ad id perſuaſus, derivavi, cubans in dextro latere, adeo vehementes pulſationes verſus dexterum cerebri hemiſphaerium ſenſi, ut atteri & in totum comprimi mihi videretur, ſymptomate n. 1. recurrente „& gravitate totius lateris, atque partis illius cerebri, „ſenſuumque omnium eo latere imminutione adeo paralyſin illius minitante, ut, niſi ex tempore conſilium „cepiſſem, & mechanicum quidem illud, in hemiplegiam incidiſſem, praeſertim cum pulſatio illa de minuto ſecundo in minutum ſecundum augeretur inſtar elateris liberi redditi vel tympani primo lente, „dein citius, tandem citiſſime pulſi. Conſilium vero „hoc erat, me, quam lentiſſime fieri id poſſet (quod à „minimo motu augeretur illa pulſatio, & occipitis interiora diſtendens dolor) verſus alterum latus movendi & in eo cubandi. Factum inde, ut motus ille arteriarum perniciſſimus non amplius tantum ſaeviret „contra latus cerebri dextrum, & pedetentim quaſi „rotando ſe in ſiniſtrum latus converteret, ſudorque, „quocum, ut in aliis paroxysmis, quaſi unico ictu & è „ſitula inverſa perfuſus fueram, deſineret in dextro latere, & verſus ſiniſtram migraret ita, ut uno minuto „deſereret partem temporum capillis proximam, tum „altero minuto partem frontis, dein occuparet ſpatium frontis, naſi dimidium reſpiciens, cum hoc ipſo „dimidio, dein transiret ad alterum dimidium, & ſic „porro ad ſiniſtrum usque tempus. Tum vero itidem „arteria carotis ſic pulſare accelerato motu, ut omnia „divelli viderentur, & metus ejusdem, qui antea, cum „dextram partem cerebri impeteret, aderat, cauſa ſane „nulla ingruere. Igitur itidem lente me converti ſic, „ut perpendiculare tenerem ad corpus caput. Sudor

„tunc

„tunc ut ante, ſed inverſo ordine, ſiniſtram dereliquit
„partem & dextram verſus conceſſit, potuique mode-
„rare motitando, modo huc, modo illuc verſus impe-
„tum ſic, ut ſudor eſſet, ubi vellem, & motus accele-
„raretur quoad $\frac{1}{3}$, $\frac{1}{4}$ &c. vel imminueretur prout viſum
„eſſet. — Notatu dignum etiam fuit, quod leves Con-
„vulſiones, quin tandem Stupor iſtius lateris, in quod
„impetus vergebat, accederent, & quod partes fere
„omnes in eo latere dolerent, reſpiratione ſimul ibi
„difficiliori reddita.

„12. Sudor, qui alias valde erat effuſus, inſigniter
„ſic moderabatur, & cum poſt alios paroxyſmos valde
„eſſem laſſus, eo magis alacris & vegetus, quin optime
„valens redditus ſum, quo magis me tenerem in ſitu
„dicto perpendiculari, quo impetus nec verſus hoc,
„nec verſus illud latus, dirigi poſſet; cutis etiam, quae
„valde alias, ob cachecticum fere viſcerum ſtatum, erat
„flaccida, jam firmae erat conſiſtentiae, & facies flori-
„di, non tamen rubicundi, vel aeſtuoſi coloris. No-
„tandum etiam, durante graviſſimo impetu omnia ſere-
„na fuiſſe in ſiniſtro latere, & ſenſus omnes ibidem au-
„ctos, cum dextrum latus inſtar trunci ligni rigidum,
„impos & grave eſſet.

„13. Eadem haec fere in altero forti paroxyſmo,
„qui medius erat inter fortiſſimum & debilem, accide-
„runt. Sumſeram ob cibos pingues aſſumtos Semen
„foeniculi, quod maſticabam, Vini nonnihil, & Coffe-
„ae potum, atque ingruente paroxyſmo motu paullo
„auctiori illum praevertere ſtudebam. Eadem igitur,
„ſed minor, cauſſa impetus aucti ut in illo forti. Non
„vero tum obſervavi, ob ipſum hunc impetum mino-
„rem, ſudoris ex uno latere in aliud converſionem, ni-
„ſi valde leviter, & fere tantum à tempore dextro ad
„dimidium naſi illius lateris: ſudabat tamen latus ſini-
„ſtrum totum, excepto capite, per $\frac{1}{8}$ horae, cum ca-

„put inclinarem verſus latus dextrum per idem ſpati-„um temporis. Senſi vero diſtinćte à motu majori verſus unum latus cerebri, e. g. verſus dextrum, in oppoſito latere ſiniſtro dolores capitis auctos fuiſſe, quin „in regione veſicae ſiniſtra punctiones; ut in primo paroxyſmo, obſervavi, deſinentes, cum in alterum me „converterem latus, quod factum ſine dubio à diſtenſione nimia partium harum à polypo jam dilatarum, „quae quidem in principio paroxyſmi non fuit tanta, „quanta in fine. In fine tandem hoc poſt 4 circiter horas „(ab initio) eadem ſerenitas & bona valetudo, pulſusque quietus, ut in forti illo paroxyſmo, eadem firma „cutis conſiſtentia, urina paullo magis citrina ut in illo „forti. Aqua nitro impraegnata egelida moderabam „impetum in mediocri hoc paroxyſmo, prout vellem. „In debili paroxyſmo obſervavi tantum motum auctum „verſus alterutrum latus, non vero ſymptomata dicta.“

CAP. II.

AUCTORUM VARIAS OPINIONES DE ALTERNORUM SYSTEMATIS NERVOSI MORBORUM CAUSSIS PROPONENS.

§. I.

Sententia HIPPOCRATIS, *nec non* BALLONII, FOESII, DURETI, HILDANI *Aliorumque explicatio.*

Partium, quae ante memorata in N. C. producunt effecta, naturam aut neſcientes prorſus, aut perverſe de illa diſputantes cum eſſent Medici, cumque inſuper vidiſſent, obſervationem nonnunquam haud ita conſtantem eſſe, multis etſi, imo pluribus in caſibus, firmam

firmam *d*), non aliter potuit, quin hic diverſas ſuſtinuerint partes, alii has, illas alii. Et quantum quidem ad *Convulſionem* unius Lateris; de hac agens BALLONIUS *e*) varias, quas protulere Auctores, collegit rationes, quibus ea fieri videtur, interque illas recenſet, 1°. ſpiritus & ſanguinis partis ſanae conſumtionem, ob inflammationem ſauciatae partis; vel 2°. convelli partem ſanam, reſoluta aegrâ, per translationem humoris morbifici à parte laeſa in ſanam; vel 3°. illam cieri ob conſenſum, quae dextram inter & ſiniſtram partem eſt, vel 4°. denique *f*) illam produci, quia natura ſanae partis conatur ſe liberare, quum periculum ſit ab eo quod transmittitur. — Hae ſane rationes, paulisper tantum ad ingenii trutinam ſi expendantur, & cum ſaniori pathologiâ, N. C. functionibus, ac earum agendi modo conferantur, nullius momenti declarabuntur facile: quod ipſe etiam cenſuiſſe videtur BALLONIUS, cum primam rationem, cur fieret convulſio, ipſe deſtruat, atque inquiat poſtmodum, „in rei propoſitae „cauſſis explicandis multi elaboraverunt: nec plane „conſtat, quae ſit vera ac germana iſtius convulſionis „partis oppoſitae cauſſa" *g*).

FOESIUS locum *h*) HIPPOCRATIS commentario

I 3

d) Confer inter ſe allatas Obſervationes hujus Sect. Cap. I.

e) Lib. de Convulſ. Tom. I. Ed. THEVARTII pag. 325.

f) Ibid. 328.

g) Licet, ſententiam ſi dicere fas ſit, BALLONII Tractatus gravi huic Quaeſtioni non multum lucis adferat, cum criticâ potius ſcateat diſceptatione, quam ad gravem hanc rem enodandam apta contineat ratiocinia; liberandus tamen eſt BALLONIUS à labe, quam ei adſperſit BARTHOLINUS, qui rationes, quas ille ex aliis Auctoribus attulit, ut ipſius BALLONII dicta ventilat, illisque acquieſcere poſſe neminem aſſerit, vid. Hiſt. Anat. Cent. V. Epiſt. II. p. 4.

h) Vid. Sect. hujus Cap. I. §. I.

tario brevi illuſtrans dicit, cauſſam hanc, ut ſubobſcura eſt, ita magnam habere in re medica quaeſtionem, eamque etiam minime explicatu facilem: aſſerit praeterea, illam indicaſſe ipſum Senem in *Prorhetico*, Eumque hujus convulſionis in Temporum praeciſione cauſſam exquirentem, tria poſuiſſe, ex quibus nata videretur convulſio, ſcilicet τὴν περὶ τὸν κρόταφον ἀρτηριῶν διακοπὴν, τὸ μέθυσμα, καὶ τὴν αἱμοῤῥαγίαν. — Praeter hanc Hippocratis explicationem eodem in loco Foesius aliam rationem ipſe proponit, nimirum, „ iſtud certe „ maxime referri poſſe videtur ad partium inter ſe „ cognationes, & germanas quasdam neceſſitudines, „ quas ἀδελφιξίας vocat Hipp. *i*): & plurimae viſuntur in nervorum extenſionibus & muſculoſo genere, „ adeoque inter ſe conſentientes habent adfectiones, „ ut uno laeſo alterum compatiatur ac condoleſcat. Sic „ muſculis unius partis praeciſis aut reſolutis, alterius „ partis muſculi velut convulſi in ſeſe colliguntur & „ contrahuntur. Eodemque modo, muſculis ab altera „ maxillae parte reſolutis, ſanam partem breviorem fieri „ & contrahi, ad eamque laeſam ſequi velut muſculis „ ad ſua initia collectis, ſcribit Galenus *k*). “

Lud. Duretus *l*) mire doctus Hippocratis dogma explicat tali modo, ut mihi, nec aliis forte, placeat: poſtquam enim de convulſionis cauſſa egerat, dixeratque, ideo proprie oppoſitas partes convelli, quia congeneribus vel antagoniſtis muſculis ea inſit conditio, ut, ſi alterutrius lateris laxentur, è diverſo injuſſi ac nobis invitis colligantur, haec adhucdum addidit: „ ſed „ convulſionem à diverſo partis praeciſae ideo ſcribit „ accidere, quoniam eo perverſio eſt maxillae, à muſ„ culorum ipſam moventium, injuſſa quidem nobis, „ non

i) L. de Articulis.
k) Comment. III. in Lib. de Articulis.
l) Comment. in Hipp. Coac. praen. p. 407.

„non tamen invita ſibi collectione convulſivicâ, omni „cauſa vacantium. Sed praeciſorum contractio eſt cerebrum verſus, tum laeſione ipſa, tum ſocietate & viciniá principatus aeque adflicti & inflammati. Eſt „enim principatuum & ſubjectarum partium, inprimis „vicinarum & ſociarum, facillima omnium ſympathia „& ſyntimoria. Nam mutuo ſe adficiunt, mutuasque „tradunt operas in aegri perniciem.“

Fabricius Hildanus *m*) eodem modo hanc rem explicuit: nimirum, ideo convulſionem partis accidere oppoſitae, credidit, quia muſculus partis ſanae, dum ſuo fungitur officio, maxillam ad ſe trahit, laeſus vero quia nunc ſubſiſtit, evenit, ut maxilla verſus ſanam partem, non ſine maximo dolore & vitae diſcrimine, trahatur.

Atque hae ſunt, quas Auctoribus recenſitas invenio, ſententiae *n*), quibus explicari poſſe crederent Convulſiones unius lateris: etenim cum dicit J. Berengarius Carpensis *o*) fieri illa phaenomena, „quia „pars propinquâ vulneri eſt magis debilis ideo relaxa„tur, quia non poteſt contrahi,“ atque addit, „item „alia eſt cauſa, quia ad partem laeſam currit major ma„teria & ſubtilior, quia primo movetur ad partem de„bilem, poſtea ad fortem, & ſubtilior eſt mobilior, „ideo citius ad partem laeſam currit, & ſic mollificat; „groſſa autem oppoſitam partem ſpasmat;“ ut non multum bonae frugis haec continent, ſic etiam ſpasmum potius ſpectant oppoſitae partis & paralyſin in eadem unius individui.

m) Cen. 2. Obſ. 8.

n) Alias rationes haud ſane majoris ponderis vid. in notis ad Libr. IV. Sect. III. obſ. 3. §. 7. Anat. Practicae Th. Boneti.

o) Lib. de Fract. Cranii p. m. 33.

§. II.

Staminum Cerebri & originis Nervorum Decuſſatio, ARETAEO *jam dicta, a* CASSIO *prolata.*

Harum omnium, quas mox protulimus ſententiarum, cum viderint poſtmodum inſufficiens pondus Auctores varii, aliam ingreſſi ſunt viam, haecque omnia explicari poſſe crediderunt, ſi verum foret, originem partium illarum, quibus motus aeque ac ſenſus perficiuntur, locatam eſſe in parte oppoſita illi loco, ubi ſuos edunt effectus, ſive, quod eodem redit, motus ſenſusque principium, quod à ſiniſtris eſt, in C. N. ſedem ſuam occupari in partibus, quae à dextris ſunt, & contra. Hoc ut plenius quodammodo intelligatur, ſcire oportet, vetuſtam admodum eſſe adnotationem HIPPOCRATI *p*) jam memoratam, Cerebrum & Cerebellum, unde ſenſus oriuntur omnes atque motus, in origine ſua, collectione, diſtributione & operatione videri duplicia, atque hinc explicandum eſſe, quî una pars perſiſtere poſſit integra atque illaeſa, dum altera, quoad ſpeciem ejus corpoream, impotens omnino ſit ad omnia. Haec itaque quum vidiſſent, abſolutam hanc quaeſtionem crediderunt, ſi Nervi à dextris oriundi ſiniſtrae impertirentur corporis parti, & contra.

Hoc dogma Recentioribus multis etſi praecipue pertractatum fuerit, non tamen omnino Vetuſtioribus etiam fuit omiſſum & incognitum: quicunque enim mecum evolvet ARETAEUM CAPPADOCEM *q*) CASSIUM-

p) L. de Morbo Sacro pag. 304. ubi dicit, „Cerebrum homini, ut reliquis omnibus animantibus, duplex eſt, cujus medium tenuis membrana dividit. Ideo non ſemper eadem capitis pars dolet, ſed ſigillatim utraque, interdum vero totum."

q) Vid. Locum p. 112. citatum, ubi illud manifeſto patet, cum ſi inquiat caſtiſſimus hic Naturae Obſervator: „Hoc ideo evenit, quod nervorum initia permutata ſint: neque enim „dextri

SIUMque r), illos ſtatuiſſe comperiet, quod apoplexiae vel vulneribus ſupervenientia ſymptomata à nervorum decuſſatione repetierint.

Dum autem à magnis hiſce Viris, dumque ab aliis, hanc doctrinam exhibitam inveniamus, quid de hiſce adnotaverint luſtrare nunc expediet: atque ad haec nunc transeo.

Ex cerebri, cerebelli, medullae oblongatae & ſpinalis ſubſtantiâ omnia, quae ſenſui ac motui inſerviunt, proveniunt organa, Nervorum titulo adornata: quadraginta illorum paria ſingula ſuo quovis ex hemiſphaerio & medullae ſpinalis lateribus, ut oculo patet, provenientia, ſua per foramina exitum è cranio vel ſpinali theca accipientia, ſuis ſingula diſtribuuntur partibus, ut motum aut ſenſum, aut utrumque iis impertiant. — Atque haec Anatomicorum detegit ſolertia, cum eorum inſtituunt examen. Haec itaque ſi ſic ſeſe haberent in interiori cerebri ſubſtantiâ, ſua phaenomena quivis nervus ſuo in latere, ſuos etiam produceret effectus, ſi laeſus, aliove modo ſua legitimâ functione ac tenore fuerit privatus. Verum Medici attenti oppoſito modo phaenomena accidere experti, originem nervorum ante ejus exitum decuſſatam jam eſſe, poſt ARETAEI & CAS-

„ dextri nervi in dextras partes ſecundum rectum usque ad extre-„ mum progrediuntur: ſed ab initio enati, protinus ad oppoſi-„ tas transeunt, ſe invicem permutantes in figuram dictam „ χιασμὸν, id eſt, *quae repraeſentat hanc litteram X.* "

r) Vid. ibid. Not. *k*). Poſtquam enim hic Auctor problematice propoſuerat, ut vidimus ſupra, cur fiat reſolutio, in oppoſitâ laeſionis parte, hanc ſequenti modo explicat: „ Referenda „ eſt cauſa ad nervorum, originem ſuam è cerebri baſi trahenti-„ um, ſitum. Hi namque ſe invicem decuſſant. Siquidem à „ dextra baſis parte exorti in laevum capitis ſinum feruntur: qui „ à laeva, in adverſum: ita ut eorum ſitus decuſſatim concur-„ rat. Nil mirum igitur, ſi vulnerata dextrae partis membrana, „ ſiniſtram reſolvi contingat; ſic vice verſa de altera dicendum."

Cassii monita, crediderunt, interque illos praecipue numerandi ſunt Lancisius, Santorinus, Petitus, Winslovius, Molinellus, aliique *s*), quorum cogitata, experimenta, demonſtrationesque anatomicae tanti hac in quaeſtione momenti ſunt, ut illorum ſententias expendere nunc paulo fuſius expediat maxime.

§. III.

Decuſſationis Doctrina à Lancisio, Santorino, Petito, Winslovio, Molinello, Swietenio *Aliisque confirmata.*

Lancisius *t*) aurigae repente lapſi de ſella currus dextrorſum, ac mortui, hiſtoriam memorans, ſe hujus cadaveris Anatome comperiſſe ſcribit 1°. contuſum cranium in dextero tempore, cum rima inſigni; 2°. intra cranium & pone duram matrem eo loci ſanguinem effuſum, & quaquà verſum diffuſum; & 3°. dextrum hemisphaerium citra ſenſibilem defectum, in ſiniſtro vero vaſorum plenitudinem, diſtenſionem, nec non interioris cerebri ſubſtantiae coloris mutationem. — His enarratis pro aetiologia, cur potius hic auriga dextrorſum procubuerit, addidit, quod lapſus hicce acciderit ob moram cruorisin ſiniſtro cerebri hemisphaerio: quae poſita ut confirmet, ac ſuam de nervorum decuſſatione indicet ſententiam, ſic pergit: „debilitatâ enim „dextra corporis medietate, in quam communi, firmi„orique Anatomicorum opinione diſtribui creduntur „nervi

s) Sic Petito memorantur Prosper Martianus, Caesalpinus, Hoffmannus. Vid. ſaepius cit. *Recueil des Obſerv. &c.* pag. 53.

t) De Subitaneis Mortibus L. I. C. XI. §. 6, 7 & 8. pag. 12. Oper. var. Venetiis ed. 1739. in Folio. Et hac eâdem de materie idem ille Auctor conferri meretur in Obſ. 4. Phyſico-Med. p. 40. & ſeq., praeſertim vero p. 44 & 45.

„nervi, qui à ſiniſtro cortice proficiſcuntur, minimo „negotio deficere eo in latere aequilibritas trunci, & „verſus illud caſus totius corporis contingere pote- „rit.“ — Decuſſationem ſtaminum nervoſorum, de quâ Anatomicorum auctoritate perſuaſus erat, Eum itidem alio loco *u*) conjectura aſſequi velle patet quam evidentiſſime. Quod ut eo melius ſuccederet, praemittit primum, corpus calloſum conſtitui à fibris medullaribus, quae procedunt à duobus ſegmentis corticis ſuperioris & anterioris cerebri, quae ſtamina ſuis ſecretoriis ductibus praeparant ad conſtruendam corporis molem *v*). Quod dum propoſuerat, concludit, hinc evidens eſſe, ut per transverſales calloſi corporis fibras cerebri ambo hemisphaeria conjungantur ſibi invicem ac fiant continua, & medio corpore calloſo radices medullae ſpinalis, quae a cerebro proficiſcuntur, unian- tur, atque in perpetuo ſerventur commercio. Deſtructura corporis calloſi ejusque fibrarum ordine porro agens ſuperaddit, ſectione corporis calloſi ad horiſontem parallela facta inveniri coagmentatum illud à nervis medullaribus transverſim, atque inter ſe ſimiliter parallelis adeo ſaepe in nonnullis cadaveribus perſpicuum, ut referre videantur ſtamina contexti ſerici craſſiora. — Quibus propoſitis, ſuam conjecturam de fibrarum decuſſatione ſic enunciat: „Et quamquam hujusmodi fibrae, „quatenus ſunt inter ſe parallelae, & cum iisdem utrin- „que terminis continuae, videri poſſint omnes, ac ſin- „gulae ab uno principio in unum finem deſinere; ve- „riſimilius tamen mihi eſt, alterno ductu, alterum à „ſiniſtro hemisphaerio in dextrum ventriculi fornicem, „alterum à dextro hemisphaerio in ſiniſtrum fornicem „protendi. Nam cum vaſa cerebri in ſuperficie, ſeu „corti-

u) Diſſert. de Sede cogitantis animae Oper. Var. p. 105.

v) Conf. cum his Epiſtola PETITI in ſaepius cit. Tract. LOUISII *Recueil*, &c. p. 97.

„cortice, ſaepe ſaepius decuſſentur, non abludit à vero, „in calloſo corpore hujusmodi alternum fibrarum tex„tum recurſumque inveniri; quo ſcilicet liberum com„mercium (intercedente corpore calloſo) in has medul„lares partes, in medullam ſpinalem deſituras, retine„atur."

Santorinus ſic illam Decuſſationem probat: „Nos autem ſic eam luculenter conſpeximus, ſic evi„denter, ubi apta incidere licuit cadavera, demonſtra„vimus, ut nulla amplius nobis hac de re ſuperſit dubi„tandi ratio. Id autem triplici potiſſimum in loco „animadvertere potuimus, in utraque ſcilicet priore „poſterioreque annularis protuberantiae crepidine, at„que maxime in imo medullaris caudicis, quâ in ſpina„lem abit. In priore itaque annularis protuberantiae „parte, qua ſuperius reflexa pro comprehendendis ob„longatae medullae cruribus in anguli formam interius „producta terminatur, ſic ex concurrentibus fibris, „ſtrictiorique agmine coeuntibus altera alteram ſcandit, „ut praeter mirum implexum decuſſatio luculentiſſime „adpareat. Id ipſum ferme in poſticâ ipſius crepidine „occurrit. Eo iterum in loco, qui quarto ventriculo „ſubjicitur, praeter varios fibrarum ordines & colores, „in adverſum latus productas & decuſſatas fibras com„mode ſpectavimus. Si ea tamen evidenter uſpiam „conſpicitur, profecto quam evidentiſſime duas vix li„neas infra pyramidalia, atque adeo olivaria corpora „conſpici poteſt. Qua enim in longitudinem producta „lineâ, ſeu rimula, pyramidalia corpora diſcernuntur, „ſi leniter deducantur, probe prius eo potiſſimum loco „arctiſſime haerente, tenui meninge nudata, non tenues „decuſſari fibrillas, ſed validos, earundem faſciculos „in adverſa contendere, quam apertiſſime demonſtra„bunt." x). Ordine

x) Obſ. Anat. Cap. III. de cerebro §. XII. ſive mox cit. *Recueil*, &c. p. 206.

Ordine jam ſequitur PETITUS, cujus obſervata jam luſtremus oportet. Auctor *y*) hicce quam plurimis obſervationibus ex laeſis hominibus deſumtis, atque experimentis in canum alterutro cerebri hemiſphaerio inſtitutis, didiciſſe ſe aſſerit *z*); ſpiritus animales, dextro in cerebro ſecretos, motibus inſervire partium, quae à ſiniſtris ſunt, & vice converſa; ſaltem ſic ſeſe habere rem in Nervoſo Syſtemate extremitatum N. C. — Nec tantum hiſce contentus, aut ex iis ſolis cauſſam interpretari volens, ipſam ſubſtantiam cerebri luſtravit, atque ibidem manifeſtiſſime illam decuſſationem ſe inveniſſe declarat *a*).

Sequitur nunc WINSLOVII ac MOLINELLI proponenda ſententia, quorum Prior *b*) ſe in medullâ oblon-

y) Vid. *Lettres d'un Medicin du Roy à un autre Médecin de ſes amis, à Namur* 1710. in *4to.* rarae hae Epiſtolae conſervatae ſunt à celebri LOUISIO in ſaepius cit. *Reçueil &c.*

z) Ibid p. 52, 78 & 108.

a) Ibidem p. 92. & ſeqq. ubi haec habet verba: „*Il s'agit préſentement de ſçavoir de quelle maniere ce changement ſe* „*fait, c'eſt ce que je crois avoir trouvé. — Toute la ſubſtance* „*corticale qui ſe trouve dans les hémiſphéres du cerveau, four-* „*nit toute la partie médullaire, qui n'eſt qu'un amas d'un nom-* „*bre infini de tuyaux, dont les uns produiſent le corps calleux,* „*& les autres ſe raſſemblent pour former les corps cannelés* „*moyens. La partie inferieure des cuiſſes de la moëlle allongée,* „*qui paroit entre les nerfs optiques & le* proceſſus *annullaire,* „*eſt une continuité des corps cannelés moyens. Les fibres me-* „*dullaires, qui la compoſent, paſſens au travers du* proceſſus „*annulaire, ſeparées les unes des autres par les fibres de ce* pro- „ceſſus, *pour former uniquement les corps pyramidaux. Chaque* „*corps pyramidal ſe diviſe à ſa partie inferieure en deux groſ-* „*ſes manipules de fibres, le plus ſouvent en trois, & quelque-* „*fois en quatre. Celles du côté droit, en s'engageant les unes* „*entre les autres.*"

b) *Traité de la Téte*, Tom. IV. p. 171. n. 110. Ed. in *8vo.* vel *Recueil des Obſ.* &c. p. 212.

oblongatâ decuſſationem plurium fibrarum medullarium ex una ad alteram ejus partem transeuntium inveniſſe; Poſterior *c*) experimentum in cane inſtituiſſe, qui, laeſo & ablato lobo cerebri ſiniſtro, dextra in parte paralytica affectione confirmavit opinionem de hemiſphaeriis cerebri motum & ſenſum in oppoſitis partibus producentibus, aſſerunt.

Propoſitae ſententiae addictum etiam invenimus Illuſtrem magni BOERHAAVII Commentatorem: SWIETENIUS nempe *d*) illam Decuſſationem nervorum agnovit, ac inde explicanda eſſe phaenomena illa apertiſſime declarat, dicit enim: „Cum ergo numeroſiſſimae obſervationes Celeberrimorum Auctorum, & „experimenta in vivis animalibus capta, decuſſatam illam cerebri ſentientis & moventis actionem confirment; pauca tantum habeantur exempla, quae repugnent huic ſententiae, illaque adhuc poſſint ſic explicari, ut ſaltem minus repugnare videantur; patet, „ſi non omnino certam, ſaltem maxime vero ſimilem „eſſe hanc opinionem, qua ſtatuitur, quod ſi unum „latus paralyticum alterum convulſum fuerit, tunc mali origo haereat intra cranium in illa parte, quae lateri paralytico opponitur. Si vero convulſio v. g. in „dextro latere corporis adpareat, & nullum omnino „vitium adſit in latere ſiniſtro, tunc ob eandem cauſſam „admodum videtur probabile, ſiniſtram cerebri partem „adfectam eſſe ſic ut aequabilis influxus ſpirituum in „muſculos dextri lateris turbetur quidem, non tamen „impediatur omnino *e*).“ Atque

c) De Bononienſi Scient. & Art. Inſt. atque Acad. Comment. Tom. I. p. 139. vel in l. *Recueil* p. 215. collata cum illis, quae habet MORGAGNIUS in Ep. Anat. XIII. art. 16. & art. 20.

d) comment. loco ſaepius citato Tom. I. pag. 456. & 459.

e) Conferri cum hiſce meretur PLATNER Inſt. Chir. Tom.

Atque haec ſufficere videntur, quibus Decuſſationem tot tamque gravis auctoritatis fideique probatae Viri adſtruere ſunt anniſi. Antequam autem hiſce colophonem imponam, neceſſe admodum duco in medium proferre, quae MORGAGNIUS protulit: ut enim ex Ejus lectione didicimus varia, quae ex aliis, quos citavimus hinc inde, Auctoribus collegit, ſic etiam ſua cogitata non parum momenti habent hac in re. Gravis ille auctor, poſtquam varia de celebratiſſima hac quaeſtione nervorumque decuſſatione diſputaverat, dicit *f*) aliorum conſtantibus & propriis experimentis ductus, „Ego, quaecunque tandem ratio ſit, quam pro variis „caſibus variam eſſe poſſe video, quemadmodum cen„ſeo, haud ſemper ab eâdem parte capitis, quâ ictus „aut vulnus exceptum eſt, eam cerebri laeſionem eſſe, „quae paralyſin efficiat, ita ſuſpicor, iis in caſibus, in „quibus haec in eo corporis latere ſe oſtendit quod „vulneri ſubjiciebatur, fortaſſe non in vulnere, ſed in „laeſa cerebri oppoſita parte reſolutionis cauſſam fuiſ„ſe quaerendam."

§. IV.

Tom. I. p. 498. Ed. Belg., ubi aſſeritur, decuſſationem in medulla oblongata obtinere, indeque explicari & inveniri poſſe paralyſeos & convulſionis cauſſam efficientem: ſcilicet illam haerere in hemiſphaerio cerebri paralyſi oppoſito, & ſi ſola adfuerit convulſio, illius cauſſam eſſe in loco cerebri convulſioni ipſi reſpondente. — Meretur etiam, ut omnino ad hunc locum conferantur notae à Doct. HOUTUYN l. c. adjectae, ubi in fine inquit ille Auctor, nos cautos eſſe oportere, ne hanc rem certiſſimam habeamus, cum non ſit niſi veriſimillima. Eadem haec decuſſationis doctrina memorata adhuc invenitur apud ANT. DE HAEN. in R. M. Parte; IV. pag. 210 & 211. Ed. Vindeb.

f) Epiſt. Anat. XII. art. 16. ab initio.

§. IV.

Singularis SAUCEROTTI *de cujusvis hemiſphaerii Cerebri alterna Decuſſatione Opinio.*

Decuſſationis doctrinae novum adhuc acceſſit dogma: non tantum ſcilicet decuſſari hemisphaeria cerebri dextrorſum, verum & ab anteriori ad poſteriorem partem cerebri fibras alternare, ex quibus nervi proveniunt, qui motui & ſenſui extremitatum ſuperiorum inſerviunt atque inferiorum; ita quidem ut ex cerebri v. g. dextri parti poſteriori proveniant nervi, qui brachio inſerviunt ſiniſtro; ex parte autem ejusdem lateris anteriori, qui è directo brachii extremitati inferiori ſuos impertiunt motum ſenſumque.

Hujus dogmatis Auctor eſt Chirurgus Gallus SAUCEROTTE, qui in pulcerrima Diſſertatione de *Contraſiſſura*, Anno 1768. ab Acad. Reg. Chir. Pariſina praemio condecorata *g)*, exitum experimentorum variorum, quae luſionem cerebri, ejusque partem aliquam praeciſam indicant, commemoravit. Inter illa nonnulla ſunt, quae huic concluſioni dederunt anſam: ſic in experimento 1°. *h)* in cane trepano aperuerat partem dextram oſſis parietalis prope ſuturam coronalem, perque illud foramen ita laeſerat cerebrum, ut pedes ſiniſtrae inde debilitarentur, & laeſione profundiori facta omnino evaderent paralyticae. Poſt mortem invenit, laeſum fuiſſe cerebrum usque fere ad fornicem ventriculi dextri. — Ex hoc experimento corollarium ſequens *i)* deduxit: „*On peut conclure de cette obſer-„vation, que les nerfs des extrémités tirent leur origine „des hémisphères du cerveau, de maniere que ceux des „parties*

g) Vid. *Mem. ſur les ſujets propoſés pour le prix de l' Acad. R. de Chir.* Tom. IV. Parte I. p. 369. & ſeqq.
h) Ibid. pag. 394.
i) Ibid. pag. 395.

„*parties droites prennent naiſſance dans l'hémisphère* „*gauche, & reciproquement.*“ — In experimento II°. *k*) laeſerat cerebrum dextrum, & effectus in ſiniſtro loco iidem erant, ac in Exper. I°. — Eadem haec ſimiliter confirmantur in exper. III°. — Hiſce praemiſſis experimentis dein luſtrare voluit, quinam inſequerentur effectus, ſi cerebri hemisphaeriorum partes anteriores poſterioresque laederentur. Quod ut pateret in Exper. VI°. laeſerat in parte dextra & ſiniſtra cerebrum undique per foramen trepano factum, & ita quidem, ut illae laeſiones (quemadmodum diſſectione patebat) parumper tantum à fornice magnorum ventriculorum cerebri diſtarent. Effectus illius laeſionis erant, quod poſteriores canis pedes evaderent paralyticae; quod dum vidiſſet, ex hoc experimento concludit *l*), quae antea innuimus, dicit ſcilicet: „*on vient* „*de voir, qu'outre le croiſement des fibres medullaires d'un* „*côté de la tête à l'autre, & qui a été découvert en par-* „*tie par de célèbres Anatomiſtes, il y en a encore un de la* „*partie anterieure à la poſterieure, & vice verſa, pour* „*le mouvement des extrémités; de façon que l'origine des* „*nerfs, deſtinés au mouvement des extrémités ſuperieures,* „*eſt dans la partie poſtérieure du cerveau, & reciproque-* „*ment dans l'anterieure pour les extrémités inférieures.*“ — Succeſſus Exper. VII, VIII & IX. *m*) idem iterum fuit ac ſuperiorum, haecque confirmarunt, quae mox aſſeruimus, quod laeſo ſcilicet anteriore vel poſteriore cerebri parte, nunc inferiores, nunc ſuperiores artus devenerint paralytici. — Illud adhuc his ſuperaddendum eſt, quod in inſequentibus Experimentis loco inciſionum

k) Ibid. pag. eadem.
l) Ibid. p. 399.
m) Ibid. p. 400.

ciſionum adhibuerit preſſionem *n*), illâque effectum obtinuerit eundem, fortiorem autem, debilioremve, prout haec immediata fuerit, vel mediata.

Facta haec etſi veriſſime prolata ſint, in ſequentibus tamen inquirendum erit, utrum phaenomena à decuſſatione dependeant, nec ne. — Caeterum Auctoris illius Diſſertatio egregiam continet doctrinam de laeſionibus Vulnerum Capitis, eorumque regulas diagnoſticas, prognoſticas, & curandi methodum pertractavit egregie. De his autem agam fuſius in Tractatu *de Contrafiſſura*, quem huic Diſſertationi adjungere animus mihi quidem fuit, at propter voluminis rationem ſeorſim edere malui.

§. V.

Decuſſationis Doctrina non omnibus admittitur Auctoribus.

Viſis itaque, quae his explicandis in medium propoſuerunt, miſſisque anterioribus cauſſis, quas attulimus ex variis Auctoribus, utpote mere hypotheticis, nonne ergo Nervoſi Syſtematis primordiorum decuſſatio argumentum concludendi inſigne diceres? Nonne tot fidelium tamque gravium Virorum obſervationibus munitum dogma omnibus in difficili hoc phaenomeno difficultatibus enodandis ſufficiens divinares, quid dico, nonne ſtatueres? Ut enim ſcientia non ex Antiquitatis (ut cum ſagaci BACONE *o*) loquar) obſcuritate, ſed omnino ex Naturae lumine petenda, nec refert, quid factum fuerit, ſed illud modo videndum, quid fieri poſſit: ſic etiam certe rem hanc, quae & Obſervationibus, & Naturae ejus legibus, & C. N. functionibus apprime convenire videtur, nonne hic abſolutam crederemus? — Rationes interim iſtae, utut ſpecioſae, utut apprime con-

n) Exper. X. & ſeqq. p. 400. & ſeqq.
o) Impet. Philoſoph.

convenientes videantur, valorem ſuum infractum admodum monſtrabunt, & diſparebunt non parum, ſi experientià duce, rationis adjutâ caſto miniſterio, Naturae conſulatur vox. Fatendum quippe (& quidni fatendum hoc?) multa in iis, quae protulimus de Nervorum Decuſſatione ipſa, imo plurima, ſi cum ante memoratis obſervationibus comparentur, hic clara minus & haud perſpicua eſſe, facilia forte praecipiti & incauto, penſiculate vero excutienti (niſi me fallat ratio) difficillima, quin & ſoluta ἀδύνατα. — Quapropter, quamquam longe abſit, ut quid ante memoratorum Auctorum fidei his detrectare velim, & eos, quae non vidiſſent, protuliſſe autumem; congruum certe eſt, ut etiam nunc producam Auctorum illorum ſententias, quibus Decuſſationem illam haud obtinere, nec obtinere poſſe, demonſtrarunt: quo facto, expeditior nobis erit via concludendi, quaenam harum ſententiarum ſuſtinendae partes ſint, dum ſic demum adjici poterit convenientius, quaenam, quae impediunt, quo minus aſſumere poſſim nervearum fibrarum alternam poſituram, argumenta ſuppeditet his phaenomenis intenta diu mens ſeverior.

§. VI.

Adverſariorum Decuſſationis HOLLERII, LAURENTII MORGAGNII, HAENII, HALLERI, MONROI, TII MARHERII, METZGERI *Aliorumque Argumenta.*

Adnotationum mearum ſumma eo redit, ut inter hos Auctores, qui ipſam ſtaminum medullarium decuſſationem experimentis, aut rationibus ex obſervationibus petitis, negarunt, inveniam HOLLERIUM, ANDRAEAM LAURENTIUM, MORGAGNIUM, HAENIUM, HALLERUM, MONROUM, MAR-

HERIUM, METZGERUM, alios *p*), quorum cogitata & rationes, eâdem qua uſi ſimus methodo in praecedentibus expendere nunc paulo diſtinctius, quo ſuum cuique tribuamus, oportet.

Quantum igitur ad J. HOLLERIUM; hic HIPPOCRATIS Commentator ad Aph. I. Coac. Praeſ. Sect. III. *Quibus tempora ſecantur convulſio ex contrariis ſectioni partibus oboritur*, decuſſationem ſequentibus *q*), obſcura licet dictione, ſic refellit: „Mirum videri poſſit, „cum natura cerebrum duplex, dextrum ac ſiniſtrum, „membrana quoque ſe inſerente in medium diſtinxerit: „nervi quoque, non, ut quidam volunt, ita complexi, „ut è ſiniſtris partibus in dextras, & contra decuſſatim excurrant: ſed è dextris in dextra, è ſiniſtris in „ſiniſtra abducantur, & os temporale cum adverſo nihil habeat tam commune, ut eo vulnerato altera parte aegrum convelli oporteat: ſic tamen docet experientia, nec in temporibus ſolum, ſed capitis reliqui „vulneribus, ut altera parte, quam quae laeſa ſit, convulſio aut reſolutio accidat. Atque in convulſione „fieri poteſt, ut pars laeſa ſanam contrahat, & ita alterius partis convulſio ſequatur. Sed in reſolutione „non ita manifeſta cauſa eſt, cùm oporteat potius, contra quam docet experientia, dextra reſolvi dextris „vulneratis."

ANDRAEAS LAURENTIUS in Hiſt. ſua Anat. C. H. *r*) duplicem pertractat quaeſtionem medicam, de *convulſione partis oppoſitae*, & *de paralyſi oppoſiti lateris & convulſione illius, quod è directo eſt, in eodem individuo ſimul obtinentibus.* Prioris Quaeſtionis poſtquam inje-

p) Conf. hic MORGAGNIUS in Ep. ſua Anat. XIII; art. 22.

q) Pag. 959. Edit. Lugdunenſis in Folio ann. 1576.

r) Edit. Francofurt. Anno 1620. in 8vo pag. 887. & aliquot ſeqq.

injecerat mentionem atque agnoverat obſervationem, nullius decuſſationis doctrinae meminit, at illud phaenomenon ex decubitu materiae ex adfecto hemisphaerio in illud, quod è directo convulſionis adfectarum partium eſt, explicandum pronuntiat. In altera Quaeſtione factum utique agnoſcit, atque obſervationem veram credit; verum explicationem, quam alii de his phaenomenis dederant, nervorum decuſſatione adhibita, ſic rejicit *s*): „ſed ejus opinionis levitas redargu„tione noſtrâ non eget. Docet enim αὐτοψία nervos „omnes, qui à cerebri medulla exoriuntur, in ſuo ex„ortu, progreſſu & inſertione omnino diſtinctos eſſe, „ſi opticos exceperis, qui in medio itinere coëunt...., „ſed ita, ut ſeſe interſecent. Obſervavimus nuper, „ſecundae conjugationis nervos in exortu continuos „eſſe. Quod ad nervos ſpinalis medullae ſpectat, dex„tri à ſiniſtris diſcreti ſunt, nullo modo ſe interſecan„tes: abſurdum eſt igitur convulſionis & paralyſeos, „quae fit è diverſo, cauſſam ad nervorum interſectio„nem & eorum permutationem, ut loquitur ARE„TAEUS, referre, cum figmenta ſint & merae nu„gae." — Hac igitur doctrina rejecta, ſuam explicationem adjungit *t*), quae tamen hanc rem haud ita illuſtrare videtur. Nimirum oppoſitum latus paralyticum fieri credit ob transmiſſionem puris, ſanguinis, aliusve materiae morbificae ex laeſo hemisphaerio in ſanum è directo paralyſeos per ventriculorum communicationem, ita ut (cum decliviorem partem materia ſemper ſequatur, atque in ſanum latus, quod tunc ſane declivius eſt, ſemper decumbant aegri) ſi ita loqui fas ſit, metaſtaſi quaſi materiae ex uno in alterum hemisphaerium producatur paralyſis. Haec explicatio ei ipſi inſufficiens fuiſſe videtur, ſubjungit enim, „Adferri „poteſt & alia ratio, quod per vulnus natura excre-

 men-

s) Ibid. p. 882.
t) Ibid. p. 886.

„mentitium humorem excernere ſoleat, tum per fluxum ſanguinis, tum per puris excretionem, tum per „medicamenta, quae trahunt exhauriuntque humorem, „ita ut bene expurgetur pars adfecta, at oppoſita pars, „quae non expurgatur, facile adficiatur, vel per „συμπάθειαν, vel materiâ ad eam transmiſſa aut decumbente. Sunt, qui velint ad partem, tumore aut „inflammatione obſeſſam, ſpiritus fere omnes confluere, „unde fit, ut illis defraudatae oppoſitae partes reſolvantur. — Quae, cum minus congrua videantur cum ſaniori Pathologia, mittimus, & ad aliorum Auctorum dogmata nunc pergimus.

I. B. Morgagnius, etſi factum obſervationis nequaquam in dubium vocet, ut ex iis, quae ante attulimus, atque ex illius aere perennioribus Operibus videre eſt, ad cauſſam cum pervenerit, rem rigide trutinat, dicitque *u*), „ſi igitur omnia, quae à me animadverſa „ſint, attendas, primum dubitabis, ſintne fibrae, quae memoratis in locis decuſſari dicuntur, pro decuſſatis reapſe „habendae, an pro transverſis." Haec cum aſſeruiſſet, nonnullis interjectis, in locis tamen ante memoratis, ſi non cunctas, aliquas ſaltem, fibras decuſſari pronunciat; verum „ex illarum numero certas quasdam à cerebello „potius, quam à cerebro, deducendas" eſſe ſubjungit. — Hiſce praemiſſis, cautiſſimam inde ac juſtiſſimam concluſionem deducit: „Ad paucas igitur fibras „redimus

u) Epiſt. Anat. XIII. art. 21. Morgagnius antea multa de hac quaeſtione monuerat, & ipſe (vid. art. 20) in octo cadaveribus in nervorum decuſſationem inquiſiverat ſedulo; „Verum in tribus, iisque ad hanc perquiſitionem „maxime idoneis, quod ad rem faceret, nihil vidit. In ceteris quinque invenit fibras medullares in aliis perpaucas, in „aliis paulo plures, in aliis tenues, in nonnullis craſſiores „conjungentes, Sed erant hae fibrae in transverſum ductae, „ut vix in uno paucae decuſſari, idque ſubobſcure, ſint „viſae."

„redimus. Fibrarum autem decuſſatio paucarum ex„ponendae rei ſatisfacere non videtur." — Argumentum v) inſuper adjicit, quod, me judice, inſigne hic habet pondus: nervorum ſcilicet eſſe paria nonnulla, quae ante decuſſationem in partibus memoratis aliis locis ſuam debent atque adepta ſunt originem. „Quae „cum ita ſint, aut ego quidem (concludit) plurimum „fallor, aut altior adhuc, multoque plurium fibrarum „decuſſatio, quaerenda eſt, ut puta in Calloſo Corpo„re, in quo ceteroquin *veriſimilius* Lanciſio (Diſſert. „de Sede cogit. Animae) *viſum eſt*, transverſas illas, „ac parallelas inter ſe fibras *alterno ductu, alteram à ſini„ſtro hemisphaerio in dexterum ventriculi fornicem, alte„rum à dextro hemisphaerio in ſiniſtrum fornicem pro„tendi*" — Horum igitur omnium probe gnarus, edoctusque, fallere hic quam maxime quandoque *alterni lateris reſolutionem perpetuam*, explicationem non niſi ſcrupuloſe, & ſumma cum prudentia, propoſuit x): „Verumtamen quid eſſe dicemus cauſſae, quam ob rem „id aliquando contingat? Non unum fortaſſe, & in ali„is aliud. Nam primum ſic mecum cogita. Cum „fibrae ſint plurimae, quae paſſim ex utroque cerebri „hemisphaerio in medullam, & hinc in nervos produ„cuntur, minime autem conſtet omnes decuſſari: veri „certe ſimile eſt, quaedam eſſe in hemisphaeriis loca, „ex quibus profecto fibrae, ſine ulla decuſſatione, re„cta in medullam, nervosque procedant. Veri igitur „ſimile eſt, ea tantum, aut ea potiſſimum, loca vitia„ri, cum paralyſis ſubjectum non adverſum corporis „latus occupat Et ſic quidem in quibusdam. In aliis „vero alia utemur ratione, Si enim fieri poteſt, ut, „quamvis utrumque hemisphaerium aeque vitiatum „adpareat, alterum tamen reapſe magis vitiatum ſit,

v) Mox cit. art. in fine.
x) Ibid. art. 26.

„ ob ejus meningum convulſionem, nullum quidem ſui „ veſtigium ſenſibile, at ingens nihilominus vitium re- „ linquentem, quid prohibet, quin ipſe ad eundem mo- „ dum ſuſpicer, circum id, quod ſanum videtur, he- „ misphaerium ejusmodi convulſionem primum conti- „ giſſe, quam ob rem adverſum latus corporis fit reſo- „ lutum, mox vero illam excepiſſe novum aliquod in „ altero hemisphaerio vitium, non ſolum ſub oculos „ cadens, ſed tantae etiam vehementiae, ut hominem „ confeſtim necare potuerit; non ſaepius quidem, ſed „ quod ſatis eſt, perraro, & nonnunquam tantum. "

Ant. de Haen *h*) quoad Decuſſationis doctrinam in ea quidem verſatur opinione: ex Auctorum nempe experimentis inſtitutis, atque adnotatis obſervationibus, concludi quidem poſſe, in cerebro dari ſe invicem decuſſantes fibras, non autem decuſſari omnes, ſed ex omnibus hiſce explicari minime poſſe, „ cur „ cauſſa eadem nobis viſa, potius convulſionem, quam „ paralyſin excitet, aut vice verſa? vel cur à cauſſâ ite- „ rum eâdem in uno homine oppoſitum latus adfectum „ convulſione prehendatur, aut iterum in alio praeciſe „ contrario modo?

Quid jam Alb. Hallerum, magnum quondam Naturae Inveſtigatorem, in omnibus fere Medicinae dubiis experimenta inſtituentem, iisque, aut ſubductis inde rationibus, lucem non raro maximam affundentem, quid Naturae illum Pictorem hac de re cogitaſſe credas? Miraberis, ſi hanc quaeſtionem Illum conjecturas inter poſuiſſe, referam. Ne vero haec parum conſiderate me dixiſſe autumes, evolve mecum varia Ejus Opera *z*), ibique (ni fallor) veritatem confirmatam ſenties: nihil enim, ſi quid video, clarius quam illud eſt, quum dicat „ Iidem forte funiculi " (agit quippe

y) L. cit. Parte IV. 245.
z) Elem. Phyſiol. Tom. IV. p. 400.

quippe de utilitate funiculorum transverſorum aut rectorum) „ & transverſae conjunctiones medullae cere-„ bralis, videntur efficere, ut, dextra ſede cerebri, lae-„ ſa, adeo frequenter ſiniſtrum latus reſolutionem pa-„ tiatur. Vetuſtum placitum eſt, nervos cerebri ad „ decuſſim oriri. Et tamen hac in re aliquid diſcrimi-„ nis videtur obtinere, ut in aliis hominibus latus dex-„ trum cum ſiniſtro minus manifeſto conſentiat. Nimis „ enim frequenter unius lateris corporis, unius brachii, „ unius lateris faciei, unius lateris linguae paralyſis eſt; „ ex quibus deducas, neque ſanum latus aegro emiſſis „ fibris ſubvenire, neque viciſſim ab aegro latere fibras „ accipere, quas vitiatas eſſe neceſſe foret." — Alio loco *a*) in hac materia quodammodo laxior eſt HALLERUS: ibi enim poſtquam varias fibrarum ope combinationes cerebri, cerebelli & medullae ſpinalis partium inter ſe enumeraverat, dicit: „ Manifeſtum enim „ videtur inde fieri, ut per infinita exempla, dextro la-„ tere cerebri laeſo, potius ſiniſtri lateris nervi per to-„ tum corpus reſolvantur, & contra: " hiſce tamen „ prudenter addit, „ etſi id videtur difficile non ſemper „ eam decuſſationem locum habere." Miror admodum, Ill. HALLERUM, meis mox dictis praeconiis ſane majorem, in tanti momenti Quaeſtione non plura inſtituiſſe experimenta, quibus Naturam expiſcari, ac laudes ſuas adaugere abhucdum potuiſſet: quod ſi illud mirer, quid me mirari convenientius, doct. METZGERUM *b*) ſcripſiſſe, decuſſationi nervorum ante eorum è cerebro

a) Conf. Primas Lineas Phyſiol, §. CCCLXXXIX. In Elem. Phyſiol. Tom. IV. p. 331. inquit, quod à ſummis Viris hic chiasmus in controverſiam vertatur, &, ut haec confirmaret, BOERHAAVII citat Praxin Medicam (Tom. I. p. 545.) aſt hac de re nullibi BOERHAAVIUM agentem deprehendi.

b) Adverſ. Medica Tom. I, pag. 41.

rebro exitum reniti, eximia, quae Ill. HALLERUS protulit, argumenta in Elem. Phyſ. Tom. IV, vixque hanc materiam tetigiſſe in Primis Lineis Phyſ. §. 389, cum, me judice, nec in uno, nec in altero Opere huic materiae pro dignitate fecerit ſatis,

Decuſſationem negantium Auctorum partes etiam tenuit ſtrenuus totius S. N. Indagator ALEXANDER MONROUS, qui hanc de decuſſatione nervorum opinionem nondum in univerſum eſſe demonſtratam aſſerit, nec quarundam partium decuſſationem argumentum ſuppeditare momentoſum ſatis, quo ubique illud obtinere concludi queat ſatis firmiter, &, quod hiſce colophonem addit, inſuper obſtare obſervationes varias, quae latus è directo laeſi cerebri paralyſi vel convulſione adfectum arguunt *c*), Hicce MONROI locus primo intuitu ſi perlegatur, & conferantur, quae circa piſcium nervos ibi proſtant obſervationes citatae *d*), ſuſpicari forſan liceret, utrum decuſſationis doctrinae non faverent potius quam obeſſent; verum ſi attentius perlegantur, adparebit contrarium; & quod nervorum decuſſationem attinet, ut eam in hominum nervis ipſe negat MONROUS *e*), ſic & piſcium decuſſationem nervorum Cl. CAMPERUM, (quem Praeceptorem habuiſſe eximium cum *Groningae* degerem, nunc autem Fautorem egregium ut laetus glorior; ſic cum magna animi voluptate recordor gratus) diſſectionibus fideliſſimis praeeuntibus *f*), & alios *g*) negaſſe legimus,

Egre-

c) Vid. Tract. de Nervis, Latine redditum à doct. G. COOPMANS §. 8. pag. 4 & 5.

d) Ibid. pag. 94.

e) Ibid. pag. 93.

f) in Nota ad locum mox cit. MONROI, & in Actis Harlem. Tom. VII. Parte I. pag. 95.

g) Vid. HALLERI Diſſert. de Cerebro avium & piſcium in mox cit. Act. Harlem. Tom. X. Parte II. p. 336, 383. aliisque in locis.

Egregius Inſtitutionum Medicarum BOERHAVII Commentator *h*) quaeſtionibus à BOERHAVIO in iis propoſitis ſuperaddidit illam de *Decuſſatione nervorum*, interrogatque, cuinam uſui ſint ſtriae illae medullares transverſae in corpore calloſo, commiſſuris cerebri, ponte Varolii & aliis cerebri regionibus? Quod dum fecit, illas ad noſtram quaeſtionem explicandam eſſe adhibitas concedit, atque hanc opinionem niti obſervationibus largitur; verum tamen neque ab altera parte diffitendum aſſerit, obſervationes dari practicas permultas, quae fibrarum illarum decuſſantium valorem tollunt, ac proinde, nihil certi de ea decuſſatione medullae adfirmari poſſe, concludit.

Atque, ut in recenſendis utriusque ſententiae Auctoribus receptui canamus, illorum agmen claudat JOH. DAN. METZGERUS *i*); hanc Quaeſtionem hicce Auctor quodammodo attingens ex phaenomenis, in cerebri laeſionibus conſpicuis, an ad alternam fibrarum hujus organi praeſentiam concludendum ſit, interrogat, dicens „an ex eo phaenomeno ſequitur decuſſari intra „ſuam originem nervos, antequam è cerebro exeunt? „Neque certe iſta Veterum obſervatio ita ſe habet, „quin omne dubium excludat, cum certa fide viſi ſint „aegri, qui in laeſo latere reſolutis nervis decumben„tes in oppoſito vel nihil paterentur, vel convulſioni„bus agitarentur. Quid ergo de hoc phaenomeno ſen„tiendum?" Mentem ſuam alibi, *k*) aperit, fallaciamque hic eſſe commiſſam credidit in obſervando; nimirum, nimium Veterum doctrinae eſſe tributum, & hinc explicuiſſe Auctores, quae utcunque viderant. Mutationum, pergit, cerebri fibrarum neſcios nos eſſe; & quo

h) P. H. MARHERR Praelect. in Inſt. Med. BOERH. Tom. II. pag. 404.

i) In Libro ante citato pag. eadem.

k) Ibid. pag. 44. & ſeqq.

quo usque procedat ejus commotio, quamnamve occupaverit partem; poteſt totum turbari, poteſt etiam & illius modo pars vitiari aliqua; poteſt dextrum ictu adfici, ſiniſtrum illo ictu ſanguine adimpleri; poſſunt & aliae obtinere conditiones, quae laeſionem determinare reddunt ἀδύνατον. — „Datis autem (ex praemiſſis ſic porro concludit) „his circumſtantiarum varietatibus, dantur ſimul & conditiones ſub quibus ſive in „utroque latere reſolvi nervos oportet, ſive in alteru„tro convelli aut reſolvi. *Univerſalis* itaque Encepha„li concuſſio univerſalem quoque in functionibus ani„malibus paralyſin inducet, *Partialis* vero partialem; „eamque nunquam non in eo latere, quo cerebrum „fuit commotum, ita ut perinde ſit, unde acceperit „plagam aegrotus. Ex ea autem parte, qua liberum „remanſit N. S., ex conſenſus iſtius mirabili lege, quem „inter ſe alunt partes C. H. potiſſimum ſimilares, cu„jusque virtute mutuas ſibi ſuppetias ferunt, in enor„mes impetus abripitur natura, convulſiones ciet, ut „ita non peculiaris aliqua acrimonia quaerenda, quae „nervos irritat, ſed inter activa ſymptomata reponen„da ſit nervorum diſtenſio. Fidem enim & huic aſſer„to adſtruunt moribundorum, qui ex ſanguinis proflu„vio, vel alia ejusmodi cauſſa obeunt, phaenomena, „inter quae nunquam non & dirae convulſiones adpa„rent. Ita quoque prone concipitur diſſenſus iſtius „ratio, quem inter obſervationes huc ducendas repe„ries, atque facile intelligitur, nullum inde deduci poſ„ſe argumentum pro nervorum decuſſatione." — Atque haec dicta ſatis, ut, propoſitis ad utramque opinionem ſuſtinendam, quae a variis afferuntur, transeam tandem ad tertium, illudque ultimum, hujus Sectionis Caput.

CAP.

CAP. III.

UTRA DE NERVORUM DECUSSATIONE AUCTORUM SENTENTIA POTIOR, ET QUID DE ALTERNORUM MORBORUM NERVEORUM CAUSSA STATUENDUM SIT INQUIRENS.

§. I.

Explicationis Cauſſarum difficultas.

Siccine doctrinam Decuſſationis ab antiquiſſimis temporibus jam traditam, receptam, atque explicandis phaenomenis ante allatis apprime convenientem viſam, tantum Adverſariorum numerum habuiſſe crederes? nec Adverſariorum tantum, quorum proprie obloqui aut contraniti erat animus, ſed quorum inveſtigandi veri unicus erat ſcopus, unica opera? — Ita tamen haec ſeſe habent, atque haec proprie ſunt, quae ad concludendum dubium reddunt quemvis: negare etenim velle, quod uterque ſuae ſententiae addictus aut non viderit, quae in medium ſunt prolata, aut pronunciarit tantum, quo ſua firmetur ſententia, Virorum utriusque partis prohibent candor, integritas ac veritatis inquirendae ſtudium.

Gravis haecce Quaeſtio, ac in Vulnerum Capitis & adfectionum ejus morboſarum ab interna cauſſa facienda diagnoſi, prognoſi & curandi methodo tam inſignis momenti, ita ſi foret dirimenda, ut Auctoritate foret pugnandum, utra firmior foret ac potior ſententia, ego quidem in medio pótius relinquerem, ac nullius ſuſtinerem partes, quam quod unius aut alterius Auctoritate ſeductus me a veritate deflecti ſinerem. — Verum ratione unius aut alterius partis neutri addicto ſententiae, ac permulta, durante tempore, quod in elaboranda

randa hac Diſſertatione collocavi, hac de Quaeſtione cogitanti, ſubvenerunt argumenta, quae Anatome & Ratione ducibus, doctrinam Decuſſationis ſubvertere videntur penitus: atque haec proferre, quo finem properem, meum nunc eſt.

Antequam autem hunc ingredior campum, monitos volo Lectores, ne plus hic exſpectent, quam ab Artis tyrone, ſuae tenuitatis gnaro, deſiderari & requiri poſſet. Quapropter, etſi tentem hic quaedam addere, quae cogitationi forſan ulteriori ſuppeditare poſſent anſam, quaeque culta magis ac recocta ſaepius his majorem addere poſſent lucem, ne cogitent tamen profecto, me in his explicandis ita acutum cernere, ut nemo acutius. Nil minus. Supermanent in Cerebri, *cui magna vis eſt*, ut inquit BALLONIUS *l*), *ac admirabilis in illo architectando ſollertia*, ſtructura atque actione determinanda difficultates inſignes, tantaeque in penitiori ejus ſtructura tenebrae, ut hic (& utinam modo hoc Naturae eſſet velum unicum!) terminos agnoſcere humano ingenio à CREATORE poſitos oporteat, utque indefeſſo, circumſpecto tamen, Scrutatori concedere fas ſit, quam ſit abſcondita ſuis in Operationibus Natura, nec niſi per ſe ipſam detegenda, ſibi ſoli intellecta, & quantum aberremus, ſi ingenio potius limitato, quam Naturae voce doceri tentemus etiam ſagaciſſimi.

§. II.

Argumenta, ex Anatome & Ratione deſumta, proponit, quae Decuſſationem Naturae incongruam eſſe, docere videntur.

Nervorum Decuſſationi obnitentia mihi argumenta varia

l) Lib. ante cit. de Convulſionibus.

varia ſunt. — Primum, illudque, ut autumo, non valoris infimi, contra fibrarum medullarium alternam poſituram mihi ſuppeditat ipſarum Obſervationum attenta comparatio, utut comprobare, quae comprobanda forent, videantur: ſcilicet ex iis omnium manifeſtiſſimum eſt, quandoque fallere hic factum, nec adeo fallere, ut adhuc contorqueri *m*) phaenomena eorumque cauſſae, & ad hypotheſin Decuſſationis accommodari, queant, ſed ita, ut & obtinere in dextro v. gr. hemisphaerio cauſſas, & eodem in latere inde producta eſſe ſymptomata, utrimque aeque firma conſtet veritate. Attentius quippe animum ſi advertimus ad Obſervationes, quas recenſuimus *n*), in concludendo inſignis deprehenditur difficultas, ita ut dubitantem quemvis reddant, quae ſuſtinendae partes ſint: ſic hujus Sect. Cap. I. §. I. & II. aſſeritur quidem, à laeſione cerebri dimidii partes oppoſitas convelli aut paralyſi corripi, & hanc quidem adfectionem, prout illarum cauſſae ſtimulantes ſunt vel comprimentes, oriri poſſe concipimus, at vero Cap. II. §. III. in Nota *e*) asſeritur, convulſionem oriri è directo partis cerebri laeſi; ita ut haec invicem ſibi repugnent manifeſtiſſime. — Si praeterea comparemus Cap. I. §. III., an in iis caſibus unicum ſtatuemus effectum? decuſſationis Patroni hoc adſerent quam maxime, cum alias eorum funditus everteretur doctrina, ſic enim in quovis hemisphaerio obtinente laeſione ſtatuendum potius videretur, quodvis hemisphaerium ſuo in latere ſua producturum phaenomena. — Ejusdem denique Cap. §. IV. non melius aſſumendae decuſſationis doctrinae medetur, quin imo ei potius adverſatur plenarie: manifeſto enim hic Obſervationibus, omni dubio majoribus, probatur, laeſionem fuiſſe inventam in cerebro

m) Ita de his ſenſit Ill. SWIETENIUS Comment. I. ante cit. vid. pag. 150.

n) V. hujus Sect. Cap. I. praeſertim §§. quinque prioribus.

rebro è directo & paralyſin ſimul. At forte hanc defendentes ſententiam aſſerent ſummo cum ardore, laeſum utique hic fuiſſe hemisphaerium alterum, & hinc paralyſin in oppoſito latere fuiſſe productam, nullum autem vitium produxiſſe manifeſtam illam laeſionem cerebri è directo, Largimur, quandoque cerebrum laedi poſſe viſibili & manifeſto modo, absque ſequente laeſione partium, quae à cerebro habent nervos: in promtu ſunt harum obſervationum hiſtoriae; verum an illas hic aſſumere liceret, ac Naturae conſuetum iter contorquere, quo praejudicata confirmaretur opinio? Laeſionem manifeſtam reperire in uno cerebro, & in altero haud viſibilem, pro his phaenomenis producendis ſupponere, quo Natura potius explicationi, quam haec illi congrueret, ego quidem temerarium duco.

Haec igitur aſſertio ſi vera ſit, quemadmodum, ut opinor, eſt veriſſima, ſicque ſimul aſſumatur revera organon motus & ſenſus alternare, quid inde quaeſo ſequitur? illud nimirum, aut à veritate deflectere primum, quod ſtatuimus; aut hallucinatos eſſe Scriptores, qui decuſſari Nervos autumant; aut denique hac in parte variare quodammodo Naturam, nec certas hic obſervare leges.

Atqui veriſſimum eſſe primum, res ipſa loquitur atque experientia, hic falli neſcia; ergo falſum ſit, quod ſecundo loco propoſui, neceſſe eſt; etenim aſſerere velle Naturam ſibi adeo conſtantem, nudam, ſe ſolam tuentem, inviolatam, ac ubivis ſibi ſimilem, ſuo hic deflecti tramite temerarium non tantum eſt & audax; verum hic obloquuntur etiam omnia, quae vides, & non vides, phaenomena: nec mundanorum tantum, quatenus perfectionum omnium complexum tradunt ineffabilem & theatrum vaſtiſſimum, verum noſtrae etiam Oeconomiae omnia monſtrant, quicquid etiam Medicinae clamant Oſores, effecta. Conſideraverit

modo

modo quis, C. H. corpus eſſe phyſicum, ſuis imbutum proprietatibus, easque iisdem ac alia corpora ſuis phyſices obnoxias eſſe legibus; addiderit inſuper, praeter firma id fluidis componi, adeoque hydraulicam eſſe machinam, ſuis proinde hydraulicis hydroſtaticisque Legibus ſubjectam; conſpexerit Naturae humanae agendi modum ejusque leges, ubivis ad ſuos effectus ſuasque actiones, mortalibus haud ſemper explicandas, accommodatas; morborum, ſi à ſuo functionum tenore deflectat machina, attenderit decurſum, ſicut, quae notavit Medicinae AUCTOR de acutis, RHAZES de Valis, Alii abhinc bis mille annis de aliis DIOSCORIDES, GALENUS (ut exemplo ſit) de *jalappa, rheo* & ſimilibus, compareant hodienum veriſſima; haec omnia, dico, qui contempletur, & violabiles H. C. aſſeruerit Leges, ut AUCTORIS OMNIUM detrectat Sapientiam, ſic cujus tam perfecto Mens cingatur Corpore indignus eſt. — „Audiant haec Obtrectatores, & cum „didicerint ſcientias puras ab iis, quas applicatas vo„cant, contemplativas à practicis, diſtinguere, vide„ant, quo jure Medicinam prae aliis, ut omnis certi „expertem, infament *o*)!“

Si alterna fibrarum medullarium poſitura obtineret, ſemper ſive paralyſin, ſive convulſiones, prout cauſſae hanc illamve producentes eſſent variae, accidere debere, ex Naturae humanae inſtituto ejusque legibus ſenſit etiam Ill. Auguſtiſſimae Romanorum Imperatricis quondam Archiater HAENIUS *p*), cum dicat, „ſane ſi morbi laeſi oppoſitam corporis plagam perpe„tua lege afficerent, omnia, quae ad hanc quaeſtionem „ſpectant, expoſita decuſſatione jam explicuiſſemus.“

Hoc

o) Verba haec ſunt Venerandi atque Ill. GAUBII in aere perenniori Pathol. §. 26.

p) L. ante laud. pag. 211.

Hoc unico in argumento; cum ſufficiens ſit, ſubſiſtere etſi poſſem, alia tamen inſuper addam; quae illud confirmant, & hinc ſecundo loco dico, quod ipſa etiam admiſſa decuſſatione (quod contra HAENIUM eſt) ἀδύνατον ſit obvia explicare ſymptomata. Ex antecedentibus *q*) quippe omni dubio majoribus ſequitur, laeſiones in ipſius medullae ſpinalis dimidia parte inſtitutas non oppoſitarum, verum contiguarum partium tenorem, quem à nervis, ſeu ab illius fonte, medulla ſcilicet ſpinali, repetunt, interturbare ac deſtruere: & quid ex illo profluit flumine? hoc, quod, ſtantibus Decuſſationis theoria & obſervatis anatomicis, 1°. illa aeque obtinere debeat in medulla ſpinali ac in cerebro, cerebello, eorumque oblongata & ſpinali medulla; vel 2°. cerebri contextus alternet ſolus, ab illo vero medullae ſpinalis fibrarum ordo ex quovis hemisphaerio directo & parallelo ductu & ſecundum longitudinem decurrat. — Si obtineat primum, quantum ad paralyſin vel convulſionem oppoſiti lateris, haec datae explicationi ſufficiunt: etſi hic moveri adhuc quaeſtio poſſet, quare tunc non fiat, ut omnes partes N. C. dimidii non paralyſi adfectioneve corripiantur ſpasmodica? Atqui dum haec vera ſunt, qui laeſa dimidia ſpinalis medullae parte in eodem producta, effecta tradentur explicita, quae, ut nunc conſtans eſt in eodem oriri latere, ſic ex aſſumta decuſſatione in oppoſita oriri deberent effecta? & hinc

Speque timor dubia, ſpesque timore cadit.

Ab altera parte, ſi ſcilicet aſſumatur fibras cerebri decuſſari, medullae autem ſpinalis parallelo & directo ductu decurrere, ſequitur liquidiſſime, in priori caſu ſi obtineat laeſio cerebri, illas tantum partes paralyſi vel convulſione adfici debere pro dimidia parte, eaque oppoſita,

q) Vid. hujus Sect. Cap. I. §. V. pag. 120. & ſeqq.

poſita, quae ſuos ſortiuntur nervos ab Encephalo, illas autem, quae à ſpinali Medulla eos accipiunt in ipſo latere adfecto illis debere corripi adfectionibus. Atqui falſum hoc per Obſervationes contrarium demonſtrantes, ergo à potiori Primum. Hic igitur

Quo cadat in dubio eſt, omnique à parte timetur.

At objicient hic Decuſſationis doctrinae Patroni, me ex eorum Obſervationibus falſam condidiſſe hypotheſin, aut, mitiores ſi quodammodo ſint, me perverſe hanc rem concepiſſe: ſcilicet alternare quidem cerebri contextum & medullam ſpinalem, verum ita eſſe diſpoſitos fibrarum ordines, ut, qui hemisphaerium conſtituunt ſiniſtrum, à dextro oriantur cerebro, & vice converſa; at vero cum ad componendam medullam ſpinalem ex cerebri cujusvis ſive utriusque hemisphaeriis ſtamina emittantur, ea ita decurrere in Medulla oblongata, medullae ſpinalis quaſi principio, ut ibidem decuſſentur, ac decuſſata poſtmodum in medulla ſpinali recta decurrant ac parallelo ſitu. Confirmant hanc rem inventa ſtructura cerebri, & ibi loci aſſerta ſtaminum decuſſatio, quemadmodum ſupra *r*) vidimus. Atque haec omnia ſi ita ſeſe habeant ac comparata ſint, concipitur egregie, quî, laeſo v. g. dextro cerebro, adfectiones produci poſſint nervoſae dimidii Hominis, ita ut & nervi, qui ab Encephalo oriuntur, & ii, qui à ſpinali medulla ſuam repetunt originem, ſuam monſtrent adfectionem morboſam in partibus, quae ab hac illove nervos repetunt, oppoſitis.

At vero (quod contra hos ita ſentientes tertio loco regero) ſi comparemus, quae ex gravi Auctore, ac curioſo C.H. ſcrutatore, MORGAGNIO adduximus *ſ*),

 vidiſſe

r) Vid. Sect. hujus Cap. I. §. V. inpr. pag. 127. & C. II. §. II. & §. III.

ſ) Vid. Ibid. Cap. II. §. VI. pag. 158. & ſeqq.

vidiſſe ſcilicet Eum ex quovis hemisphaerio in quodvis è directo latus medullae ſpinalis fibras tendere permultas, paucas autem, ſi quae decuſſentur, illas eſſe, ac huic praeſtando effectui impares, dicta non ita liquido, ut opinor, adſumenda ſunt. Demus autem rem ita ſeſe habere; non proinde mihi adhuc illius rei notio evadit clarior: quid ſcilicet, ſi haec ita aſſumamus, eveniet in caſibus laeſionum cerebri ſive vulnere, ſive compreſſione gravi, aut oſſium intropreſſione productarum? Quodvis hemisphaerium (aſſumta decuſſationis doctrina) ſuas emittet medullares fibras in ſuum compar, & ab hoc recipiet iterum, dextro in ſiniſtrum, ſiniſtro in dextrum. —. Praeterea, theoria Cl. SAUCEROTTE *t*) ſi ſtabilis ſit atque admittenda, accedet iis adhucdum ex hemisphaerii v. g. dextri anteriori parte in ſiniſtri cerebri partem poſteriorem, & vice converſa (idemque dicendum de ſiniſtro hemisphaerio) decuſſatio quadruplex, ita ut ex quovis hemisphaerio fibrarum medullarium ordines emittantur tres; quos dum totidem accipit quodvis, requiritur, ut quodvis hemisphaerium ſextuplici gaudeat fibrarum ordine. — Ex praemiſſis illis mihi colligendum autumo, quod, aſſumta hac fibrarum ſtructura ac diſpoſitione, indifferens ſit quoad effecta paralyſeos & convulſionis, utrum unum; an ambo, laeſa fuerint hemisphaeria, cum ex dimidii cerebri laeſione univerſalis deberet produci paralyſis vel convulſio, ſaltem talis, quae praeciſe non ad dimidium Hominem ſe extenderet. — Ut clarius hoc adhucdum fiat, notamus, dum vulnere, compreſſione, vel partium deſtructione unum laeditur hemisphaerium, cujusvis ſive utriusque hemisphaerii laedi ſimul ſtamina medulloſa, & hinc functiones omnes, quas ab Nervis partium laeſarum mutuant, in utroque (ſi dicere ſic liceat) corpore interturbari debere, aboleri, aut animoſius incitari, ita

t) Vid. Ibid. Cap. II. §. IV. p. 151.

ita ut hinc ſenſus motusque accidat abolitio, aut partium producatur contractio violenta.

Argumentum inſuper praebet quartum, quod jam ex MORGAGNIO adnotavimus *u*), nervorum ſcilicet eſſe paria nonnulla, quae ante decuſſationem, ſi illam in quibusdam modo cerebri partibus conſpici & adeſſe ſtatuitur, ſtaminum cerebri egrediuntur: hoc autem ſi verum ſit, ipſam explicandi rationem deſtruit, vel ſi dicatur illa paria ante eorum è cerebro exitum decuſſata eſſe, in eum iterum relabimur errorem, quem refutando jam excuſſimus.

Ne quid denique omiſiſſe videar, quod memorandum convenit, requiritur, ut quinto & ultimo loco paucis hic commemorem, quinam experimentorum fuerit ſucceſſus, quae in cerebris animalium inſtituerunt doct. LORRY *v*) aliique, quo pateat ſic, quam cautos nos eſſe oporteat, ne cauſſis quandoque quid tribuamus diverſis, & illis nimium nixi & seducti perverſam quandoque inſtituamus medelam. Auctor hic celebris, varia in animalibus inſtituens experimenta, invenit, quod nunquam producere potuerit ſoporem, apoplexiam, paralyſin ſive univerſalem ſive particularem, quamcunque etiam aut quacunque in cerebri parte admoveret preſſionem; at dolorem tantum excitaverit inſignem, quem ejulatu, cruciatibus & ſeſe liberandi conatu haec indicabant animalia. Similis experimentorum eventus fuit Cl. LAGHIO, quemadmodum teſtatur Ill. HALLERUS *x*), qui ſuam experientiam contra LORRYI & LAG-

u) Vid. hujus Sect. Cap. II. §. VI. pag. 159.

v) Vid. *Memoire ſur les inconveniens contre la nature du Cerveau, & ſur les organes qui ſont le principe de ſon action, inſerée dans les Memoir. preſentées à l'Acad. R. des Sciences par divers Etrangers*, Tom. III. pag. 444., vel, his ſi quis careat, adeat *l'Hiſtoire de l'Anat. & de la Chir. par* M. PORTAL, Tom. V. p. 448. & ſeqq.

x) Elem. Phyſ. Tom. IV. p. 301.

LAGHII experimenta adducens, aſſerit: „Ego tamen „tot in experimentis multo omnino & numeroſioribus, „& nullam ad cauſſam ornandam inſtitutis, ſemper vi„di, omnem quidem cerebri compreſſionem graviter „canes ferre, a majori vero qualibet ſopiri, ronchos „demum edere.“ Et ſane allata haec Cl. LORRYI & LAGHII experimenta numero nimis pauca ſunt, nec eorum ad Hominum cerebra legitima ſatis comparatio, quam ut iis ceterae everterentur obſervationes. Quicquid vero horum omnium ſit, ante allata argumenta contra Decuſſationem Nervorum dum ſerio volvam animo, tantum apud me valent, ut hancce doctrinam relinquere cogar, ac illam pro conjecturali habeam.

§. III.

Difficultates, quae, rejecta Decuſſatione ſupermanent, memorantur, & quid ex allatis concludendum ſit, proponitur.

Sunt tamen & interim quaedam difficultates, quae negata hac Doctrina, vix queunt concipi, quaeque hic eo magis memorandae ſunt, quo videat quivis, quaecunque etiam aſſumatur ſententia, ſupermanere tales haud ficulneas, nec ſolvendas ita facile, & credibile eſſe (ut inquit Nob. TULPIUS y)) nos caecutire in genuino cerebri regimine: cujus opera multo fortaſſis ſunt diviniora, quam quisquam hactenus ſuo comprehendit captu. Agedum ad illas transeamus.

Quamquam obſervationes antea allatae neutiquam probare poſſunt, Decuſſationem Nervorum locum habere, quum ſaepenumero fallant, & quidem nimis frequenter, quam ut tantum exceptio à regula ſit vocanda; tam ſaepe tamen manifeſtae fuere detectae laeſiones in uno latere & ejus effecta in altero, ut vix credi queat,

y) Lib. I. obſ. XXIII.

queat, à commotione cerebri in hemiſphaerio, quod è directo erat, illam adfectionem, ſive paralyticam ſive convulſivam, repetendam, & proinde nihil tribuendum eſſe manifeſtae illi laeſioni. — Ita ſi ratiocinari vellem, quo meas ſuſtinerem partes, objici poſſet juſtiſſima ratione, me aliorum illud ratiocinandi genus antea jam exploſiſſe *z*). — Largior potius hic difficultatem inveniri, & hanc ipſe propono, quo nihil ſic omittam, quod adducendum videretur, & ſimul demonſtrem, quod in praecedentibus jam dixi, ſupermanere lacunas ac hiatus, quaecunque etiam adhibeatur phaenomenorum explicatio.

Sed aliud quid adhucdum eſt, licet non tamen noſtram deſtruat aſſertionem, quod dubiam ac determinatu difficilem facit rem: inter experimenta ſcilicet, quae circa hanc doctrinam inſtituerunt Medici, varia ſunt, quae ſi decuſſationem non indicant, arguere tamen videntur, quod, uno hemiſphaerio laeſo, in oppoſito latere corporis ejus effecta nonnunquam producantur. Nam ſi in memoriam reducimus ante adducta in animalibus inſtituta, inprimis v. g. PETITI & SAUCEROTTII *a*) tentamina, concludere tenemur, in illis in uno tantum hemiſphaerio productam laeſionem, atque intactum fuiſſe reliquum. Iam vero his in experimentis ſi ſymptomata fuerint producta in oppoſito latere, quemadmodum refertur: nullum nobis ſupermanet effugium, quo eventum negaremus. Inter omnia illa maxime etiam huic concluſioni favet experimentum MOLINELLI, quod ex Commentariis Inſt. Bononienſis protulimus antea *b*), qui ſcilicet lobum cerebri ſiniſtrum in cane totum abſtulit, ejusque ablationis effectus fuit, ut in dextro latere evaſerit paralyticus. —

 In

z) Vid. hujus Cap. §. praecedentem.
a) Hujus Sect. Cap. II. §. III. pag. 148. & §. IV. pag. 152.
b) Ibid. §. III. pag. 149.

In illo nunc caſu ſane nulla alteri hemisphaerio, quod è directo erat partium affectarum, illata fuit laeſio, & tamen in oppoſita parte corporis effectus fuit productus. Eodem fere redit experimentum, quod in cane inſtituit Cl. J. G. ZINN c). Ille ſcilicet acu triquetra laeſerat corpus calloſum, illaque laeſio progrediebatur retrorſum & paulo ſiniſtrorſum, per ventriculum ſiniſtrum & corpora ſtriata ſiniſtra, ad baſin cranii: ſiniſtrum igitur hic laeſum erat hemisphaerium; attamen refert illius laeſionis ſymptoma paralyſeos in muſculis dextri lateris conſpicuum fuiſſe.

Hae ſunt Difficultates, quas memorare volui candide, ac nullo modo contorquere, quo noſtra ſententia majorem prae ſe ferret veri ſpeciem, non enim fingendum eſt, ſed videndum, quid Natura faciat feratve.

§. IV.

Negata Decuſſatione, an alia Phaenomenorum explicatio detur, inquiritur.

Quaeri certe jure poteſt, utrum, diſcuſſo &, ni fallor, demonſtrato, nec vetuſtioris aevi ſententias, nec decuſſationem Nervorum aut ſtaminum medulloſorum cerebri, explicando pares, nec materiam hanc ad evidentiam omni dubio majorem redactam eſſe, alia excogitata ſit, aut excogitari queat, explicatio, quae Quaeſtionem hanc abſolvat difficilem? — Aliam excogitatam fuiſſe, antea patuit d): nimirum, decuſſationis theoriam rejicientes MORGAGNIUS & METZGERUS ſuum hic exercuerunt ingenium. An autem hae Auctorum ſententiae rem abſolvant, vereor ut aſſeram: cum

c) Vid. Diſſert. Ejus inaug. ſiſtens Exper. quaedam circa corpus calloſum, cerebellum & duram meningem, in vivis animalibus inſtituta, Gottingae 1749. 4to.

d) Vid. Sect. hujus Cap. II. §. VI. p. 159, 160, 164 & 165.

cum enim dicat MORGAGNIUS (quod venia manium tanti Viri dictum ſit) paralyſin in ipſo latere explicandam eſſe ex vitiatis illis fibris, quae longitudinaliter poſitae in nervos abeunt; non video, quî hemiplegia inde perfecta omnium partium nervis inſtructarum, niſi conſenſu hoc fieri ſupponas, oriri poſſit: & ab altera parte, an meningum quidem convulſio, ſi oppoſitam ſpectat plagam, paralyſis cauſſa hic quidem accuſanda ſemper videatur, dubito: ſic enim non perſpicio, quare ceſſante hac convulſione non etiam ceſſet convulſio, niſi, quod largior, hac convulſione meningum tantam partium cerebri tenerarum adeo, ſubortam turbam, ut poſtmodum fuis functionibus ineptae ſint, ſupponas. — Hoc autem poſito; ſecundo loco rogare liceat, quare fiat, quemadmodum obſervationibus conſtitit, ut redintegratus partium oppoſitarum tantum fuerit tenor tunc, tuncque ſolum, ubi abſceſſus, ſanguis extravaſatus aliusque effuſus humor evacuatus fuerit. Haec ſunt, quae impediunt quo minus MORGAGNII amplecti queam ſententiam.

Et ut de conjectura doct. METZGERI *e*), quod ſentio, libere dicam, illa, me judice, in explicandis dictis phaenomenis haud majoris ponderis eſt: etſi enim obſint & ipſae Obſervationes (ut recte inquit METZGERUS) & argumenta inſuper ipſa ſuppeditet ratio, ut ſupra ni fallor evicimus, quo minus alterna fibrarum aſſumi queat poſitura, in ipſis tamen phaenomenis ſuperſunt remanentque difficultates haud ficulneae, quae non juſte concludi poſſe arguunt, ſemper adfectum eſſe illud hemisphaerium, in cujus è directo latere conſpiciuntur ſymptomata. — At vero ſi vel illud omittamus, quid de reliquis erit ſtatuendum? obtinente ſcilicet paralyſi in uno latere & convulſione in altero, convulſivi iſti motus an activis adſcribendi erunt ſymptomatibus? Naturam humanam Corporis ruinae mini-

tanti proſpicere, &, qua poteſt opera, ei obniti, quovis intendit modo. Motus illam ciere ſpontaneos & molimina animadvertere licet; at convulſionem in uno latere, dum paralyſis ſit in altero, huic virtuti vigili adſcribere, ego quidem dubito; & dubito quidem eo magis, quod nec conſtans in iis producendis ſit Natura, nec requiri videantur, neque paria ſint, Ejus molimina, quibus praeſens malum vel ſublevare, vel corrigere, queat. Sed haec dum aſſero, ſentio quidem hic regeri poſſe, Naturam ſaepe irrita inſtituere conamina, donec tandem vi morbi victa huic ſuccumbere ſit coacta. At vero connubium (utut etiam illud dari ipſe probe perſpicio) ſi tam inſigne duo inter hemisphaeria detur, ut altero adfecto alterum in conſenſum trahatur, ego quidem, niſi penitus fallar, haec ſemper adfore molimina, neceſſe ſit ſuſpicarer, cum ſic illa phaenomena ex nexu illo indiſſolubili quaſi pronaſci debere viderentur; quae quum Obſervationibus hujus morborum generis contraria ſint quo minus hanc amplectar ſententiam, ducor ratiocinio.

Ego (quod praeſiſcine mihi dicere liceat) per longum tempus huic materiae intentus, ac, quantum potui, omne, quod ad illam conferri poſſet, colligens & comparans, quo plus colligo, comparo & quid probe videre videor, eo majorem hac in Quaeſtione dirimenda & explicanda offendo difficultatem. — Conſtantem hic haud eſſe obſervationem, ita ut decuſſatim hic ſemper oritura ſint phaenomena laeſi dimidii cerebri, invictis, ni fallor, demonſtravi argumentis; demonſtravi inſuper, haec ipſa phaenomena fictam nervorum deſtruere decuſſationem, & alia ratione ſuggeri argumenta, quae illam penitus rejiciendam ſuadent: at ſimul ab altera parte innui, dubia hic ſupereſſe quaedam haud levis momenti, ita ut, quid proprie de hac Quaeſtione ſtatuendum ſit, in medio relinquam. Sufficit mihi, per

multa

multa ſaecula inhaerentem opinionem, & huic inſidam ſuperſtructam explicationem, excuſſiſſe; &, licet forte ille mereatur magis de Orbe Litterato, qui receptam opinionem & probabilem confirmet, quam qui omnes evertendo aut nullam amplectatur, aut ſuam fateatur ignorantiam, malui tamen hic gradum cohibere, quam per tenebras illidere: „Natura enim munera ſua non „ſimul tradit, nec omnibus patent, reducta ſunt & in„teriori ſacrario clauſa: ex quibus aliud haec aetas, „aliud poſtera accipit & depromit *f*). “

Qui meliora de his ſapit, ut pro Artis ſalutiferae incremento, ſic & praeprimis Humani Generis ſalute, ea in medium protrahat, aut poſt meas hac de re lucubrationes ſi veterrimum quis excuſſerit inhaerentis opinionis jugum, ut majori hac in re perſpicacia inſtructus noſtro conamine incitetur, quo explicationem magis det abſolutam ſperamus ſerio. — „Multum quidem „egerunt, qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt, „multumque adhuc reſtat operae, multumque reſtabit, „neque ulli nato poſt mille ſaecula praecidetur occaſio „aliquid adjiciendi *g*). “

§. V.

Quaeſtiones, quae ex antecedentibus fluunt, perſtringuntur.

Atque ita dum ſentio, non tam difficile mihi erit judicium ferre de Quaeſtionibus duabus, quae ex antecedentibus ſua ſponte quaſi fluunt, 1°. ſcilicet, *Utrum in Apoplexia & Laeſione Cerebri, quam conſequitur Hemiplegia, V. S. inſtitui debeat in adfecto Latere, an in oppoſito*, & 2°. *Quid ſtatui debeat de Effectibus Vulnerum Capitis convulſivis vel paralyticis pro dimidia parte Corporis, in facienda eorum ſedis diagnoſi, periculi prognoſi & curationis methodo.* Cogni-

f) Seneca in Quaeſt. Lib. VII. Cap. 35.

g) Apud Eundem Epiſt. 33.

Cognitum probe & ad amuſſim perſpectum ſi foret adfectionum illud genus, quod in longum pertractavimus, duplex hiſce adflictis adduci poſſet emolumentum, alterum, ut è directo adfecti Lateris inſtitueretur V. S., quae ferme omni in tali caſu indicatio urgens eſt, quamque omni caſu potiorem eſſe in antecedentibus *h*) argumentis omni dubio majoribus, & ab experientia, fida illa magiſtra, deſumtis evicimus; alterum, poſito, quod aliqua determinata in parte unius hemisphaerii, vel & utriusque effuſus eſſet ſanguis, aliusve humor alienus (commotio enim ſi medulloſorum cerebri ſtaminum adfuerit, generalis adhiberi tantum poterit cura) ut ſciri poſſet ſedes mali, periculum indicari, ac trepano aperiendo caput, quo humor evacuari poſſet, cura fortunatior ſaepe inſtitui.

Conſtans modo ſi foret Obſervatio factorum, perinde nobis eſſet, utrum ad amuſſim horum phaenomenorum explicatio poſſet dari, an minus: experientiam quippe tantum dictis in caſibus conſulere oporteret, quemadmodum etiam faciendum credidi de priori Quaeſtione, cum hac quidem (ut ſupra vidimus), quantum ex aliis Auctoribus addiſcere potui, conſtiterit, fortunatum ſemper fuiſſe eventum, ſi ex ſana detraheretur corporis parte: & illud quidem eo magis mihi praeſtandum videtur, quod Nervorum influxum legitimum cum caret ſyſtema circulatorium, hoc in latere debilitetur adeo humorum circumagentium progreſſio, ut quandoque vix, quandoque nullatenus, educi queat latex ſanguineus, qui per adfectum decurrit latus. Etiamſi igitur ſtatuamus, è directo cerebri laeſi ſemper adfici Corporis dimidii partes, vel contra laeſo cerebro oppoſitas adfici partes, & vel maxime putemus, in genere V. S. directam plus profuturam, ob Hominis dimidii con-

h) Vid. Sect. I. Cap. III. §. VIII. pag. 99., ubi illius jam fuit facta mentio, ita ut illa cum his conferri mereantur.

conſenſum & bipartitionem, quemadmodum Sect. I. probavi; in hoc tamen caſu, experientia duce, ad V. S. in oppoſita parte adfecti corporis maxime recurrendum erit, ut V. S. evacuatoriae effectus ſi non fortunatiſſimi, fortunatioris ſaltem, quam nullam inſtituendo, potiri adnitamur *i*).

At vero quantum abeſt, ut de altera Quaeſtione determinatum proferatur judicium: fallit hic experientia, & illa fallente, an ſerra capiti circumſcribemus hiatum, ea ſpe freti, fore, ut ibi loci inveniatur materies effuſa? In ancipiti & infido malo, quemadmodum vulnera & laeſiones cerebri ſunt, nihil omittendum eſſe, quivis bonus judicabit Medicus ac Chirurgus, at certioribus abſentibus ſymptomatibus, ſola ſuſpicione materiae latentis ex praeſenti phaenomeno, quod fallax quippe ſolet eſſe, indicationem formare, quo cranio circumſcribatur hiatus, ſi non temerarium, imprudens mihi videtur. — Ex hoc igitur phaenomeno, quemadmodum ex aliis bene multis, quae Vulnera Capitis concomitantur, materiam latentem, nulla exiſtente fractura, dari in cranio effuſam, atque recluſam conjicere licet, praeſentem autem eſſe certo & determinato cerebri loco aſſerere neutiquam, ita ut, recte notante Cl. Louisio *k*), haec lucidiſſima, obſcuritatis licet plena, habenda ſint ſymptomata, quemadmodum latius demonſtrabo in Diſſert. jam memorata de *Contrafiſſura & Vulneribus Capitis.*

§. VI.

i) Cautionem hanc ſupra inculcavi, vid. Sect. I. Cap. III. §. IX. pag. 104.

k) In Ejus Libro ante cit. pag. 34.

§. VI.

Quid Syſtema Nervoſum per ſe, quidque actione ſua in alias partes, ad Morbos Unius Lateris conferat, reſpicitur.

Abſolvenda data fides eſt *l*). Vidimus ſic per totum ambitum hujus Sectionis, quantum ex diſtributione diſpoſitum videatur Syſtema Nervoſum, ut morbi proveniant unius Lateris. Sive jam ſtatuatur, cerebri hemisphaerio altero laeſo eos decuſſatim oriri, ſive è directo, perinde erit quoad effecta Morborum Dimidii Hominis; utraque quippe ſententia liquido demonſtrat, haud immerito aſſerendum, *Hominem in Syſtemate Nervoſo, aeque ac in aliis, bipartitum eſſe, ſic ut dimidia pars illius poſſit adfici, dum altera in legitimo ſuarum functionum tenore pergat ac perennet.* — Si vero vel obiter conſideremus, hac ipſa diſpoſitione ac bipartitione Nervorum morbos non raro produci dimidii Corporis, qui ſuam originem Nervorum virtuti, eique ſoli, dimidiatim adfectae debent, quantum non idem Syſtema Nervoſum favere debet, ut, intermediante quaſi nervorum actione, in functiones reliquas, ſuo imperio in dimidio Corpore producantur morbi, non futuri certo certius, niſi eorum virtus ita in illas ageret, ut hiſce adfectionibus producendis diſpoſitae forent quam maxime. Nervoſum Syſtema, quantum ex ejus diſpoſitione, & in dextrum ſiniſtrumque corpus aequali diviſione, unius alteriusve lateris morbis producendis faveat, vel obiter intuenti patebit, ſi conſideraverit Naturam in diſtribuendis Nervorum Paribus talem obtinuiſſe modum, ut Olfactorium per utrasque diſtribuerit nares; Opticum, oculorum Motorium & Patheticum utrique dederit oculo ejusque muſculis; Quintum tribus ſuis ramis per utramque faciem, ejus muſculos ac

l) Vid. Sect. I. Cap. II. §. VI. pag. 59.

ac quodvis Linguae dimidium diſperſerit; Sextum per utriusque oculi muſculos Abductores diviſerit, atque ex eo & Quinto pari in utrumque corporis latus dimiſerit utrumque Intercoſtalem; Septimum portione ſua molli per utramque Aurem internam diſſeminaverit, dum dura ejus portio in pedis anſerini formam faciem obtegens ejus muſculis inſervit; Octavum cum ſuis Acceſſoriis & Recurrentibus in utroque latere colli muſculis, linguae, laryngi, pharyngi, oeſophago, cordi, pulmoni utrique interſeruerit; Nonum praeter varios ramos, qui colli partes adeunt, urique parti Linguae diſtribuerit; Decimum in utrumque latus per muſculos obliquos, & quosdam extenſores capitis, explicaverit; & denique triginta reliqua nervorum Paria (quorum tertium quartumque emittunt utrumque Phrenicum) ex Medulla ſpinali in utrumque truncum atque extremitates ſegregaverit.

Quantum praeterea Nervoſum Syſtema in totius Corporis H. actionibus requiratur integrum, quantumque in N. C. influat, docent Nervorum laeſiones, qui partes privas adeunt, illarumque pediſſequa functionum imminutio, docent dolores irritationesque diverſi generis, aut in ipſa parte ſpasmos, convulſiones, circuitus humorum perturbationes, aut conſenſu mirabili, quem cum diſſitis alunt partibus, eosdem effectus non raro producentes in remotioribus. Exemplo ſint effectus animi pathematum: haec, etſi commercio, quod bina inter Hominis principia viget, producantur, nervorum tamen ope functiones noſtras ſaepe turbis agitant, ac eorum vires ita animant, ut eorum virtute impetuoſius nunc agente depravatae, in motus aberrent vitioſos. — Auctior & expeditior circulatio, ſecretio, excretio, quae concomitantur gaudium; impetus efferati, quibus muſculos, ſanguinem, bilem exagitat ira; pallor, torpor, macies, cachexia, quem febre

bre lenta adpetitu proſtrato infert odium, livorque; vis nervea languens, tonus partium fatiſcens, motuum vitalium imminutio pulſus tardus, contractus, circulatio lenta aliaque ſymptomata, quae moeroris pediſſequa ſunt; muſcularium virium infirmatio, tremores membrorum, ſphincterum reſolutiones, ambitus circulationis contractus, unde pallor, ſiccitas, perſpirationis ſuppreſſio, attractio major, anxietas aliaque, quae metum inſequuntur; & denique Nervoſi Syſtematis conquaſſationes violentae, adfectiones ſpasmodicae, convulſiones, epilepſiae, quae non raro conſequuntur terrorem *m*); nonne totidem demonſtrationes ſunt, quod magna Nervorum actio ſit & energia in producendis variorum morborum generibus, atque, à Syſtemate Nervoſo ut N. C. inſigne trahit emolumentum, quo ſanitas perennet, ſic etiam ab ejusdem interturbata actione labefactetur inſigniter.

Haec omnia ſi cum allatis *n*) conferantur, non ita forte obſcure percipietur, quî quandoque vel mere nervei oriantur unius lateris morbi, vel nervorum actione, ἐνεργεία & conſenſu in Vaſculoſo Lymphaticoque Syſtemate, Textu Celluloſo aliisque N. C. partibus earumque actionibus (modo dimidiá, ut ita dicam, Nervorum adficiatur ſeries) Dimidii Corporis progerminent adfectiones, ac ſuam ſymbolam tantum eo conferant, ut his non adfectis vix illas productum iri poſſet concipi.

Morborum unius Lateris mere Nerveorum exempla ulterius proferre maxime inutile foret; eorum in Sect. hac perplures adduximus Obſervationes: at vero, quo

m) Conf. Ill. GAUBII Inſt. Path. Med. à §. 532. ad §. 543., cujus elegantem animi pathematum picturam in hiſce ſecutus ſum.

n) Confer. Obſervationes Sect. I. Introductionem Sect. II. & Obſervationes, quas, retulimus Cap. II. §. II.

quo altera confirmetur aſſertio, priores obſervationes quando vel leviter perluſtramus, illius rei idea nobis, ni fallor, deveniet clarior. Scilicet, ratione haec argumenta ſi non ita deſtituta quis credat, concipiet forte mecum facilius, quî hac Nervorum aequali diviſione in N. C. partes dimidias, imminuta vel adaucta virtute dimidia partium connexione nervorum ope cum aliis, è directo oriri poſſint genarum & linguae rubores & intumeſcentia *o*): etenim, etſi huc ſane requiratur, ut majori copia adferatur ſanguineus latex, quo rubeant hae partes ac turgeſcentia infeſtentur inflammatoria, attamen & maxime, irritatis in partibus, in quibus malum haeret, nervis, eorum communicatione effici poteſt, ut è directo in aliis partibus oriantur adfectiones adaugeanturque. Obſervatio, quam mecum communicavit Cl. VAN DOEVEREN, luculentiſſimum hic exemplum eſt *p*). — Nec dubium eſt, quin ſuam etiam contulerit ſymbolam Syſtema Nervoſum in producendo Ictero dimidii corporis, cujus antea *q*) fecimus mentionem, licet tamen & aliae adfuiſſe videantur cauſſae & conditiones, ut ſupra retulimus *r*), ita ut combinationem variorum Syſtematum huic morbo producendo con-

o) Vid. Sect. I. Cap. I. §. I. Ad hunc §. adhucdum poteſt addi, quod in Pleuritide quandoque è directo adfectae pleurae conſpiciantur genarum rubores: horum meminit WIPACHERUS Tract. cit. pag. 59. & illius manifeſtiſſimum exemplum adducit (pag. 94) Virginis, quae pleuritide correpta genam adfecti lateris ex coeruleo rubentem habuit, quod quidem tanto luculentius poterat conſpici, quanto magis haec à Natura alioquin ipſi haud noverca vultu egregie florido, &; ſi colori credendum, ſanitatem ipſam referente, erat donata.

p) Vid. Sect. I. C. I. §. I. p. 5

q) Ibid. §. II.

r) Ibid Cap. II. §. V. praeſertim pag. 55. & 57.

contribuiſſe veriſimile ſit. — Nec abſonum pariter mihi videtur huc etiam ſuas contribuiſſe partes Syſtema Nervoſum, quo ſudores produceret unius Lateris, qui ſupra fuere deſcripti *s*): ex ſymptomatibus enim hos concomitantibus & cauſſis, quas illis ſubeſſe perſpexerunt Obſervatores *t*), illud colligi poſſe non dubie apparet. — Ab animi pathematibus morbisque nervoſis Salivam quandoque augeri & alterari notiſſimum eſt, ita ut nunc acris evadat, dulcem ſaporem linguae imprimat, aliave contrahat vitia, quae documento ſunt, nec huic functioni ſuum denegare influxum Syſtema Nerveum *u*). Quod ſi haec ita ſeſe habeant, licet certe vaſorum actio hinc interturbetur, & proinde aliter in eorum fluidis elaborandis ſeſe gerere debeat, nonne tamen hinc repetenda quodammodo videtur unius lateris Salivatio, quam ſupra memoravimus *v*)? Eodem praeterea redeunt, quae adnotat PECHLINUS de uno latere frigido cum concomitante inſultu epileptico *x*), ubi tragoediam luſiſſe pro maxima parte videtur Syſtema

s) Ibid Cap. I. §. III.

t) Conf. ſententiam PECHLINI & HARTMANNI ibid. Cap. II §. II. pag. 42.

u). Conf. HALLERI Elem. Phyſ. Tom. VI. pag. 53.

v) Vid. Sect. I. Cap. I. §. VIII. pag. 29. Confirmare hanc rem videtur ſalivae dulcedo in altero latere, cujus meminiſſe VIRIDETUM (*du bon chyle* Pag. 293.) Auctor eſt HALLERUS (l. mox. cit. ad notam *c*)). Eadem haec confirmare videntur, quae legimus in Miſc. N. C. (Dec. II. ann. IX. pag. 460.) à JOH. MATH. FABRO obſervata: ſcilicet „ Civis Heilbr. cum per ſcalas ruens occiput vehementer concuſſiſſet, curatus tamen, nil aliud patiebatur inſolitum, praeterquam quod ſaporem nullum, niſi dulcem, quicquid etiam guſtaret, perciperet, & inprimis in latere, ubi caput maxime laeſum fuerat. “

x) Ibid. Cap. I. §. IV. pag. 12. Veluti certo contigit in morbo nervoſo lateris unius, ſed ſimul tamen quoque vaſculoſo, quem ex hoc Auctore citavi pag. 132. Not. *y*).

ma Nervoſum. An denique Tumor brachii, una cum tumore teſticuli ejusdem lateris, ac Nephritidis ſymptomata, è directo caput adficientia, alterutro laborante rene *y*), ex eodem fonte repetenda ſunt? niſi in priori caſu ad Syſtema Lymphaticum ſimul recurrendum ſit, ut ſupra innui *z*), illa ſymptomata ad Syſtema Nerveum referri debere credibile eſt; at vero in poſteriori caſu ſymptomata à Nerveo ſyſtemate è directo adfecto ac cum capite per conſenſum communicante, deducenda eſſe ego quidem adfirmaverim.

Atque haec ſufficiant: quae ſi quis non tanti forte ponderis exiſtimet ut rem abſolvere videantur, relegat quaeſo paullo curatius Obſervationum par, quod ſuperius fuit allatum *a*), invenietque, ni fallor, & morbos dari unius Lateris mere nerveos, & ſuo praeterea influxu in functiones vaſorum & ceterarum partium Syſtema Nervoſum contribuere inſigniter, quo ſuas phaſes in altero dimidii Corporis Latere producant potentiae morbificae. — Prolatam ſuperius MANGOLDI obſervationem *b*) ſi attentione paullo ſeveriori perlegimus, quam pulcre non inde adparet, quî ex adfecto

M 2 unius

y) Ibid. Cap. I. §. IX & X.

z) Ibid. Cap. II. §. V. 57.

a) Vid. hujus Sect. Cap. I § VI & VII.

b) Ante paucos dies, cum, quae ad Sect. I. referenda erant, jam erant impreſſa, ad me tantum pervenit pulcra haec Obſervatio & hinc ob ejus praeſtantiam & fidem hunc locum illi aſſignare fui coactus, cum, ſi prius ad manus meas perveniſſet, convenientius in Sect. I. fuiſſet commemorata. Interim gaudeo, abſoluta ſectione priore, me tamen illam reſciviſſe, quia Conjecturis meis de Cauſſis Mechanicis & Dynamicis in producendis unius Lateris morbis robur addit inſigne; quapropter quoque eam totam commemorandam eſſe quam maxime credidi, in hac quippe obſervatione & notantur ſingulae, quae quicquam ad hunc morbum producendum contulerunt, & conjunctae ſuas etiam contribuerunt partes, ut ſic exſtiterit, quemadmodum relata eſt.

unius Lateris Syſtemate Nervoſo debilitata videatur vaſculorum cutaneoum, eorumque exhalantium orificiorum ſeries, in eodem latere, ita ut ἐνεργεια Nervorum deficiente humores ſuos elabi quaſi conceſſerint; qui porro in dextro latere illorum vaſorum vis requiſita aut defuiſſe aut ſpaſtica nimis adfuiſſe, cum nervos ſtimulantia aut humorum motum incitantia requirebantur, quo ſudor ex illis poſſet prolici; qui denique in adfecto Syſtemate Vaſculoſo unius tantum lateris concurriſſe hic ſimul videantur & cauſſae dynamicae & mechanicae, quum partim à vi vaſorum inſita pulſationes arteriarum repetendas, partim à cauſſis mechanicis, eum, corporis mutata poſitura motus hi abnormes eſſent vel legitimi, deducendas credibile ſit?

Haec omnia igitur ſi quis ad ante dicta tranſtulerit ſuo loco, haecque attenderit in combinatione legum mechanicarum, & dynamicarum, invenerit, ut opinor, horum Syſtematum diverſorum actione, quandoque ſola, quandoque combinata, *Adfectiones* produci *morboſas dimidii Corporis*, atque haec omnia documento eſſe, quod in morbis producendis quandoque *dextrae partis facultas & natura à ſiniſtrae partis natura & facultate differat.*

Atque hic dum explicit Diſſertatio, reſpiciens ad lacunas & hiatus, quos relinquere in explicationibus Cauſſarum fui coactus, in memoriam revoco dictum illud Sagaciſſimi BACONIS „Homo Naturae miniſter & in„terpres tantum facit & intelligit, quantum de Natu„rae ordine re vel mente obſervaverit, nec amplius ſcit „aut poteſt.“

F I N I S.

II.

2.

II.

BER. PEYRILHE,

Doctoris medici Toloſani, e regio chirurgorum Pariſienſium Collegio, Acad. ſcient., Inſcription. et humanior. Litter. Toloſanae et ſcientiar. Monſpelienſis Socii,

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

CANCRO.

Quam duplici praemio donavit illuſtris Academia Scientiarum humanior. Litterar et Artium Lugdunenſis, in conventu publice habito, die octavo Decembris, anno 1773.

Antverpiae 1775.

VIRIS
ACADEMICIS
MONITUM.

Non huic fini deſtinatum, veſtrae committitur trutinae, Viri Academici, circa cancrum & cancroſum virus tentamen, quod in gallicum ſermonem vertere anguſtioribus limitibus coercere, atque in alium ordinem digerere animo habebam, niſi cumulata negotiorum turba obſtitiſſet: quam igitur inter Opuſculi propoſita & Academiae poſtulata facilè deprehendetis diſcrepantia, nativa macula eſt.

Quaedam obſcura dilucidare, quaedam allegata probare, quaedam ſuperflua delere potuiſſem; his veniam rogo.

DE CANCRO DISSERTATIO ACADEMICA.

I.

INFAUSTA priſcorum recentiorumque Medicinae Antiſtitum circa cancrum conamina, nos à calcata diu via arcent, ſuadentque deflectere. Nec tamen nobis mens adeo laeva eſt, ut celebrium virorum lucubrationes inutiles prorſus reputemus: ſtent illorum morboſis deſcriptionibus, accuratiſſimisque obſervationibus ſua praemia. Verùm quae de causa cancri proxima, quae de viru cancroſo abundè diſſeruerunt parcâ manu legamus; parcè utamur illorum praeceptis circa cancri therapeïam, tum diaeteticam, cum pharmaceuticam, ne infelices, quos ipſi deplorant, morbi eventus ultimos eſſe artis limites fateri cogamur.

II. In confeſſo eſt Neotericorum conatus vix quicquam profeciſſe, ſeu in perquirenda cancri natura, ſeu in ipſo morbo profligando: ſcalpello hodie aut cauſticis cancrum curamus. Nonne ipſiſſimis enkeireſibus oppugnabatur in primis artis incunabulis?

III. Novi ergo ad horrendum inexpugnatumque morbum quaerendi aditus; nova locanda principia, unde diverſa medendi ratio (infelix forſan) eruatur. Non mediocrem laboris noſtri mercedem reportabimus, ſi hoc opuſculo neceſſitas deflectendi à trita ratione inquirendi cauſas, materiem, phaenomena & remedia cancri innotuerit.

Quod poſuit inſignis, quae Lugduni floret, Academia,

mia, programma in ſequentes propoſitiones diſcerpo.

1°. Cancroſi vitii cauſas inquirere.

2°. Genuinam ejus naturam ſtatuere.

3°. Ejus effectus rimari, atque explanare.

4°. Poſſibilitatem cancrum ſanandi, medicamentis tum internis, tum externis, certis limitibus coercere.

5°. Optimam cancrum curandi methodum proferre.

SECTIO PRIMA.

Cancroſi virûs cauſas inquirere.

IV. Huic enodandae quaeſtioni praemittendam eſſe cancri theoriam duximus, eo praeſertim rationem momento impulſi quod virûs cancroſi cauſae cum ipſius morbi cauſis copulatae ſint, ab ipſiſque potiſſimum deriventur.

V. Ut cancrum curare, ſic eum definire perarduum eſt: ſi Opera medica pervolveris, vix quicquam, praeter immenſam definitionum ſeſe mutuò oppugnantium farraginem reportabis *a*). Nec facile erat id vitium fugere; cùm Autores morbum, naturâ ſua ſimplicem, in plures aegrimonias diſcerpſerint; dicti veritatem comprobant *ſcirrhi exquiſiti, non exquiſiti, benigni, maligni, ſanguinei, lymphatis, cancri occulti*, aliaque huic morbo impertita nomina. Nos ſcirrhum cancrumque quaſi unicum morbum ſpectantes, varia ejus ſtadia, varias conditiones indagabimus; qui ordo naturae prorſum conſonus, & luciditati accommodatior viſus eſt.

a) Inſtar omnium Auctorum ſint pauci: Cancer *occultus* nihil aliud eſt quam *Scirrhus ſanguineus. Juncker.* (Conſp. Chir. pag. 137.), *Platnerus* eodem nutat carbone *ſcirrhum malignum* (Inſt. Chir. §. 264.), quo *Boerrhaavius Cancrum occultum* (Aph. 497.)

Cancri definitio. Primum ſtadium, nempe ſcirrhus non exquiſitus *Auctorum.*

VI. Tumor cuti concolor, durus, renitens, magno, exiguo aut nullo dolore ſtipatus, prima exhibet cancri rudimenta *b*).

Secundum ſtadium. Scirrhus exquiſitus.

VII. Vel creſcit, vel in eodem ſtatu quieſcit hic tumor: ſi augeſcit, primum adhuc percurrit ſtadium; ſi ſenſu amiſſo *c*), doloreque fugato, placide latet, ſecundum intrat ſtadium *d*).

Tertium

b) Turba Scriptorum autumat omnem cancrum ab exiguo tuberculo propullulare. Vide *Gendron*, inter hos non incelebrem, *Hoffmann* &c. *Meliceridem*, *atheroma*, *ſteatoma* ad ſcirrhum, & conſequenter ad cancrum refert von Swieten. (T. I. pag. 779.) Apud *Platnerum* legimus (ibid. §. 773.) ganglion, tumorum benigniſſimum, in cancrum verſum, *incredibilem vim humoris acrioris & fetidioris eructantem*, *more cancri* aegrum iugulaſſe. Unum de mille ſufficere exemplum reor. Si ſint tamen quibus noſtra haec definitio, aut potius deſcriptio non arrideat, hos rogatos volumus ut attendant quantum à *cancro vero* ulcera cancroidea diſcrepent; & praeſentis Operis paragraphum 83 & ſequentes conſulant, ubi de his ulceribus actum eſt.

c) Scirrhi Inſenſibilitatem certo certiorem ponunt Auctores. Verum, quaeſo, quibus ſignis ſe prodit adeo celebrata haec inſenſibilitas? Quis unquam ſcirrhum immediatè tetigit, antequam ipſi ferrum admoveretur? porrò cum ad illum pertingere non detur, undenam ergo derivatur ejus inſenſibilitas, quae pro ſigno diagnoſtico traditur: fas quidem eſt affirmare ſcirrhum non dolere, ſed ipſum non ſentire, neutiquam. Nolui tamen amiſſam ſenſibilitatem praetermittere, ne nimis diſcedere viderer à ſolita definitione.

d) Auctores qui tumorem in prioribus duobus ſtadiis poſitum nudo *tumoris* nomine donant, & eum de quo proximè dicturi ſumus, *ſcirrhum* vocant, vocibus, non re à nobis diſſentiunt: dum enim poſthac ſcirrhi primordia rimantur, ad tumorem lymphaticum

Tertium ſtadium. Scirrhus malignus *quibusdam*; *Cancer occultus aliis.*

VIII. In hoc ſecundo ſtadio per plures annos latitare omni vacantem noxâ cancrum haud infrequens eſt. Verùm vel inſitâ ſuâ vi, vel occaſione incongruae medelae, adverſi regiminis, ictûs &c. ſenſum immò exquiſitum, induit; dolor lancinans, pungens, urens ingruit, qui non uno tenore urget, ſed, ſtatutis quaſi intervallis, potiſſimùm ſub veſperam recrudeſcit: haec ſunto tertii ſtadii phaenomena.

Quartum ſtadium cancer apertus; *carcinoma Auctorum; phagedaenam dixere Graeci. Huic ſtadio competit cancri definitio Junckeri.*

IX. Haec invaleſcunt ſymptomata aſperitate ſuffunditur tumor; acuminatur; vaſa circumfuſa turgeſcunt, atra fiunt, fuſca aut violacea. Creſcit intereà tumor, & certis ſpatiolis emollitur, tandemque eroſâ cute rumpitur. Subinde aſpectu horribile panditur ulcus, labiis denſis, duris, inverſis, nunc expalleſcente rubris, nunc lividis, notatum; ichorem fundens acrem, fetidum, fuſcum, flavum, viridem, ſanguinolentum; ſerpens edendo, devorans quodcunque arripit, quo, niſi occurratur, horrida inter tormina aeger conficitur.

Sedes Cancri.

X. Sedes frequentiſſima & ferè propria cancri ſunt glandulae, partes glanduloſae molles & laxae, atque organum omne quod textu cellulari rarâ adipe foeto con-

cum,quem nos pro cancro primi & ſecundi ſtadii ponimus recurrunt; pariter dum de cancro verba habituri ſunt, á ſcirrho ordiuntur ſermonem. Faciunt ergo idem quod nos; cum hoc tamen discrimine quod primordia cancri, quae nos, ope lucidae diviſionis clare & pleno rivo deduximus, illi, turbato ſermone, obſcure vix expendant.

conflatur. Notandum tamen organa cordi viciniora & exquiſitiori ſenſu donata crebriùs cancro tentari, ceteris paribus, quàm remotiora & obtûtiori ſenſu praedita; & cancrum jam natum ſaevire in ratione viciniae à corde, & ſenſibilitatis partis affectae.

Cauſa continens ſeu proxima cancri.

XI. Materialis cauſa cancri eſt humor ille qui ex oeconomiae legibus ſupradicta organa irrorat & praeterlabitur: porro conſtans & excluſorium textûs cellularis & glandularum plerarumque cum lympha commercium Kawi, Monroi &c. experimenta inconcuſſè comprobârunt. Ergo lympha eſt cauſa materialis cancri. Non ergo audienda, de cauſa hac materiali cancri, Antiquitas: quidquid diſſeruit de pituita craſſa, de atrabile, de fermentis, de acidis coagulantibus, &c. commentitum eſt, Galenique ſubtilitatem redolet. Nec magis experimentis ſuffragantur ii qui ſanguinem inculpant *e*).

Cauſa remota cancri.

XII. E plurimorum affectuum gremio pullulare cancrum vulgare eſt: chloroſis, deficientia *f*) aut ſuppreſſa menſtrua, moeror & triſtitia, de ſeriis diuturnior & profundior meditatio, melancholia, vita deſes & otioſa &c. ut lympham cogere, ſic cancro natales praebere va-

e) Vide exper. D. de Senac. T. II. pag. 98. Becket *de Cancro*, pag. 165, & noſtra, parag. XXXI.

f) Propriis obſervatis comperuit Dioniſius (Cours d'Op.), ex viginti mulieribus, quae cancro laborant, quindecim affici intra quadrageſimum quintum & quinquageſimum aetatis annum. Cancrorum ſeminia potiſſimum exoriri ſub deficientibus aut ſuppreſſis menſtruis, non eſt quod mireris. Saepè ſaepius enim hujus excretionis ſuppreſſionem antecedit aucta ſanguinis, & conſequenter lymphae denſitas; & cum non praeceſſit, ſequitur. Hanc ſanguinis conditionem teſtatur cruſta phlogiſtica, quam ſanguis e talibus aegrotis venaeſectione extractus oculis digitisque ſubdit.

valent. Summatim, quaecumque lympham mediatè vel immediatè cogunt, quaecumque, vaſorum diametros imminuendo, anguſtiorem viam lymphae parant, ſive ea acria chymica aut phyſica ſint, frigida aut calida, interna aut externa, quamvis varia ratione agant, lymphae greſſum morari, hujus ad receptacula adhaeſioni & obſtructioni pediſſequae atque, quondam naſcituro, cancro favere in dubium eſt. Demum inter cauſas cancri remotas, primas mereri ſedes ictus, caſus, preſſiones validas, à corporibus duris illatas, &c. ſuâ quisque doctus eſt experientiâ.

XIII. Nec inſimulandum eſt horrendae hujus cladis naſcentis cancroſum virus: non enim ex aura cum aëre inſpiratur, non deglutitur cum ingeſtis, non ipſo ictu aut caſu corpori incutitur *g*). Ergo-ne quae de viru cancroſo uno ore praedicantur, vana omnino ſunt? Minime; ineſt cancro in tertio & quarto ſtadio vigenti peculiaris ichor, cui virûs nomen competere, ſi perpendantur ſtrages quas edere natus eſt, nemo inficiabitur. Verùm hic ichor, ſeu virus, in ipſis cancri penetralibus progignitur, ab ipſa tabe propullulat; proinde non morbi cauſa, ſed ſoboles reputandus eſt. Fictitium manifeſtò eſt, quòd inter cauſas cancri primarii recenſetur, virus.

XIV. Cùm cauſae, tum remota, tum proxima, hucùsque recenſitae, non magis ipſi competant quàm reliquae tumorum lymphaticorum familiae, cùmque cancer peculiari indole praeditus ſit, individua poſt ſe trahat accidentia, & ſingulari, ſi ſibi relinquatur, finiatur exitu, ſpeciales cancroque individuae cauſae indagandae ſunt.

XV. Diximus lympham, canaliculis ultimae diviſio-

nis,

g) Num detur virus contagioſum, aut haereditarium alibi diſputabitur (parag. XXXVIII.)

nis, telaeque adipoſae areolis impactam, eſſe cauſam materialem cancri. Diſquirendum jam quae vis inerti innocuoque latici calcar addat, tantamque metamorphoſim exequatur.

XVI. Quanquam cancer occupare valeat partes omnes, quas minima vaſcula cujuſcunque ſortis perreptant *h*), frequentiùs tamen, ut dictum eſt, loca glanduloſa laxa, textu cellulari conflata, vaſis nervoſis & lymphaticis denſis interſperſa & irrorata ſolet infeſtare. Quaecunque ſint cauſae quae lymphae has partes lambenti, moras nectunt, quales ſuppeditant eretiſmus ſolidae compagis *i*); ipſiusmet lymphae viſcoſitas aut denſitas; canaliculorum, areolarum, vaſorum ſanguineorum atonia, â qua infarctus, ictus, caſus, preſſiones, à quibus ſugillationes variae, certum eſt quòd dato primùm obice, fluidum à tergo urgens, haerentes moleculas magis magisque premet, & mox partim primis obicibus coagmentabitur, partim in vaſa collateralia deflectet. Porro cùm hocce fluidum, quod ſupponimus lymphatico de genere (§. XI.), à tergo irruens denſitate peccet, ſeu id vitium per moras quas in parte morbo affecta paſſum eſt, ſeu alio modo acquiſierit, à locis obſtructis ſe aegrè, expediet, ſtare cogetur, infarctum primitivum promovebit, in vaſa infarctorum vicina preſ-

h) Cancroſum pericranium vidit *Wiſman*; canthum majorem oculi *Foreſtus*; oculos *Job a Meekren*; carunculam lacrymalem *Tulpius*; cancrum circa aures furentem *Wiſman*; tempora exedentem *Tulpius*; nares *Riverius* & milleni alii; genas *Wiſman* & alii; mentum *Foreſtus*; gingivas *Riverius*; linguam Ruiſchius; mammas viriles *Heiſter*, *ego*; veſicam urinariam *Eſſais d'Edimb.* hepar, lienem, pancreas Obſervatorum turba; urethram muliebrem *Stalpart*; uterum Obſervatorum exercitus; penem *Hildanus*; anum *Turner*; crura *Amatus Luſitanus*, &c.

i) Le Cat, Recueil des prix de l'Academie Royale de Chirurgie, T. I. in 4*to*.

preſſionem adaugebit; unda nova appulſuro fluido obſtacula naſcentur. His unitis, & creſcit & induraſcit tumor, uſquedum nato, inter receptaculorum reſiſtentiam & vim truſivam cordis & arteriarum, aequilibrio morbus quieſcat, aut ſaltem quieſcere videatur.

XVII. Hic praeceps ſiſtitur occaſio cancro anſam praeſcindendi reſolutionem moliendo, quam gummis aceto ſolutis, fumo aceti nunc puri nunc camphorati, lento igne vaporati *k*), vapore aquae tepidae, ſolutionibus ſaponaceis & alkalinis, valde dilutis, & medicamentis internis ejuſdem virtutis, quandoque feliciter perficimus.

Hinc exulent acriora topica: non modò enim curantem inani ſpe deludunt, verùm morbum exaſperant; tum vaſa ſtringendo, tum uberiorem liquidi adfluxum in locum jam ſarcinâ gravatum moliendo. Hac medelâ non raro inflammatio, omnium accidentium atrocius, accerſitur, & patiens ad miſeriarum faſtigium devehitur.

XVIII. Hic quandoque quaſi ſuſpenſa manet vis vitae, nec agit tumorem ad eum duritiei gradum, qui potentioribus medicamentis in poſterùm reluctaretur. Tunc obſtructio è benigniorum tumorum claſſe non egreditur. Cùm autem cauſae trudentes perſeverant, iis actus inceſſanter tumor mox lethiferam indurationem induit, nullis debellandam remediis; nec ceſſaturam quin cancer ad actualem ulcerationem, aut occultam, aut manifeſtam, devolutus fuerit.

XIX. Sublato tumoris, propter indurationem, influxûs, & effluxûs commercio cum univerſa humorum maſſa, ſalvis licet aliquantulâ, inhalatione, atque exhalatione,

k) Gal. (2 ad Glauc.) alternatim adhibitis emollientibus & vapore aceti ſcirrhum curabat. Hac medelâ, ut ipſe teſtatur, multi pauco temporis interſtitio, ita perfecte fuerunt ſanati, ut multis fere magicum opus videretur.

latione, & fortè per vaſa majora aliquali motu circulatorio, lympham coercitam primò, & deinde ſolida coercentia ex aeternis œconomiae animalis legibus non poſſunt non putreſcere, & in tabum verti. Hoc *tabum* genuinum *cancroſum* virus reputamus; idcirco tale tabum in gremio tumoris cancroſi generari probandum ſuſcipimus, ſequenti ſectione.

SECTIO SECUNDA.

Genuinam virûs Cancroſi naturam definire.

XX. Fluida animalia cuncta, loco moderatè calido ſtagnantia, putreſcere notiſſima res eſt: ergo putreſcent humores è quibus conflatur cancroſus tumor. Verùm aliqualem naſcituro putrefactivo motui prorſus neceſſariam eſſe fluiditatem teſtantur experimenta: Carnes (vulgare eſt experimentum) exſiccatae non priùs putreſcunt, quàm humidum hauſerint. Et ſanè, ut motus putrefactivus locum habeat, requiritur actio & reactio molecularum ſubſtantiae in putre tabum reſolvendae, quae ambae impoſſibiles forent, niſi certa adeſſet fluiditas. Quamvis nos non lateat ingenioſum *Lecat* totum putrefactionis negotium fugae *ſpiritûs conſervatoris cujuſdam anomali* dare, illud nos, ablegata omni cauſſarum abſtruſiorum diſquiſitione, tepori & quieti tribuimus.

COROLLARIUM PRIMUM.

Hinc ſponte fluit cancroſas concretiones tandiu à putrefactione immunes fore, quandiu ob humidi penuriam, omnis molecularum inſenſibilium motus arcebitur. Hinc pariter evincitur ratio cur Cancri in ſecundo ſtadio conſtituti, nempè dùm lapideâ duritie â motu ſpontaneo defenduntur, per multos annos latitent innocui.

COROL-

COROLLARIUM SECUNDUM.

Eodem fonte manat motum ſpontaneum naſciturum ipſo primo inſtanti, quo, ſufflaminato omni motu truſivo, aliqualis reddetur impactae materiae fluiditas: hoc corollario ductus, quisque praevidere poterit damnoſum quem experientia teſtatur, humectantium uſum, regionis pluvioſae, paludoſae, &c. in cancroſos homines incommoda &c.

XXI. Cum corollariis mox poſitis accuratè congruunt cancri phaenomena. Poſtquam cancroſa concretio lapideam quaſi duritiem adepta eſt, nihil incommodi aegro infert, quamdiu in hoc ſtatu permanet, praeter leves has moleſtias, quas tumoris pondus aut ejus niſus in partes confines vel mediatè vel immediatè ſecum aſportant. Putreſcit tamen intra indefinitum temporis ſpatium; ex ſupra poſitis principiis neceſſarium putrefactionis phaenomenum ſic extrico.

XXII. Univerſam tumoris cancroſi molem vitalibus liquidis eſſe imperviam rationi & autopſiae reluctatur: quidam loculi extra omnem circulationis aream poſiti ſunt, & ſolâ ſpirituum animalium irradiatione vitae totius beneficio potiuntur, dum maximam tumoris partem, cum ſpiritu nerveo, ceteri humores turbato vortice praeterlabuntur. Dum ſeneſcit hic tumor, loculi in quos omnis motus truſivus praepeditur, madeſcunt; vel vicinarum partium in ipſos inhalatione, dempta exhalatione; vel ruptâ cellulâ adipoſa, aut vaſe lymphatico, fluidiorem laticem continentibus & dictos loculos inebriantibus; vel demum quia calor vitalis haerentem lympham liquat, ut ovis incubatis, ſolo gallinae calore, contingit. Quoquo modo madeſcant hi loculi, mox ſolutis elementorum vinculis, haec elementa, ſeu inſenſibiles atomi, in ſeſe mutuò impingunt, vel, quod idem eſt, putrefactivo motui obſequuntur.

XXIII. Exortus in cancroſa concretione motus ſpontaneus neque gradum ſiſtit, neque remittit donec tota humorum, extra circulationis imperium poſitorum, moles verſa ſit in putrem, acrem corroſivum ichorem, purum alkaleſcens volatile *Gaubii l*). Putridus hic ichor, tam in exortu, quàm in decurſu non ejusdem energiae eſt, in caſibus variis. Nec facile eſt praevidere quanta futura ſit ejus ferocitas: in genere tamen tenendum eſt, naſciturum tabum ſeu virus, eò ferocius fore, quò tumor durior, antiquior fuerit; quò humores aegrotantis ad putridam diatheſim, vel ante vel poſt natum cancrum, procliviores extiterint, &c.

XXIV. Cadaverum effoſſorum, vel eorumdem in theatris anatomicis putreſcentium comtemplatione patuit nervos & vaſa cujuscunque generis aegrè putreſcere; & è contra textum cellularem, lympham & ceteros humores ſecundarios citiſſimè motum putrefactivum concipere. Ergo his tribus poſterioribus elementis cancrum efformantibus in tabum verſis, ſua adhuc ſtructura, ſua priſtinum officium obeundi facultas duobus prioribus organis, vaſis nimirum nervisque, ſupererunt.

Ex variarum ſubſtantiarum cancrum conſtituentium diverſâ ad putredinem propenſione facile eruitur recrudeſcentis, in exordio tertii ſtadii (§. 8.), doloris cauſa: nervus enim quamdiu à circumpoſitis elementis eliſus & quaſi ſtupefactus manſit, nullo incitatus fuit aculeo cùm nullus adeſſet, nullam conſequenter doloris cauſam expertus eſt. Hinc cur toto ſecundo ſtadio tumor dolore caruerit. Tertio verùm ſtadio nervus à ſtringentibus vinculis, putrefactione comminutis, liberatus, & aculei putridi praeſentiam perſentit, & ingratam impreſſionem ad *ſenſorium commune* transmittit; unde dolor. Hic dolor rarò ex abrupto ingruit: praeeunt

l) Inſtitutiones Pathologicae, ſectione 310.

eunt titillatio & pruritus; quae phaenomena ſi ex tumoris gremio exoriantur, certum praebent indicium mox adfuturi doloris, & conſequenter tranſitus cancri è ſecundo in tertium ſtadium; ſi verò pruritus in ſumma cute ſedem habuerit, nihil mali ominatur, & ut plurimùm ſedatur antiphlogiſticis, anodynis topicis, ſaturninis potiſſimùm.

Eodem fonte manat reddita fluidis poteſtas tranandi vaſa tumori interſperſa, unde in tertio ſtadio tumoris augmentum, & in quarto, ad futuras haemorrhagias aptitudo ac proclivitas.

XXV. Huc putrefactionis & malignitas devenire poſſe ſubſtantias animales, dum vita manet, cùm paſſim ab auctoribus negatum legam, res experimentis & obſervatis confirmanda eſt. Deinde putridorum liquaminum proprietates evolvam, lumen, ut ſpero, cancroſi virùs naturam irradiaturum ſuppeditaturas.

XXVI. Vaporem diſtillati de peſtilente bubone puris quaſi fulminis ictu malè curioſum Medicum proſtraſſe apud Hallerum *m*) legitur. In obſidione Bredana, dum peſtis graſſabatur in urbe, ſanguis infectorum apparebat lividus, fetidus, non concreſcens *n*). Sanguis feminae febri maligna, quaſi ereſipelatoſâ, laborantis per phlebotomiam extractus, adeo fetebat, ut ex ejus tetro odore tam Chirurgus quàm adſtantes in animi deliquium planè inciderent *o*). Acrimonia aquae forti comparabilis in glandulis cadaveris ſyphilitici (paucis poſt mortem horis tentabatur ichor) guſtu percepta eſt *p*). Quàm tetrum & abominabilem odorem ſpargant membra gangraenâ correpta, ſi vires conſtent, & calor vitalis vigeat, nemo Chirurgorum non expertus eſt.

 XXVII.

m) Phyſiol. elem. Tom. II. pag. 86.
n) Van der Mye, de Morbis Bredanis pag. 14.
o) Morton, apparat. curat. morborum univerſal. pag. 11.
p) *Maſſon*, de caric oſſium.

XXVII. Ex copioſè accumulatis rationum momentis apparet motum putrefactivum, ejusque ſobolem, putridum tabum, naſci poſſe, vitâ manente, in ipſis partibus recluſis animalium: verùm ut omnis dubitandi occaſio amoveatur, evertenda eſt quae ab impedito aëris acceſſu depromi poſſet objectio.

XXVIII. Doctorum Hales, Pringle, Macbride experimentis edocti ſcimus non adventum aëris exterioris, ſed fugam interioris, putrefactionis negotium requirere. Et ſanè elementa non priùs à ſe invicem diſcedunt quàm nectens vinculum depoſuerint: nec putreſcit ſubſtantia, quin ſua elementa libera & ſoluta debitum motum conceperint. Porro aër noſtrarum partium primarium & praecipuum vinculum eſt. Addam carnes campanâ Boïlianâ, aëre vacuâ, exceptas citiùs putreſcere, quàm in aëre libero degentes per experimenta demonſtraſſe Macbride *q*).

Neutiquam ergo ad partem putreſcendam aëris athmoſpherici acceſſus requiritur. Pluribus autem argumentis neceſſitatem fugae aëris fixi, conſtitutivi, quae fuga aſſiduè praegreditur putrefactioni, adſtruere otioſum foret.

XXIX. Poſtquam innotuit per analogiam neceſſitas putrefactionis fluidorum in cancro ſtagnantium, ejus exiſtentia obſervationibus indubitatis & inconcuſſis experimentis ſtruenda eſt.

XXX. Quicumque praxim chirurgicam vel ſummis attigêre digitis, norunt in cancro tertii & quarti ſtadii, ſaepe ſaepius circa tumoris centrum, cava fetido, putri atque acerrimo ichore plena reperiri *r*). Haec jamdudum

q) Eſſais d'expériences, pag. 133 & ſeq.

r) Ideo ut plurimum minus fetent latices putridi ad quos aer non pertigit, quia aer internus, ob defectum ſpatii occupandi non ita ſe accuratè extricat, ut quaedam ſui portio liquoribus putridis immixta non remaneat, quae aliqualem elemen-

dudum notaverant Deidier *s*), Harris *t*); aliique Scriptores Medici. Cùm paucis retrò annis de natura & phaenomenis cancri cogitarem, mihi ſeſe occaſio obtulit tumorem cancroſum ex deliberata mente tentandi.

Obſervatio prima.

Cancroſus mammae tumor è ruſtica triginta-tres annorum nata, ceterùm ſana, reſectus fuit. Trium annorum ſpatio ita adoluerat tumor, ut doloribus, lancinantibus & deurentibus, proximam, rupturam minaretur. Dum adhuc loco ſtabat tumor, quaedam ſpatiola minus renitentia quàm reliquus tumor, digito palpanti occurrebant. Haec ſpatiola, focos vocabo, poſtquam tumor reſectus eſt, ſcalpello cautè aperui, ut laticem, quem Scriptorum fide nixus, me in his focis reperturum confidebam, quantùm poſſem colligerem, Quinque focos ſucceſſivè aperui pellucido & flaveſcente latice plenos, quem ſpongiâ, madefactâ prius & expreſsâ, non ſinè moleſtia abſorbui; & ad pondus drachmarum quinque in vitrum conjeci.

Praeterea nudatum cute & adipoſo involucro tumorem minutim ſecui, ut fluidiores ſuccos emungerem: hos quoque ad pondus unciae unius, & drachmarum quinque in vitrum excepi.

XXXI. Primi vitri tabum tripartivi; & fractionem alteram alkoole vini, acido vitriolico alteram tentavi; tertiam, paucâ aquâ admixtâ, ebullitioni ſubmiſi: ex diverſis his tentaminibus, quàm accuratiùs potui inſtitutis, coagulatio nulla.

N 3 Tertia

mentorum cohaerentiam ſervet. Hinc fit ut neque oleum fetidum neque alkali pleno rivo in auras diffluentur, & conſequenter ut minus feteant recluſi latices.

s) Des Tumeurs, pag. 103.

t) Diſſert. X. pag. 168.

Tertia tabi portiuncula, ut primùm igni admota eſt, vaporem verè alkalinum, ſi olfactoriis organis fas ſit credere, emiſit. Non abſimile exemplum habet Becket u), quod noſtra adjungam: *Expreſſimus*, inquit, *ſuccum tumoris cancroſi, cochleari exceptum igni ſuper impoſuimus, moxque avolavit tenuis vapor*.... &c. Etſi de natura *vaporis* nihil certi habeat laudatus auctor, hunc tamen alkalinum fuiſſe declarare videtur praeceps fuga.

Eadem habita ſunt experimenta circa laticem ſecundi vitri. Hic praedictis mediis quodam modo coactus eſt, attamen parciùs quàm aquae amnii, cum venenis mineralibus & igne tentantur: in hoc ultimo periculo caracter lymphae, imperfectam fermentationem putridam orſae, ſuſpicutus ſum.

Obſervatio ſecunda.

Paucis abhinc menſibus noſtra haec experimenta cum eventu prorſus ſimili iteravimus; nun circa tumorem ſcirrhoſum cruris, nunc circa cancrum tertii ſtadii, de mulieris ex improviſo extinctae mamma, octo poſt mortem horis reſectum: aliud adjeci periculum, quod in tempus omitto.

Nec ſolidas cancrorum moles inobſervatas dimiſi: hic ſecanti ſcalpello velut ſemicoctum cerebrum ceſſerunt, ibi cartilagineam duritiem oppoſuerunt. Color ſubſtantiarum tumorem conſtituentium non unus erat; albus, cineritius, citrinus, violaceus, ater, &c. hinc inde viſus eſt. Oculis perluſtratae hae moles, ſi quaſdam vaſorum laſcinias exceperis, vix organicae viſae ſunt. Harum fragmenta, paucis exceptis, odorem hepatis ſulphuris emiſerunt intra aquam ebullientem immerſa, quamvis id citiùs, illud tardiùs.

XXXII.

u) Ex Ricardo Guy, an Eſſay on the ſcirrhous tumours, pag. 46.

XXXII. Non ergo mirabimur omnia putredinis phaenomena in cancro occurrere: putredo omnia vincula partium animalium rumpit; humores, alioquin coagulabiles, cruorem, lympham, ovi albumen, amnii liquorem in acre & nullo porrò veneno coagulabile, tabum reſolvit *v*); adipem colliquat, carnes, membranaſque emollit primò, deinde in mucum diluit *x*); praeterea princeps phaenomenôn putredinis, neque adhuc adultae, eſt, ut ſupra diximus, expedire aerem *y*). Cancer in tertio & ſubſequente ſtadio emollitur (§. 22), organiſmum exuit (§. 21), in mucidam materiem deinde faceſſit; quapropter & excavantur ſupra deſcriptae cavernulae (§. 30.), & tabo implentur nullo veneno coagulabili (§. 31.), hominibus infenſiſſimo (§. 39.). Intereà extricatur è tumoris compedibus aer, ac circa ejus ambitum diffunditur intrà extrave aufugiens.

XXXIII. Quanquam non ſit facile fugam aeris, dum adoleſcit cancroſa moles, invictè demonſtrare, de hac tamen non leve argumentum habeo, quod proferam: matrona ſecundae obſervationis, plena, ut putabatur, valetudine extincta eſt. Cadaver ſecabatur paucis poſt mortem horis; attamen telam cellularem, per tumoris ambitum diffuſam, membranam extimam pulmonum & ipſos pulmones ita plena & diſtenta extricato aere invenimus, ut haec ſingula artificioſè inſufflata dixiſſes. Etſi aſſerere non auſim phaenomenon hoc eàdem menſurâ dum matrona vivebat extitiſſe, non tamen abs ratione eſt conjicere eo ſe modo rem habuiſſe. Aliunde aeris extricationem è ſolidis fluidisque animalium viventium, ejus fugam atque tranſitum è fixitatis ſtatu ad elaſticam conditionem apertè declarant abceſſuum, ul-

v) Haller ibid.
x) Navier. ſur l'amolliſſement des os.
y) Pringle, p. 426, & Macbridge paſſim.

cerum & ipſiusmet cancri haud rara emphyſemata; bullae aëris ex utrisque, cum pure aut ichore; expreſſae; fetidiſſima ſpuma cum ſonitu ex oſſe putrido erumpens z) &c.

XXXIV. Demum poſthabitis, quae attulimus, rationum momentis, craſi verè putridae virûs cancroſi, aſſenſurum quemque expertus confido, qui audacter, admotis cancro exulcerato naribus, tetrum, quem ſpargit, odorem hauſerit; periculum tamen noxâ non vacare monemus (§. 39.)

XXXV. Tabo, ſeu viru cancroſo non vultus, non color unus: id ex atro rubrum, cinereum, flaveſcens aut flavum, viride viſum eſt. Haec coloris varietas in aliis hypotheſibus fortuita & inextricabilis, noſtram aetiologiam roborat: innumera enim comprobârunt experimenta ſubſtantias animales, loco clauſo putreſcentes, ſaniem primò ſubrubram emittere; quae ſi aeri exponatur, fuſca nigra, flava, & ſub finem putrefactionis, viridis evadit.

XXXVI. Si rectâ viâ inceſſi, inconcuſſè probatum eſt virus cancroſum eſſe ipſiſſimum tabum ex omni putrefactione animali reſiduum; cui nunc ulterior aeris extricatio; nunc expeditior elementorum pugna, atque analogorum conjugatio deeſt. Etſi de virûs cancroſi energia nihil poſſimus ſtatuere, quod omnibus numeris abſolutum ſit, tamen aſſerimus confidenter, id eò ferocius fore, quò calor ſuae ſcaturiginis major extiterit; languente enim calore aegre rumpuntur vincula, quae moleculas ſubſtantiae putreſcendae nectunt; operoſè à ſe invicem diſcedunt ſolutae moleculae & operoſius ſibi occurrunt, quae conditiones abſolutae neceſſitatis ſunt ut paria paribus coeant, & hinc alkali volatile, illinc oleum fetidum conſtituant. Porrò duo haec entia, quae unita mixtum quoddam iners & vapidum effor-

mabant,

z) Hallerus ibid. ex Valentino.

nabant, nunc, à calore disjuncta, hirſutas, acres, irritantes, cauſticas atomos ſuppeditant, quibus tota cancroſa clades abſolvitur.

XXXVII. In refellendis iis qui virus cancroſum acidum eſſe volunt, non immorabimur: vanâ imagine veri, etiam dum veritatem experimentis captabant, deluſi ſunt. Dicitur terra cum hoc viru efferbuiſſe; quid inde? vel terra haec vere abſorbens erat, & proinde non mirabimur ſpeciem effervescentiae exhibuiſſe, dum ſitiens humidum hauriebat; vel ſalino-terrea, & vera effervescentia potuit contingere, dum acidum terrae alkali volatile virus cancroſi arripiebat; aut ſalis ammoniaci viru immixti, acidum debilius potentiori terrae acido fugabatur. Quin imò legitur cancroſum virus ſyrupo violaceo colorem rubrum intuliſſe: quis porrò non videt exiſtentiam acidi nudi, cujus praeſentiam hic color ſupponit, odore, fetore & ceteris tabi cancroſi qualitatibus radicitus everti? Aliunde experimenta pluries repetita, & noviſſimè à D. Guy *a*), teſtantur lympham pellucidam è tumore cancroſo exudantem cum acido vitriolico efferbuiſſe. Hanc effervescentiam, licet ſubobſcuram, noſtra experimenta (§. 31.) prodiderunt.

XXXVIII. Antequam finem faciam diſquiſitioni in virus cancroſum, juvat perpendere num virus hocce haereditarium atque contagioſum jure habeatur.

Maximam aegrorum cancro laborantium partem parentibus qui hoc malo immunes vixerunt vitam debere nemo inficiabitur. Pauci è turba parentibus hunc morbum paſſis nati ſunt; certè primi ordinis aegros haereditariâ labe infectos nemo ſanus dixerit. Ceteri hac labe aeque immunes mihi videntur: etenim cùm huc malignitatis devenit cancer, ut humores omnes inficiantur, quam conditionem praeſupponit nativa contaminatio, valde dubito aegrum his in anguſtiis verſantem ge-

 neras

a) Vide ad not. paragraph. XXXI. citatum Opus.

nerationis negotio utiliter incubuiſſe umquam. At detur parentes cancro & cancroſo habitu laborantes faetum edidiſſe. Ad ſummum nati fluida putridà craſi peccabunt, quam naturalis juniorum animalium ad aciditatem propenſio emendabit. Ergo & in hac hypotheſi impotens erit haereditaria labes in cancris natorum reproducendis. Verùm urget aliquis *Boërrhaavium* noviſſe familiam in qua omnes certo aetatis termino fiebant icterici, tandemque nullis remediis cedente malo, hydropici peribant. Secabantur cadavera & cuique hepar ſcirrhoſum inveniebatur. Salvâ magni viri reverentiâ, crederem vitium hocce haereditarium ſolidorum compagi haeſiſſe: nam quaedam organa peculiarem & quaſi propriam ſedem cancro praebent (§. X.); hepar hujus mali valde obnoxium eſt & frequenter eo afficitur. Scimus aliunde peculiares conformationes proprias & haereditarias eſſe certis familiis, imò populis integris. Ponamus hunc primum Boërrhaavianae familiae parentem, talem hepatis conformationem habuiſſe quae concipiendo cancro maxime idonea eſt; potuit certè hanc filiis tradere; potuerunt ergo & ſingula ejus familiae individua cancro jugulari, etiam inculpatâ haereditaria labe cancroſâ. Non ergò cancroſum virus à parentibus ad natos tranſmittitur.

XXXIX. Quod ad contagium virûs cancroſi attinet, id ſanos inficere poſſe, tùm externè applicatum, tùm internè deglutitum, fatendum eſt. Cum aere, ſaliva, injeſtis, hauſta cancroſa miaſmata putridam fluidis & ſolidis craſim conciliant: ſi, humoribus hac labe peccantibus, ſororient glandulae & indurentur, indubium eſt has faciliùs in cancros degeneraturas eſſe, quàm ſi aeger euchymis humoribus valuiſſet. Aequè certum eſt per immediatum contactum tranſfuſum virus poſſe cancroideis ulceribus anſam praebere. Hoc infortunium, apud *Tulpium*, legimus accidiſſe viro, qui, uxorem can-

cor

cro laborantem allevare ſtudens, cancroſam mammam ſuxit, & cancro, circa gengivas maxillae inferioris nato, confectus periit *b*). Eamdem expertus eſt calamitatem Chirurgus Londinenſis Noſocomii ſancti Thomae (Smith) qui cùm cancrum occultum extirpaſſet, pellucidum humorem, quo veſicula in mamma plena erat, auſus eſt deguſtare; ſapor verò hujus fetidiſſimi acerrimique humoris adeo linguae inhaeſit, ut tandem inſuperábili nauſeâ tabidus factus fuerit & extinctus. Aliud extat exemplum de Medico *Bellenger* cui, poſt uxoris ex cancro exulcerato obitum, virulentus odor ſemper in naribus ita manſit, ut tandem & is confectus fuerit *c*).

Obſervatio tertia.

XL. Proprium de cancroſi virûs contagio experimentum hic recitabo: Sumpſi drachmas duas circiter virus è cancroſa mamma expreſſi (obſ. ſec.) & vulnuſculo circa dorſum canis inflicto, quantum potui, ope ſiringis in circumfuſum textum cellularem immiſi. Deinde emplaſtro adhaeſivo & faſciis vulnus obturavi accuratiùs. Tertià die faſcias removi: jam valde fetebat ulcus, retractâ cute dehiſcens, atro violaceum; ejus ambitus emphyſemato-aedematoſus compertus eſt. Rurſum eodem emplaſtro vulnus occluſi. Secunda haec deligatio poſt quadraginta octo horas remota eſt. Gravia tunc vigebant ſymptomata; tota cutis à capite ad caudam, emphiſemate oedematoſo diſtendebatur; ichor parcus, ſubniger è vulnere manabat; micabant oculi, urgebat ſitis, & clangoſas voces edebat animal. Ulteriùs obſervandi factitii morbi phaenomena occaſionem mihi ſubripuit famula, quae, tàm miſeratione mota, quam

b) Obſ. Med. lib. 4. pag. 173.
c) Vide duo poſtrema exempla apud Harris, Diſſert. Med. Chir. pag. 168.

quàm fetore hoſpitis pertaeſa, patientem, plagâ pretioſum in latrinam dedit praecipitem.

Anniſus ſum probare virus cancroſum non differre à tabo putrido. Nulla experimenta, nullas obſervationes, quòd noſtrae opinioni adverſentur, omiſi aut diſſimulavi. Si omnem dubitandi occaſionem non amovi, ſaltem probabilitatem attigiſſe mihi videor. Huic opinioni ſperamus eò libentius aſſenſuros eſſe aequos rerum judices, quòd ex eſſentia morbi, atque è certioribus inſtitutis oeconomiae animalis, quaſi ſuâ ſponte, fluat, quòdque enodandis ſingulis cancri phaenomenis uberrimè ſufficiat. Huic phaenomenorum enodationi proxima dicatur ſectio.

SECTIO TERTIA.

Virûs cancroſi effectus rimari atque explanare.

XLI. Effectus virûs cancroſi ſunt locales aut generales; nimirùm, vel partem laborantem tantummodò divexant, vel totam œconomiam infeſtant. De utriſque, à primis ordiendo, agam. 1°. Cancroſum virus, cavernulis per tumorem diffuſis incluſum (§. 30.), partes quas tangit non uti pridem eliſas, pungit, vellicat; hinc dolor, plus minuſve profundus pro ichoris ſede; Hinc ex natura ſtimuli, dolor pungens, deurens, lancinans, & calor acris, cancro quaſi individuus.

2°. Partes quibus coercetur virus in conſortium putredinis trahit: quòd enim paſtae, putà farinae ex aqua ſubactae, fermentum, id fluidis ſolidiſque animalium partibus putridus ichor eſt. Hanc fermenti proprietatem declarat gangrenae, à cauſa externa, putridorumque ulcerum diffuſio; putridi tabi reſorptionem concomitantia phaenomena, &c. Hanc demum multis evincunt experimentis viri celeberrimi d), quibus conſtitit

d) Pringle, exper. 18. Macbride, exper. 120.

ſtitit ab aliquot lineis fili putrido tabo imbuti putrefactivum motum inſigniter promotum fuiſſe.

XLII. 3°. Tumòris ſuperficies ſcabra fit: quò integrati viciniora ſunt vaſa, eò uberiorem fluidi influxum excipiunt; porrò cùm dolor ex œconomiae legibus humores ad partem laborantem turmatim advocet, non mirum quaedam vaſa aut vaſorum ſegmenta prae aliis diduci ac ingurgitari; hinc nodoſitas atque ſcabrities. Huic ſuccenturiat nodoſitatis cauſae molimentum toties memoratorum ſpatiolorum, quorum contenta materies in mucum abit, dùm vicinae partes, priſtinam ſuam duritiem retinentes praerupta ſepta tangenti digito offerunt.

XLIII. 4°. Haud infrequenter in ambitu cancroſae molis ſororiant cancri minores ſecundarii: in cancro mammarum ferè ſemper glandulae axillares; in cancro faciei, glandulae maxillares tument, indurantur, & in cancrum verum degenerant. Hi ſecundarii cancri à primitivo multùm diſcrepant; putrefactivam enim craſim ſub ipſo exortu ſuo gremio fovent. (Nam debentur reſorpto viru cancroſo, per textum cellularem in vicinas glandulas delato, has irritanti, & uberiorem in ipſas fluidorum influxum, infractum & obſtructionem, propter eretiſmum, qui putridum aculeum comitatur, naſciturum, molienti,

XLIV. 5°. Intra tumorem recluſum cancroſum virus ſenſim ſuperſtratam cutim erodit, & minimis oſtiolis pertundit, quibus extùs guttatim effluat. Creſcunt eroſione foramina, & quidquid fluidioris habent, ipſis proſpicientes cavernulae, evomunt. Tunc remittuntur dolores & vanâ ſpe eriguntur aegrotorum animi; mox enim ingruunt ſaeviora ſymptomata, ob datas erupturo aeri portas, cujus fuga immaniùs ſaevire putredinem ſinit. Septa inter minores aperturas poſita eroduntur, & ex pluribus unicum efformatur ulcus.

Què

Quò maius aeri interno panditur oſtium, eò citiori pede progreditur corruptela, & dolor exacuitur: nàm molleſcit durities cancroſa inter putreſcendum, & nervi, dudum eliſi, ſublatis potentiis comprimentibus naturales diametros recuperant; unde & latiores ſuperficies putrido aculeo objiciunt, & acceptas impreſſiones faciliùs ad *ſenſorium* vehunt: hinc dolores intenſiores, & ut ita dicam, diffuſiores.

In enodandis labiorum ulceris cancroſi inverſione, plagae coloribus variis vaſorum varicoſa diductione non immorabimur; horum ratio & cauſſae cuique obviae ſunt. Ad parcum jàm quem cancroſa moles fundit ichorem properamus devenire, dignum ſanè acutiori ingenio phaenomenon.

XLV. 6°. Omnia ulcera, à quibus affluxus exulat, parcum fundunt ichorem; gangraena ſenilis adeo parcum diffundit, ut illi *ſiccae* nomen inditum fuerit.

Nec mirum, haec ulcera id tantum emittunt humidum, quo madebat pars ante exulcerationem. Non aliter cancro evenit; id ſolum tabum ſuppeditat, quod ex ſui ipſius diſſolutione depluit: adventitii enim fluidi effuſioni obſtat ſuorum plerorumque vaſorum immeabilitas. Amplae humorrhagiae, quae ſe quandoque addunt cancroſo ſtillicidio, textui cellulari cancroſam molem ambienti referendae ſunt. Ex noto hoc humorrhagiarum fonte deduces cur uberiores contingant quando moles cancroſa exeſa eſt, quàm hac, perſtante integrâ, licèt undequaque èxulceratâ. Praedictae cauſae parci ichoris cancroſi proventûs adjungendus venit eretiſmus, quo manaturo tabo porta clauditur, aut ſaltem anguſtatur.

Huic, pari jure, eretiſmo adſcribes ſinus, cuniculos, virùs cancroſi reſorptionem, humorum contaminationem, & aſpectum ſtrictum quem patientes prae ſe ferunt, ſi cancer mammam occupaverit, in collo, facie,

facie, brachiis, ſcapulis vicinis, in ſede mali potiſſimùm obſervandum. Poſt reſectum è mamma cancrum & vulneris cicatriſationem, adeo immanem, circa praecordia & thoracem, ſpaſmum renatum vidi, ut catenis ferreis ſe ſtringi clamitaret aegra: die decimâ-quartâ à diri hujus ſymptomatis recrudeſcentia convulſa periit.

XLVI. 7°. Conſtans obſervatio docet ex imo cancroſo ulcere nunquam aliquid boni puris manaſſe, licèt labia ulceris puriformem materiam naribus gravem fundant. Cur porrò nunquam bonae indolis pus expuat ulcus cancroſum is intelligit qui naturam puris perſpectam habet. Pus enim eſt humor homogeneus, à naturalibus non multùm abludens, ſuccisſeroſo-lymphatico-oleoſis conflatus, in quos rurſum forſan reſolvi poteſt; omnem praeſentis corruptelae ſuſpicionem recuſans, at citò, ſit adſit putritum fermentum, aut in loco calido ſtagnet, putredinem concipiens. Nùm ergo luce clarius eſt ne unam quidem boni puris procreari poſſe guttulam; & ſi procrearetur bonum pus, nùm evidens eſt id in putre tabum mox abiturum eſſe. De putrida ſcaturigine quis purum & dulce liquidum hauriri poſſe ſibi perſuadebit?

XLVII. 8°. Quanquam cancri *radices*, ut aiunt, à viru cancroſo originem non trahant, has tamen inter virùs cancroſi phaenomena recenſere neceſſum duximus. De his nihil, quod ſciam, meminit docta antiquitas. En inter avellendam eſcarrham è cancro cauſticis curato Domino *Gendron e*) innotuere primùm; qui novitate rei ita perculſus eſt, ut has genuinam cancri eſſentiam conſtituere aſſerere non dubitaverit. Exinde omnes ferè Scriptores, vel aliorum fide, vel propriâ

e) Recherches ſur le Cancer.

priâ experientiâ freti *f*), radices cancro eſſentiales eſſe voluerunt. Quid de his appendicibus tenendum ſit, paucis pandam.

XLVIII. Moles dura, quoad maximam partem liquidis vitalibus impervia, toto continua nequit in corpore animali conſiſtere, quin vaſorum lambentium & advehentium ingurgitationes cauſet. Si ingurgitatio ſanguiferis majoribus advenerit, ea, retro pulſo ſanguine, qui inter obicem & huic viciniorem ramificationem ſtagnabat, in ſeſe redeunt; ex cavis ſolida fiunt, & ligamentorum naturam induunt, aut ſaltem mentiuntur. Si in vaſa exanguia obſtructio inciderit, cùm operoſiùs ſeſe à gravante ſarcina liberent, fortè retropulſo fluidiore latice craſſiorem ſtringent atque aſſervabunt. Quoquo modo res agatur, & haec quoque vaſa capillaria ligamenta referent: nervi ob ſuam tenuitatem è radicibus cancri mihi videntur eximendi. Hac aetiologiâ ducti, non mirabimur filamenta dura, alba, denſa, à cancro ad partes vicinas protendi *g*).

Poſtquam radicum nomen dictis filamentis inditum eſt, in proclive erat fingere reſectum cancrum ex relictis radicibus de novo pullulaturum. Hanc repullulationem exemplis unitis comprobare ſibi viſus eſt bonus van Swieten *h*). Quid in hac opinione veri, quid falſi ſit extricare non levis momenti eſt. Id quoque aggrediar; ſi minus laboris eventus, ſaltem conamina laudabuntur.

XLIX. Putridum tabum, quod cancro ineſſe demon-

f) Hildanus, obſer. 84. cent. III. Exiſtentiam porrò harum radicum negatam lego à domino Gataker Chirurgo Anglo. Hi de radicibus veris; de ſpuriis autem, ſeu vaſis atro ſanguine refertis meminêre Galenus, Comment. in Aphor. 38; Aëtius, cap. 43. & multi alii.

g) Gendron, opere citato.

h) In Aph. 504.

monſtravimus, partes quas inficit ad propriam indolem attrahere probatum eſt. Eae partes quò vita languidiore potiuntur, eò minùs putredini reſiſtunt. Reſecto cancro, radices quod recepere putredinis principium ſervant. Cùm poſt amputationem vulnus inflammatur ac caleſcit, hae propagines citiori greſſu ad putredinem vergunt, quàm ceterae partes, à ſana conſtitutione minùs alienae; & dum hae reliquae partes intra naturae terminum remanent, illae, nimirum radices, putreſcunt ſeu cancroſae evadunt, atque aut cancrum renovant, aut ulcus cancroïdeum effodiunt.

Verùm enimvero cancroſos tumores è radicibus, veluti rami ex trunco pullulare oeconomiae legibus reluctatur: vaſcula enim radices efformantia naturale robur, propriam tenacitatem, imò & organiſmum amiſerunt; & cum facultate vegetandi proprietatem pullulandi exuerunt. Ultima ipſis partium animalium facultas tantum reſtat, nempe poteſtas in putre tabum abeundi. Ergo celebrium virorum aſſertio vel metaphorica eſt, & vera; vel ſenſu proprio accepta, & omnino falſa, imò abſurda.

Ex obſervationibus colligitur has radices raro admodum occurrere, & annoſiores tantum cancros comitari. Ultro tamen crederem tenuiſſimas propagines ſaepius intereſſe quàm vulgò creditur.

Cur porrò adeo multae cancri exciſiones, maturè celebratae, ſuccedant, invitis quae ſuperſunt radicibus, res ipſa indigitat: quando vetuſtior extirpatur cancer, his radicibus ſtipatus, eae jam putrefactivâ labe peccant, & conſequenter putridae craſi anſam praebere valent: cùm vero juniores reſcinduntur cancri, dictâ tabe non vitiantur relictae radices; unde nulla prorſus in iis ad cancrum renovandum energia. Hinc elucet cur, quandonam & quibusnam in circumſtantiis *niſi cum radice &*

ſemine integrè extirpari queat (cancer), *aſperetur*, *ad interiora recurrat*, *alios generet factos augeat i*).

L. 9°. Inter dira cancroſi virûs phaenomena, principatum obtinet eroſio, quâ ulcus circumquaque edendo progreditur. Dolendum ſanè grave hoc phaenomenum à nullo Auctorum dilucidatum fuiſſe: ſinguli inanium vocum fucatos contextus mechanicae enodationi ſubrogarunt, dictitantes nimiùm confidenter ideo ſerpere cancrum, quia ichor quo imbuitur, acris, corrodens, cauſticus eſt. Quanquam non mihi perſuadeam me inſignem hunc ſolviſſe nodum, tamen quae ſedulâ obſervatione, & longâ meditatione didici proferam.

LI. Organa putrefactione occupata primò molleſcere, deinde organiſmum amittere, tandem in mucilaginoſam abire pultem ſupra dictum eſt (§. 24.). Putridam eſſe cancri conditionem pariter probatum (ibid.). Ergo tumoris cancroſae portiunculae, hanc degenerationem paſſae, irruentibus per ſegmenta vaſorum integra fluidis neque valebunt viam praebere, cùm organiſmum amiſerint; neque obſiſtere, cùm jam emollitae nativo robore ſpoliatae fuerint. Ergo pars vaſorum emollita & corrupta, fluidorum impetu acta, à portione eorumdem ſanâ, aut ſaltem à ſana conſtitutione non aequè aliena, reſcindetur & ſaniei immixta in ulcere deliteſcet, & ulteriùs putreſcet. Virus cancroſum quodcunque inficit in ſuae ſimilem malignitatem convertit. Emollientur ergo & corrumpentur rurſus vaſorum extrema è quibus corrupta particula modò exciſa eſt. Ergo, ſi unâ eâdemque vice, omnis corruptela amoveri nequeat, indeſinenter ſerpet eroſio.

10°. Ex praemiſſa theoria facilè eruitur cur nunc tardo, nunc praecipiti greſſu ſerpat eroſio? cur ex pravo regimine, ab aucta inflammatione vires ſibi pariat? ideo inflammatio eroſionem incitat, 1. quia animalia corpora,

i) Boërrhaave, Aph. 504.

corpora vitâ orbata, calori aëris intra trigeſimum-ſecundum & nonageſimum-ſecundum gradum thermometri Fahrenheitiani conſiſtenti ſubdita eò citiùs putreſcunt, quò calor major eſt intra definitum terminum. 2°. Quia auctâ inflammatione, creſcit vis fluidorum in corruptas & conſequenter impervias organorum portiones arietantium. Inde pariter deducitur ratio cur quò ſcirrhus cordi eſt proximior, & quò plura habet vaſa, tum ſanguinea, tum nervoſa, caloris inſtrumenta, eò plus periculi inſit ne in cancrum abeat actu putridum, ſeu tertii & quarti ſtadii; & ſi abierit, cur eò ferociùs ſaeviat. Hac ratione multiplici nunc cita nunc tarda erit eroſio. Pravi regiminis in cancrum imperium nunc quisque perſpectum habet; & facilè exprimet cur adeo inimica ſint exercitia, cibi, potûs, medicamenta, &c. calefacientia cancro, laborantibus; quare reſecto cancro, ſi fomes putridus quantuluscunque ſit, relinquatur, res aegri pernicioſiore pede in pejus ant.... &c.

11°. Ne quis tamen expoſitâ theoria inferat debere, acerrimâ ſuâ ſanie ad vivum usque eroſum, cancrum ſuis ſe viribus enecare: nam dum putrefacta hinc portiuncula diſcedit, illinc alia putreſcit, & proximam ſibi parem conditionem molitur. Aliquando tamen integra abſcedunt fruſtula, ſed non frequenter *k*). Si ſimul totalis cancroſae eſcarrhae ſeparatio contingeret, nullus dubito quin bonae indolis ſuppuratio & aegri ſalus ſecuturae eſſent, modò coexiſtens cancroſa diatheſis victricibus expugnaretur auxiliis. Exiſtimo hoc mechaniſmo abſolvi ſpontaneas cancri curationes, quarum hiſtorias aut legiſſe aut audiviſſe confuſe recordor.

LII. 12°. Serpente nihiloque parcente eroſione, ipſa oſſa corroduntur, areſcunt & friabilia facta, quaſi ſponte franguntur.

Portentoſa haec phaenomena Chirurgorum Pariſienſium

k) Juncker, Opere citato, pag. 321.

enſium exercitus dum elucidare laborat, virus cancroſum oſſibus illatum arguiſſe ad gloriam artis aegrorumque commodum eſſe ſatis videtur putaſſe *l*). Inter eos *Loviſius*, inexhauſtâ loquacitate famoſus, proprio ingenio diffiſus, M. A. Severini explanationem; ipſo phaenomeno obſcuriorem, renovavit, quam, dum in vernaculum ſermonem verteret, miſerè deturpavit *m*). Nodum inſolutum dimiſit *Lecat*. Ideo ad ſcopum non attigiſſe Auctores nobis viſi ſunt, quod non attenderint dum cancroſum virus vagâ objurgant querimoniâ, eadem haec oſſium vitia morbis omnibus putridis chronicis putà hecticae, tabi, rachitidi, ſcorbuto, venereae lui, &c. adeo crebrò adjungi, ut vix invenias chronicas aegritudines putridas, hoc exulante oſſium vitio; & numquam offendas haec oſſium vitia, quin putrida craſis oeconomiam occupet. Cauſa ergo in his ſingulis praeſens arguenda venit, quae cauſa, ſeu ſtragis artifex, nihil aliud eſt quàm ipſa putrida craſis.

13°. Caries vel localis eſt, & putrido ichori, quo oſſa ſubjecta madeſcunt, debetur; vel generalis loco quovis à fomite diſſito, ſita, & diatheſi putridae univerſali referenda eſt. Oſſa, propter remiſſiorem vim vitalem, aegrè ſe à putridis miaſmatibus liberant, horumque gluten, ob quietem qua torpet, facillimè fomiti putrido obſequitur. Hanc ob ſegnitiem partium oſſearum, humores putridi per oſſa lentè vagantes mox gluten terreas moleculas ferruminans ſuâ tabe inficient. Porro gluten putre omni adhaeſivâ facultate ſeu vinciendi poteſtate orbatum eſt. Aliunde aer, praecipuum cohaeſionis inſtrumentum, à primo putrefactionis momento jugiter avolat, & hinc cauſa phaenomeni altera, quae primae haud infirmam fert opem. Pars terrea à com-

l) Ledran, Memoire ſur le Cancer, Tom. III. de ceux de l'Academie Royale de Chirurgie.

m) Eodem Volum. Hiſtoire de l'Academie de Chirurgie.

compedibus, glutine ſcilicet, ſoluta, partim reſorbetur, partim in exeſo oſſis cavo remanet; quae ultima conditio cariem conſtituit.

14°. Fragilia fiunt oſſa, nunc à carie exedente quampiam cylindri oſſei portionem, tum externam, tum internam; nunc à ſola arefactione, ſive elementorum diſſociatione, absque carie. In primo caſu quae ſupereſt cylindri oſſei craſſities ponderibus ſublevandis, nixibus edendis aut ipſi vi muſculari ſuſtinendae impar, loco carioſo rumpitur. In ſecundo, extricato & avolato, ob putrefactionem, aere, colliquato & reſorpto glutine, quamvis elementa terrea eumdem ſitum & aſpectum ſervent, ut in oſſe cremato contingit, cohaeſio tamen cum nectentibus mediis aufugit, & oſſa propter defectum contiguitatis inter elementa conſtitutiva terrea, è quibus maximè conflantur, friabilia facta, minimo nixu hic illic franguntur *n*).

LIII. 15°. Quamvis vaſa magis quàm cetera pleraque organa putrefactioni reſiſtant, dehiſcunt tamen colliquata (§. 24); unde hemorrhagiae quandoque lethales, potiſſimùm ſi cancer uterum majoribus vaſis irroratum: aut mammam occupaverit: has compeſcere eò difficiliùs eſt, quòd aliquando ad ſanguinis ſcaturiginem auxilia externa pertingere non valeant, quòdque, dum fons ſub manu eſt, compreſſione, liquoribus ſtypticis, &c. peſſime irritetur cancer. His adde hoc cancri ſtadio ſanguinem putrefactione colliquatum quaſi incoercibilem eſſe, propter adverſam, quâ tunc foedatur,

n) Hanc oſſium fragilitatem atque, ut aiunt, friabilitatem accuratius evolvimus in peculiari Opere de *mollitie oſſium morboſa*, mox in lucem prodituro. Ibi, retuſis, fractisve acidorum aculeis, horumque fragmentis in chymicas officinas pulſis, ut inibi experimentis *in vitro* inſerviant, ut ſolent, ſingula oſſium vitia ex putrida diatheſi humorum pleno rivo derivamus.

tur, ſuorum elementorum incohaerentiam atque tenuitatem.

Dum haec intùs geruntur, cancroſi tabi portio venulis eroſis & textu cellulari reſorpta maſſam humoralem inficit. Hinc effectus interni *o*): febris naſcitur atque mox *lenta* evadit; cutis decoloratur, areſcit, flaveſcit, ardet; maxima functionum pars aut laeditur, aut aboletur, & aeger marceſſit. Perſeverante tabi cancroſi reſorptione, febris peſſimae indolis, *cancroſa hecticam* caloris gradu vincens, incenditur, quae uno quaſi tenore aegrum urget. Poſt longam inappetentiam redit quandoque appetitus, famis caninae aemulus; quod phaenomenon morbis omnibus ab acredine putrida natis valde familiare eſt. Patiens, non abſque colicis doloribus ventoſis & teneſmo, fetidiſſimas alvinas dejectiones, gravis ipſe naribus, deponit; urinas olidiſſimas, rubras emittit, quae albeſcunt refrigeratae, depoſito ſedimento rubro, quod maxima parte terreum eſſe obſervavi. Tandem diarrhoeae & ſudores fetidiſſimi colliquativi agmen claudunt. *Febris cancroſa*, multorum malorum parens, aegerrimè expugnatur, cùm diatheſi putrida promoveatur, quam viciſſim ipſa promovet, & hàc perſtante omnia ad fatalem terminum ruere neceſſum eſt.

16. Eodem fonte, quo praedicta phaenomena, manat eretiſmus: humores, quantùm ſua cuique indoles ſinit, ad cancroſam acrimoniam devoluti compungunt, irritant ſolida, eò acutiori ſenſu praedita quòd moerore, animi anxietatibus, inſomniis, atque medicamentis debilitata, irritabili vi exercente aptiora facta fuerint: haec totius machinae morboſa irritatio, *ſpaſmus, eretiſmus*, aut *cancroſus habitus* audit. Hic habitus aegrè admodum debellatur, &, hoc praeſente, nulla ſperanda ſalus.

o) Non potui effugere quin externis virûs cancroſi effectibus aliquid de internis, luciditatis cauſâ, admiſcerem.

ſalus. Ipſe enim incoercibiles ingurgitationes, mox cancroſas futuras, producit; & aliunde ſuâ praeſentiâ teſtatur omnem oeconomiam animalem labe cancroſâ vitiari, cujus mundificatio humanos conatus hucuſque ſuperavit. Ex hoc cancroſo eretiſmo, quatenus ſigno diagnoſtico, eruitur ratio cur quaedam deſperatae exciſiones fauſtum habeant exitum. Eretiſmus, praecipua prognoſtici baſis, meo judicio nimium negligitur; eo prorſus inconſulto, fertur judicium, haud dubiè magis caducum quàm ſi ex ſolo corporis habitu, ferè inconſulto tumore aut ulcere, depromptum eſſet. An ab eadem morboſâ irritabilitatis vi ſuſcitatâ petenda ratio, cur mulieres, & inter eas, hyſtericae, viri hypochondriaci, meticuloſi, non ſpretâ tamen naturali eorum ad acrimoniam putridam propenſione, frequentiùs cancro laborent, & magìs periclitentur, eo rato, quàm ceteri homines, periti videant? an-non ideo bruta, licet obſtructiones noſtris ſimiles patiantur, rarìùs & ferè nunquam cancro lethali laborant, quòd eorum vis irritabilitatis, quaecunque ſit, ſegniùs incitetur, propter immunitatem animi pathematum, quibus homines, & prae ceteris hypochondriaci, anguntur.

17°. Aucto eretiſmi aculeo, dum patiens ad tumulum properat, vehementiùs divulſi muſculi inordinatè ſe contrahunt, & motus convulſivos aut veras convulſiones exſequuntur. Huic tamen peculiari convulſionum cauſae adnumerandae ſunt aliae vulgares, quae & hìc quoque locum habere valent, quales ſunt dolor atrox, hemorrhagia, &c.

Ad cancroſum habitum pertinere pariter videntur praecordiorum anxietas, cordis palpitatio, dolores colici, diarrhoea, alvus ſtrictior, iſchuria, diabetes & alia accidentia, quae alternè & ſine norma aegrum occupant.

Tandem cunctis everſis functionibus, accedit extrema macies, quam ultima tam ſolidorum quàm fluidorum putrefactio comitatur; franguntur radicitùs vires; intercurrunt lethales hemorrhagiae atque lypothymiae, &c. Invaleſcunt intereà effectus locales, & inter eos dolor omnium atrocior. Haec malorum caterva, poſt ultimas miſerias diu toleratas, diros inter cruciatus patientem demum jugulat.

SECTIO QUARTA.

Poſſibilitatem Cancrum ſanandi medicamentis tum internis, tum externis, certis limitibus coercere.

LV. Ut intelligantur quae circa hujus propoſitionis dilucidationem dicenda veniunt ſtatutorum cancri ſtadiorum (§. VI. & ſeq.) ratio habenda eſt.

Primi ſtadii cancer reſolutionis capax eſt ſaepiſſimeque, tum natura tum arte, reſolvitur. Ejus therapeiam utpote omnibus obviam praetermitto. Secundi ſtadii cancer nunc reſolvitur, nunc prorſus non: incipiens &, ut ita dicam, junior medicamentis aperitivis, tum mechanicis, tum phyſicis obtemperare ſolitus eſt; adultus, omnem medelam reſpuit. Sed quis terminus à juniore ſecundi ſtadii cancro adultum ſeponit? Hunc prodidit autopſia; eſt nempe meta haec ille tumoris ſtatus in quo ſolida talem paſſa ſunt organiſmi jacturam qualem reparare valeant. Hunc ſtatum meritò comparaveris cum gangraena eo temporis puncto quo ſolitae partes, ſi medicamenta preſtò ſint, poſſunt ad vitam redire, quoque praetergreſſo, ſphacelo corripiuntur immedicabili. Sed urges, Quâ notà ſe prodit fatalis hic terminus? Fateor equidem me nullam noſſe, quae certi & conſtantis ſit uſûs. Fallax quae ex tumoris duritie, quae ex ejus antiquitate, ex pertinacia, ex amiſſa aut perſtante ſentiendi facultate derivatur. Intra vitalitatis

tis terminos poſitus cancer ſecundi ſtadii, ob ſuum, adhuc perſtantem, organiſmum, eadem admittit medicamenta quae cancer primi ſtadii. Hìc confert hemorrhoïdum aut menſtruorum fluxum reſtituere, humorum viſcoſitatem & ſtaſim, ſolidorum ſegnitiem, diluentibus, emollientibus, attenuantibus, ſtimulantibus, evacuantibus medicamentis, diaetâ & exercitiis expugnare. At ſibi caveat Medicus; aequa medicamentorum activitas ubi cum cancro mercatur ſtrictiſſimis cohibetur anguſtiis: ea enim oportet inertia tumoris cancroſi vaſa congruè ſollicitent, alioquin inefficacia forent; neque plus juſto excitent, ne irritationem, eretiſmum, humorum affluxum atque inflammationem in aegrorum perniciem promoveant. Omne certè tuliſſet punctum qui lubricam hanc medicamentorum menſuram inveniſſet, & ſpeciali caractere deſignatam, alios docuiſſet inſtituere. Propter hujus regulae defectum, ſemper infida, ſaepe noxia & quandoque lethalis eſt medicamentis tentata cancri ſecundi ſtadii reſolutio. Uno verbo, tumor cancroſus ſecundi ſtadii incipientis, ſeu organiſatione ſanâ nondum exutus medelae cedit; & huic competunt *ſpecifica* tum antiqua, tum recentiora, quae hìc enumerare mihi mens non eſt (§. 17). Tumorem cancroſum ſecundi ſtadii provectioris, ſeu tumorem qui organiſmum depoſuit, neque credo medelâ medicamentosâ qualicumque victum fuiſſe nunquam, neque quemquam oeconomiae peritum malâ fraude fictis curationibus credere poſſe arbitror.

Et ſanè medicamenta non agunt niſi agantur: porrò vaſa tumorem cancroſum perreptantia, neque advenientes ſuccos medicamentis foetos, recipere, propter extremam obſtructionem quorumdam canalium, & ceterorum obliterationem; neque, ſi reciperent, in continuos tubulos agere valerent, cùm parietes ipſorum natale robur, nativam cohaeſionem, inceptae aut adul-

tae putrefactionis vi amiſerint. Quam ponimus cancri conditionem impermeabilem & inorganicam jamdudum declaraverat, ſurdis canens, *Gendron*, inquiens, *cancrum non ulceratum eſſe totum quoddam compactum, indiſſolubile p*).

LVI. Nec nobis dubia movent circa ſtatutam impoſſibilitatem ſanandi, medicamentis reſolventibus, cancros ſecundi ſtadii adulti, tertii & quarti nuperrimè inventa *ſpecifica*. Adeo decantata cicutae efficacia cum promiſſoris hiatu in auras difflata videtur. Hodie praeter inventorem, vix quemquam aequum rerum judicem totâ Europâ invenies, qui huic ſtirpi fidere non deſtiterit. Nec immeritò, ſi *Mark Akenſide q*) audiamus, qui multas cancrorum curationes cicutâ, tum ſolâ, tum ſublimato corroſivo maritatâ tentavit. Fatetur enim candidè ſe expertum eſſe hanc medelam prorſus inefficacem quoties cancrum adultum, aut exulceratum, debellandum ſuſceperat; licèt hâc plantâ recentes & non exquiſitos tumores cancroïdeos (putà primi & ſecundi ſtadii incipientis) feliciter curaverit. Tandem ſtirpem arguit D. Andree, non paucis fretus experimentis, quòd non modò non curet cancros, ſed quòd utentes incaſſùm malè afficiat *r*). Quidquid ſit de hac exprobratione, quam, proh dolor! nimiùm meritam clamat experientia, tenendum eſt omne remedium quod vanâ ſpe aegros deludit perniciofum eſſe, potiſſimùm cùm de cancro agitur. Dum enim vanis conatibus lubricum teritur tempus, cancroſus ichor, intrà tumoris clauſtra recluſus, majorem majòremque energiam acquirit, intimiùs humores inficit, vires franguntur omniaque in pejus ruunt; nec priùs, ut plurimùm de medicamenti impo-

p) Opere citato.
q) Archiater Angliae in Medical Transactions published by The College of Phyſicians in London 1768., Vol. I. in 8.
r) Apud Gy, opere citato.

impotentia conſtat, quàm morbus deſperatus evaſerit. Ex dictis hucusque fas eſt, ni fallor, concludere omnem cancri therapeïam, quae partis cancroſae in ſtatum ſanum reſtitutionem intendit, ſi, ut ad nauſeam dictum eſt, cancros primi & ſecundi ſtadii incipientis excipias, non modò vanam, ſed abſurdam eſſe, & conſequenter cancrum tolli non poſſe, niſi quidquid cancroſum eſt abſcindatur & pereat. Nulli inter Auctores non perſpecta fuit cancri tertii ſtadii incurabilitas: hunc immedicabilem declarat *Galenus s), quoniam medicamenta mitia nihil agunt, & valentiora plus indurant. Oribaſius, Aetius* Galeno aſſentiuntur, quamvis crediderint in gratiam aegri (num meliùs in perniciem) hos tumores humectari poſſe. De his nihil utilius apud Auctores invenies gravi aureoque dicto Domini *Lecat*, *Aut blandire, aut ſeca.* Blandimur autem cancros cujuscunque aetatis aut ſtadii diaetâ antiphlogiſticâ, infuſis amariusculis, ex chamapytyde, v. g., quam ſtirpem magni faciebat *Albertinus t*), multoties ejus egregiam virtutem expertus; venaeſectione, ex Valſalvae conſilio, qui ſive pro uteri, ſive pro mammarum cancroſis tumoribus, aſſerebat inter magis efficacia ad retardandum utrorumque incrementum praeſidia; uſu ſibi compertam eſſe venaeſectionem quotannis quater, bis videlicet Vere, & bis Autumno, inſtitutam *u*).

LVII. Quae totâ hac ſectione diſputavimus nos arcent à disquiſitione remediorum apud Auctores in curationem cancri laudatorum, quam porrò expoſtulat programma, nosque ab impoſito munere quodam modo ſolvunt. Etenim pro inconcuſſo poſuimus nulla extitiſſe unquam remedia quae cancrum ſecundi ſtadii provecti, tertii & quarti reſolvant, nimiùmque patuit conditione

s) 7 De compoſit. medicament. ſ. genera.
t) Apud Morgagni, de cauſ. & ſed. morb. Epiſt. 39. §. 35.
u) Ibid.

ditione phyſicâ hujus morbi omnem inventorum inveniendorumque ſpecificorum ſpem in perpetuum adimi. Potuiſſem equidem taedioſè diſſerere de iis medicamentis quae cancrum primi ſtadii & ſecundi incipientis debellare apta nata ſunt. Sed cui haec nota atque obvia non ſunt, cùm quotidianâ praxi in uſum trahantur, non modò ad cancros, verùm ad congeſtiones lymphaticas ſimplices, obſtructiones, ſtrumas, &c. profligandas.

SECTIO QUINTA.

Optimam Cancrum curandi rationem proferre.

LVIII. Nullam ſperandam eſſe ſalutem niſi cancroſa moles à ſano ſejungatur, antiqua noſtraque experientia clamat: hinc factum eſt ut omnis aevi Chirurgi uni eradicationi cancroſae molis intenti fuerint. Hanc variis modis procurare allaborârunt, ſuppuratione, putà, medicamentis cauſticis, ferro ignito & ſcalpello.

Suppurantia.

LIX. Suppurantia vulgaria unanimi artis peritorum conſenſu ex cancri therapeïa deturbata ſunt. Nec immerito; non modò enim hujus farinae auxilia nunquam proficuam moliri ſuppurationem, verùm è contra indomitam cancri materiem exacuere, peſſimam putredinem promovere, abſceſſus aggerere, foveas excavare, &c. mille funeſti eventus uberrimè comprobarunt.

Ferrum ignitum.

LX. Idem eſto judicium de truculenta urendi methodo; in qua refellenda non immorabor, cum noſtris temporibus in abſolutam deſuetudinem abierit.

Medicamenta cauſtica.

LXI. Multùm diſputatum eſt de cauſticorum beneficio aut noxâ in cancris averruncandis. Sed quid, quaeio,

ſo, meditatur Chirurgus, dum corroſiva medicamina cancro admovet? Certè aut conſumptionem, aut avulſionem. Si abſumere velit, ne quidem ſuccedet res, niſi unà eàdemque applicatione totam cancroſam molem deurat: ſi enim latiùs diffundatur tumor, aut ulcus cancroſum, medicamento appoſito, vel cauſtico parciùs tangatur, cancroſus fomes, eretismus, inflammatio, & his faventibus, corruptelae & eroſiones pediſſequae praematuraque mors advocantur. Verùm tamen ſi molis cancroſae eradicationem intendit Chirurgus, ordinatis circa cancrum cauſticis, res valebit ſuccedere. Sed quot & quanti miſero parantur dolores, quot & quanta arceſſuntur discrimina! Ut cetera taceam, quis non videt quòd ſi vel tenuiſſima cancroſi infarctus portiuncula, exiliſſima radix, medicamenti vim effugiat, vel quia intrâ ulcus, aut infra tumorem altius defigitur, vel quia extra aream cauſticis circum vallatam vagatur, relictae partis corruptelam, irritatione, dolore, inflammatione, cauſticorum actionem comitantibus, actam, incrementa cita & immania capeſſuram fore, & multò ferocius ſaeviturum, quàm ſi vel intactum relictum fuiſſet vitium, vel ſcalpello exciſum? cauſticis equidem uſi ſunt veteres, ſed haemorrhagiae metû, & disciplinae anatomicae penuriâ pavidi. Hâc parte eventûs ſecura praeſens Chirurgorum aetas, obſoletam cauſticorum methodum mulierculis, agyrtis, mortifera ſua praeſidia inhianti populo vendentibus, reliquit.

LXII. Antequam cauſticorum methodum deſeram, ſtupendae fiduciae, quâ aegrorum grex agyrtas proſequitur, fons referandus, atque exhauriendus, pro viribus, eſt. Adeo decantata in ſingulis regnis, provinciis, civitatibus, oppidulis, &c. adversùs cancrum ſpecifica è cauſticorum familia eſſe apud omnes in confeſſo eſt, & cauſticis ritè adhibitis vinci poſſe cancrum ratio & experientia innuunt. Non ergo abſolutae impoſſibili-

tatis

tatis eſt ipſam agyrtarum medelam, rudioribus licèt manibus pertractatam, interdum fauſtos ſibi peperiſſe eventus; quanquam tamen unius ſalus mille ad aram alliciat victimas. Hanc profectò Chirurgiam pertractarent Chirurgi; patrum veſtigiis inhaerentes, imò ſcitiùs atque ſolertiùs ut dogmaticos decet, niſi tutiorem noviſſent. Aliunde, viro probo non licitum eſſe ipſa monent viſcera millenos jugulare, quod ſcelus vix evaderet cauſtica inſtrumenta tractans, ut aliquot annis vitam unius aut alterius protrahat, quam vellent aegri ſtato tempore amiſiſſe, hoc pretio cauſticorum tormenta evaſi. Triplici ſtat baſi Hiſtrionum, nugivendorum fama, 1°. hominum inſtabilitate, 2°. agyrtarum quandoque felici audaciâ, 3°. incuriâ medentium, qui longâ & infelici curatione pertaeſi, forſan ſuae famae nimiùm conſulentes, inconſultè aegros certae tradunt deſperationi, hoc ipſo interdum momento, ut ipſe expertus ſum, quo ſalus fores pulſat. Etiam rebus, ut videtur, deſperatis, Chirurgi conſtanti animo aegris aſſideant, pertinacem iis ferant opem, & ſimul cancroïdea ulcera à cancro vero diſtinguere diſcant, hoc uno evertetur Medicaſtrorum fama, & ſuus arti redibit honos. Circa tantorum morborum diſcrimen paululum immorabor.

Ulcera Cancroïdea.

LXIII. Cancri *homonymiam* ad quaevis ulcera putridis affinia, nempe ad ulcera *mali moris*, *antiqua*, *cavernoſa*, *fiſtuloſa*, *varicoſa*, *venerea*, *ſordida*, colliquativa, multòque minus, juxta *Cornelii Celſi* ſententiam, ad gangraenam & ſphacelum extendere, cum *Junckero* renuimus. Maxima pars ulcerum vel prava medicatione, vel naturâ partis affectae, vel vitiosâ humorum indole cancroſam faciem induere valent. Nihilominus haec inter ulcera, quae ex bubone, polypo, ſarcomate ſuppu-

ſuppuratis dehiſcunt omnium facillimè pravam hanc degenerationem ſortiuntur. Cum aegro & Chirurgo maximi momenti ſit cancroïdea ulcera à cancro vero diſcerni ſigna utriſque communia & propria hìc exaranda eſſe judicavimus, quorum collatione certior evadat utrorumque diagnoſis.

Signa Communia.

LXIV. 1. Ulcera cancroïdea non ſecus ac cancer verus aegrè medicationem patiuntur.

2. Dolore divexant acri.

3. Labia inverſa, turgida circumferentiam ſeu ambitum varicoſum ſiſtunt; loco puris ſaniem parcam, graveolentem fundunt, atque perſaepe cavernoſa evadunt.

4. Cancri ad inſtar, rodendo ſerpunt ſibique relicta aut incongruè medicata, licèt tardiorem, certam tamen ut plurimùm mortem inferunt.

Signa propria.

1. Licet difficilem, tamen ſanationem admittunt, vulgarique therapeiae, in cancros prorſus invalidae, interdum obſequuntur,

2. Dolores quibus ſtipantur neque adeo profundi, neque adeo deurentes & lancinantes ſunt ac in cancro.

3. Quandoque per intervalla pus non infimae ſortis fundunt.

4. Segniùs ſerpunt quam cancer verus, & potius in ambitum quàm in profundum dirigitur eroſio.

5. Nonnunquam ſuâ ſponte conſiſtunt, atque ad benignam ulcerum claſſem, unde profecta ſunt, revertuntur.

6. Frequenti tumeſcunt hyperſarcoſi, cùm rariſſimè aliquid excreſcat in cancro vero exulcerato, *niſi per efficacia*

efficacia abſtergentia & balſamica portio quaedam mundificata talem ſuperaccretionem admittat v). Cave tamen ne ex Junckeri verbis falſò credas aliquid *carnis ex ipſo cancro excreſcere: quae pullulant* moles carneae, ſeu fungi ex ſtratis quibus incumbebat cancer, qui hac ſaltem parte evanuit, ſuccreſcunt.

Memoratis phaenomenis dignoſcentur ulcera cancroïdea, & à cancro vero ſecernentur. At unde phaenomenorum & eventûs diverſitas pendeat, explanare hoc opus hic labor eſt. Quanquam oneri impar, quaedam de gravi hac materie ſubjungam.

LXV. Cancroſa ulcera vel vulneri, vel leviori humorum ſtaſi, vel rebelli, duriori, antiquae folliculorum aut glandularum obſtructioni ſuccedunt. In ſingulis his hypotheſibus ulcera haec putreſcere poſſe nemo inficiabitur. Si valida putrido ulceri inflammatio contingat, id edendo ſerpere neceſſum eſt. Si neutiquam, aut remiſſius inflammetur, modicumque caleat ulcus, merè colliquativum erit. Quando primae ſortis ulcus, nempe inflammatorium, vulneri aut leviori humorum ſtaſi ſuccedit, putredo extrema vaſorum, effuſumque laticem in cavum ulceris tantummodo occupat. Fluida huc depluentia ſub exſudationis momento in ulcus putrido hoc fermento inficiuntur: ichor enim intra ulcus nidulans extrema vaſorum ulceri proſpicientium, & fluida iis contenta ad putridam degenerationem indeſinenter trahit; deinde hae extremitates vaſorum interſperſaeque textus adipoſi areolae eo, quo dictum eſt mechanismo (§. 50.), à ſanis diſcedunt. Sic ſerpit lenta, & ſummae quaſi cuti inhaerens eroſio.

LXVI. Verùm enimvero ſi antiquae ulcus accedat obſtructioni, vaſorum ſuccos ad locum obſtructum advehentium maxima pars, non ſecus ac in cancro, latice, quem vehit, ipſamet infarcitur, minus magisve profundè

v) Conſpectus Chir. p. 321, Junckeri.

dè intra carnes. Porrò cùm fluida haerentia faciliùs putreſcant quàm mota, altiùs defigetur corruptela, & ferociùs ſerpet eroſio in hoc ulcere, quàm in praecedenti. Imò experientia docuit ultimae ſortis ulcera in cancrum verum verti poſſe eòque faciliùs, quò praegreſſa obſtructio exquiſitior fuerit, ſic ſarcoma apud *van Swieten x*), ganglion apud *Platnerum y*), bubones apud innumeros Scriptores, in peſſimum, & nullo negotio coercibilem cancrum, converſa legimus. Uno verbo, in hoc tota phaenomenorum diſcrepantia verſatur quod in ulceribus cancroïdeis, quae ſine praegreſſa antiqua & compactiori obſtructione dehiſcunt, corruptela cutis & textûs adipoſi ſuperficiei quaſi haereat, & medicamentorum energiae pateat; in caſu autem contrario, nempe cùm putredo partes ab ulcere diſſitas, mediantibus cujuscumque ſortis tubulis antiquitùs ſarcinâ obrutis, occupat, corruptela medicamentorum vim effugiat, ab iisque, ſi irritantia, corroſiva, &c. ſint, novas vires, propter caloris augmentum, arripiat.

LXVII. Hic ſiſtitur occaſio disquirendi utrùm ulcera cancroïdea à retropulſo viru cancroſo in partibus à fomite diſſitis procreentur. Extra omne dubium eſt ichorem cancroſum humoribus remixtum partes quas imbuit irritare, & propriâ labe inficere: ponamus organum quodpiam ingurgitatione lymphaticâ, aut obſtructione verâ gravari; accedat ichor; certum eſt torpentia liquida, & ſubinde ſolida, tum recepti fermenti energiâ, tum aucto, propter irritationem, calore, intra indefinitum temporis ſpatium ad putrefactionem devoluta fore. Haec corruptela, ut ſupra dictum eſt, merè colliquativa, & proinde ulcus quoque colliquativum, erit, ſi calor langueat. Verùm ſi calor ad cer-

tum-

x) Aphor. 494. pag. 800.
y) Inſtitutiones Chirurg. §. 773.

tum gradum pertingat, cujus definitum terminum huc usque non accuratè attigi, ipſum licet ſcrutator indefeſſus, tum ratiociniis, tum experimentis diu quaeſiverim *z)*, certò certiùs eſt hanc corruptelam poſſe cancroſam evadere; ulcusque cancroïdeum à retropulſo ichore naſciturum fore, quod, hoc dempto, nunquam extitiſſet.

LXVIII. Hic quoque ex programmatis inſtituto exaranda forent cancrorum diverſarum partium ſigna, differentiae, &c. Potuiſſem utique ſymptomata, cuique organo peculiaria, propter diverſas functiones & uſus, diverſa aggerere. At in immenſum creviſſet, jam diffuſior noſtra haec Diſſertatio, quin aliquid luciditatis aut certitudinis theoriae generali cancri, virusque cancroſi acceſſiſſet. Aliunde, Auctorum deſcriptiones & ſigna coacti eſſemus ponere, aut nulla: porrò *Illuſtris Academia* parvì facit jam inventa ac vulgata; uni artis incremento intenta, ignota & nova ardet atque expoſtulat, qualia hìc, poſt tantorum virorum labores & lucubrationes circa res ſenſibus obvias, invenire poſſe vix fas eſt ſperare. Quaedam tamen ſubnectam praecepta generalia, circa diagnoſim cancrorum organa interna varia occupantium.

Inter-

z) Dolendum ſanè caloris animalis fontem nos latere! à motu circulatorio & muſculari hunc toto hoc opere derivavi, Bellè ſcius hanc hypotheſim, phaenomenis enodandis imparem, caducam, imò noviſſimis experimentis everſam eſſe. Nullus dubito quin reſeratus verus caloris fons magnum lumen in cancri theoriam irradiaret. Cur adeo deſpecta eſt Phyſiologis cauſa caloris quae à motu irritabilitatis, ſeu Perpetuâ fibrarum muſcularium palpitatione eruatur? Mirum quâ ubertate ex hoc fonte ſolutiones difficultatum circa calorem animalem exundant. Hanc hypotheſim diu animo frequentavi, ſeriò deinceps meditatus ſum, tandemque cum phaenomenis contuli, & non potui eam non annumerare in certioribus Phyſiologiae inventis. De hac nonnulla ſcripſi, quae datâ occaſione in lucem prodibunt.

Internos cancros praeſentes cognoſcimus ex laeſis aut everſis organorum quibus inhaerent functionibus. Ad diagnoſis autem certitudinem requiritur: 1°. Ut tales laeſiones contingant quae à compreſſione aut à tarda eroſione naſci ſolent. 2°. Ut quaevis alia aegritudo exulet, cui vigentia accidentia referri jure queant. 3°. Ut functionum laeſio diu in eodem ſtatu maneat, absque notabili incremento, quando de ſcirrho ſuſpicio eſt; & eadem laeſio pede ſolito procedat, cum cancrum adeſſe ſuſpicamur. Externorum cancrorum ſigna ex ſuprapoſitis abundè colliges. Haec ergo, ne taedioſus ſim, ſilentio premam.

Cura cancri exciſoria.

LXIX. Abſolutâ neceſſariâ digreſſione, ad eam cancri exciſionem, quae ſcalpello fit, propero. Hanc debitis extollere encomiis mihi mens non eſt: omnium mitior, tutior uno ore proclamatur. Utiliùs circa morbi circumſtantias, quae exciſionem ſuadent, ſinunt aut reſpuunt, noſtra verſabitur oratio.

Hippocratis monitio perterriti Chirurgi per longam ſaeculorum ſeriem cancri curationem aggredi veriti ſunt. Inter eos audaciores parvos, recentes, mobiles cancros auſi ſunt reſcindere; vel amputatione ferro candente tutatâ; vel cauſticis. Labente ſaeculo XVI°. coeperunt, ablegatâ truci urendi methodo, cancrum ferro reſcindere. Exinde methodus amputandi invaluit; quae celebrium noſtrae aetatis Chirurgorum ſucceſſibus confirmata ſola eſt in uſu. Verumtamen de circumſtantiis in quibus aut fas, aut nefas eſt cancrum amputare adhuc ambigitur. Quidam hunc ſolum amputandum eſſe cancrum, qui ſolitarius, recens, mobilis eſt, &c. aſſerunt. Qui autem latâ baſi firmiùs adhaeret, hunc intactum relinquere, aegrumque certae deſperationi fatoque ineluctabili tradere non verentur ſummi in arte

 viri.

viri. Ergone abſolutè lethalis cancer qui ſuppoſitis partibus arctè affixus eſt? Huic enodandae quaeſtioni quaedam de natura nectentium vinculorum praemittenda ſunt.

LXX. Organa quaecunque cancroſae labis obnoxia vicinis nectuntur partibus. Hic nexus multiplici vaſorum genere, & textu adipoſo coagmentatur. In naturalibus his vinculis auctae adhaeſionis cauſam quaerendam eſſe evidens eſt. Telae cellularis vaſorumque perrantium ingurgitatio, oriunda, hìc à ſuccis quos vehunt vaſa, ibi, à fluido lymphatico-oleoſo, quo irroratur organum cellulare, plus minusve concretis, totum, ni fallor, rei negotium expedit. Hac ingurgitatione diducuntur, abbreviantur, ſolideſcunt partes molles & laxae, tumorem nectentes, ipſumque ſtrictioribus fraenant repagulis. Quid autem, quaeſo, adeo portentoſum eſt in hac vaſorum, aut telae cellularis ingurgitatione concreti fluidi, quod Chirurgi manum terreat, ejusque aures miſerorum precibus obturet?

Equidem verum eſt totam adhaeſionis molem reſcindendam eſſe totamque reciſionem, ſi altè defigatur infarctus, magnam quandoque ſibi ſumere ſolidorum jacturam. At non plus juſto pertimeſcenda eſt magna muſculorum pectoralium, &c. exciſio, etſi ad coſtas protraheretur, collato vulneris diſcrimine cum certo, cui traditur patiens, letho. Neque etiam ſi aliquid de nectentibus vinculis ſupereſſet, modo ſedulò arceatur inflammatio, de aegri ſalute deſperandum eſſet. Tutò cancer, quamvis firmas cum partibus ambientibus adhaeſiones contraxerit, niſi obſtet indomitus cancroſus habitus, exſcindetur. Amputato enim tumore, ſi quid contaminati remanſerit, id componere valebit ars, vel auxiliis antiſepticis mox memorandis (§. 74. & ſeq.), vel alia ratione: judicioſa porrò opus eſt dexteritate; alias praeſtat non attingere. Chirurgos imprimis mo-

nee

neo ne fallaci parcant cuti. Dum enim cancrum reſcindunt, in hoc potiſſimùm peccare mihi viſi ſunt, quòd cutem cancroſam relinquant, dum eam, nativo colore decepti, ſanam judicant, quae inſolitâ conſiſtentiâ & craſſitie ſe vitiatam prodit. Ipſâ, quam laudamus, felici aùdaciâ, feliciter abſolutam curationem, in mamma immaniter exulceratâ, curante Valſalva, apud Morgagnum invenies *a*).

LXXI. Plures cancros coexiſtentes deprehendens Chirurgi manus haeret. Verùm inquirendum eſt num ſinguli à primaria cauſa ortum duxerint; nempe num inter eos tardiores ante recrudescentiam dolorum in cancro primario, quae initio tertii ſtadii contingit, pullulaverint. Quod ſi res ita ſe geſſerit, & hos quoque reſcindendos eſſe cancros docet Hildànus *b*), qui mammam extirpavit, licet plures ſcirrhi, & ſatis magni, ſub axilla ejusdem lateris haererent, quos eodem tempore abſtulit.

LXXII. Ne quis tamen ex modò dictis concludat imprudentiùs nos cancros omnes ſcalpello ſubdere: ſunt ſanè caſus in quibus omnis ſpes curae exciſoriae corruit; ut cùm cancer in intimioribus latet receſſibus, quos ſcalpello luſtrare vetat prudentia; cùm tumor làtus, non circumſcriptus, inveteratus, immobilis, ſuppoſitis partibus quaſi coagmentatus, doloribus àcutis, totâ ſuâ mole diffuſis, divexatus, &c, deprehenditur. Talem enim conditionem nunquam offendes, quin cancroſus habitus provectior totam oeconomiam invaſerit.

LXXIII. Nolim tamen putetis, VIRI ACADEMICI, me prorſus deſperatum habere cancrum, cujus tabum maſſam humoralem contaminavit. Fortè & in hoc caſu quaedam ſalutis ſpes affulget medenti. Medelam huic liquidorum contaminationi accommodatam,

 ſeu

a) Opere citato, epiſt. L. No. 16.
b) Obſerv. Chir. centur. II. Obſ. 79. pag. 150.

ſeu internam, caeco hucuſque pertractatam empyriſmo, ſubnectere mihi animo eſt, poſtquam de cancro exulcerato ſeu quarti ſtadii ſpeciatim diſputavero.

LXXIV. Cùm ad grandiorem exulcerationem devolutus eſt cancer omnis Chirurgi ſpes frangitur. Verumtamen & in hoc morbi ſtadio ſymptomatum mitigationem praeſtare, vitam protrahere, fortè & ſanationem moliri valet curatoria ars. Praeter enim curam exciſoriam, quae ſaepe ſuccederet, ſi unà habitus cancroſus debitis auxiliis profligaretur, aliam ſolis medicamentis abſolvendam indigitat. Cura haec ſequentes habet indicationes, quibus ut proſperè ſuccedat, faciendum ſatis; 1. praeſentem corruptelam fugare. 2. Futuram avertere. 3. Molis inorganicae factae, ſeparationem operari. 4. Tandem ulceris conſolidationem abſolvere.

Medicamentum talis energiae, quae cancroſam corruptelam domet, non uni ex his indicationibus accurſurum eſſe quiſque videt. Verùm tale medicamentum fruſtra hucuſque quaeſitum eſſe infauſta clamat experientia: deterſiva, mundificativa, antiſeptica, quae irritando agunt, qualia frequentiùs in praxi uſurpantur, eretiſmum, infractum, inflammationem & corruptelam promovent, furentique malo vires addunt. Annon, ut aiebat, ingenii acutiſſimi & profundae doctrinae vir, Dominus *Lecat*, noſtri aevi Medico-Chirurgicus, *Fas eſt ſperare inventionem medicamenti ſuppurantis, cancri naturae congruentis? Certum eſt tale medicamentum non repugnare.*

LXXV. 1. Gas ſylveſtre ex omnibus mixturis actu fermentantibus aut efferveſcentibus nobis viſum eſt quaeſitum ſuppurativum ſuppeditare. Nemo neſcit fluidum hoc ſubtiliſſimum partes putridas animalium ad nativam dulcedinem revocare c). Quamvis ejus facultas

c) Macbride, Eſſai ſur les vertus reſpectives des antiſeptiques.

tas antiſeptica à nemine, quod ſciam, confirmata fuerit, experimentis circa corruptelas corpori viventi inhaerentes habitis, confido tamen, & in hoc experimentorum ordine, gas ſylveſtre potiturum eſſe ſuâ energiâ. Nullum enim hinc inde diſcrimen invenio praeter levem teporem quem corpora viventia inhaerenti putridae moli communicant; cùm è contra corruptelae à Dominis *Pringle*, *Macbride*, *Gaber*, & aliis edulcoratae novo hoc antiſeptico, ut plurimùm frigidae tractatae fuerint.

LXXVI. Attamen, ut verum fatear, experimenta in hunc diem habita vetant ſperare omnem maſſam cancroſam halitu antiſeptico medullitùs imbutam fore; contrarium enim teſtari videtur experimentum XVII Domini *Macbride* *d*). Verùm ſi prima vaporatio ad altitudinem duarum linearum pervenerit imbutaſque partes nativae dulcedini reddiderit, nùm fas eſt ſperare ſecundam vaporationem altiùs penetraturam eſſe, ſicque totam molem cancroſam ſucceſſivè iteratis vaporationibus imbutam & edulcoratam fore?

LXXVII. 2. Futurae corruptelae obſtabit aſſiduus halitûs antiſeptici uſus. Praeterea, abacta indeſinenter corruptelâ maſſa fermenti putridi decreſcet, & proinde imminuetur cauſa molem cancroſam in motum putridum adigens.

LXXVIII. 3. Molis inorganicae factae ſeparationem à vivis procurare operoſum fore praevideo. Pacatâ putredine, morbo benigniore facto, annon liceret cancroſam molem ſenſim ad vivum exſcindere? Certè hanc medelam recipiunt tumores tunicati, qui de genere putrido mitiori, nempe colliquativo ſunt. Fortè ipſa vis vitae inorganicas & vitae redire neſcias partes cancroſas à vivis ſejunget; id negotium adjuvantibus topicis

d) Ibidem.

cis accommodatis, de quibus uno excepto *e*), experimentorum penuria nos vetat ſtatuere. Saltem hanc inorganicorum à vivis ſeparationem promittere videtur ejectio folliculi tumorum tunicatorum, quam ipſa vis vitae operatur, cum hunc exſcindere non potuit, aut de eo avellendo parùm curavit Chirurgus.

4. Otioſum & inutile foret de quarta indicatione diſſerere.

LXXIX. Hac theoriâ ductus, unam & alteram cancri curationem praedictis auxiliis antiſepticis aggreſſus ſum; nec uſquam rediit occaſio experimenta iterandi *f*): quid evenerit bonâ fide narrabo.

Etſi nunquam ad ſanationem pertigerim, nolui tamen ſilentio premere optimas ſpes quas utrumque tentamen mihi injecit: evulgata, aut evertentur, aut vim acquirent iterata. Quò res cunque cedat, aut mihi aut arti in lucro erit.

Curatio antiſeptica externa. Obſervatio quinta.

LXXX Matrona quinquaginta ſex annorum nata cancro exulcerato laborabat, qui integrum naſum: maximam partem labri ſuperioris & aliquid genarum exederat. Membrana pituitaria eroſa videbatur, tum circà oſſis ethmoïdei anfractus, tum quâ parte ſinus maxillares intus obveſtit; oſſa enim fornicum maxillarium tumefacta, mollia, cutisque ſuper ſtrata livida, ulceroſa, deprehendebantur. Jam elapſi erant duo anni à prima

e) Vide quid diximus de vapore aceti, §. 82. verſus finem.

f) Urbem populoſam colo ubi periculoſum eſt tentamen facere in divitibus. Pauperes, praecipue morbis chronicis aegrotantes, turmatim vorant Noſocomia, quorum nullum meae curae creditum eſt. His adde Medicaſtrorum citam, tutamque ſanationem promittentium gregem, & non miraberis occaſionum tentandi penuriam. Magnopere exoptarem à *Viris Academicis* noſtra experimenta iterari.

prima exulceratione, quae exiguo tuberculo labri ſuperioris primùm inhaeſerat. A quinque circiter menſibus glandulae maxillares utriusque lateris tumere & mox dolere coeperant: praetereà ſaeviebat cancroſus habitus. Primûm adverſùs cancroſam humorum diáthesim inſtitui curam antiſepticam, de qua mox ſpeciatim agetur (§. 84. & ſeq.). Deinde ad ulcus me converti, illudque vaporibus mixturae in majori receptaculo fermenteſcentis objici per ſemi-horam curavi & linteis carptis, oleo ovorum intenſè camphorato illitis operiri. Cùm hujus mixturae fermenteſcentis compoſitionem non ſemel mutaverim, & cúm certum ſit gas ſub fermentatione avolans idem prorſus eſſe è quocunque corporo extricetur, nihil arti intereſt rudiores noſtrarum mixtionum formulas noſſe; has omittam: meliores quisque condet, ſagaciſſimi *Macbride* doctrinâ, & experimentis ductus *g*). Proximâ die, dum ſecunda vaporatio inſtabat, aegra mihi renunciavit ſe placidiorem duxiſſe noctem: ulcus vix immutatum apparuit. Tertiâ die bis vapori ulcus objeci, manè & veſperè: dolores remiſſiores & ulceris aſpectus melior erat. Quartâ die ulcus, jam minus foedum ac graveolens, aliquid boni puris emiſerat. Ter vaporationem inſtitui quolibet die, usque ad tredecimum, & omnia in meliùs vertebantur. Hac die aegra me monuit ſe vertigines pati, à quibus non omnino immunis fuerat ſub tertia aut quarta vaporatione. Cùm dolores fere evanuiſſent, & ulcus optimum aſpectum prae ſe ferens bonum pus ſuppeditaret, quamvis perterrerent me vertigines, tamen aliquot vaporationes inſtitui. Vertigo perſtavit, & ulceris conditio hucusque ultra ſpem bona, vix mutata eſt. Re tamen ſeriò penſitatà, ſuſpicatus ſum gas *Sylveſtri* pulmones invadenti deberi vertigines; idque aegram ſuffocare poſſe ratus, viam mutavi, ſed propoſitum non deſerui.

 Cineres

g) Toto opere.

Cineres clavellatos, ad uncias aliquot, paucâ aquâ ſolutos, & aliquantulo camphorae mixtos, in vas fictile immiſi. Vas obturavi in fundibulo chartaceo, quo vapores ad ulcus veherentur, dum peculiari foramine nunc acetum, nunc ſpiritus nitri infundebantur in cineres clavellatos *h*). Intereâ os extra infundibulum hians purum hauriebat aera. Hae vaporationes bis aut ter, per dimidiam aut horam integram quolibet nychthemeoro iterabantur. Haec medicatio per ſexdecim dies tanto cum ſucceſſu adhibebatur ut tanti morbi eradicationem ſperare non dubitarem; eòque confidentius quod nihil fermè oleret ulcus, pus bonae indolis funderet, quodque glandulae maxillares medicamentis internis cederent. Nihilominus, quamvis remitteretur vertigo, nusquam ceſſabat radicitus. Invaluit è contra die trigeſimâ quintâ aut ſextâ ab incepta curatione, & unâ horrendi dolores ad ſincipitis regionem nati ſunt; de quorum natura nihil diſtinctum ac certum habeo, quod ſtatuam. Sciſcitatus ab aegra num tales dolores antea paſſa eſſet; didici gravioribus aliàs divexatam fuiſſe. Quanquàm ulcus optimam ſuam conditionem ſervaret, ab incepta medela ceſſavi; hoc uno ſtatuto, ut plu-

h) Non deſunt obſervationes atque experimenta quibus evinci videtur gas ſylveſtre, è ſubſtantiis fermentantibus aut effervescentibus avolans, non alienum eſſe ab halitu, quem carbo vulgaris, dum incandeſcit, eructat. Re novis experimentis confirmatâ, ſuaderem hunc carbonum halitum cancris cancroſis plagis, ulceribus ſordidis, contumacibus, putridis &c. aſſiduè ſubdere. Chirurgi Difficile enim ac operoſum eſt, quoties praeſertim parcimoniae conſulendum, gas è ſubſtantiis fermentantibus aut effervescentibus elicere. Aliunde, num mecum ſentientes haberem aequos rerum judices ſi conjicerem ipſummet calorem ſiccum carbonum ſuccos putridos emungendo, partes exſiccando per disjectum humidi motum ſpontaneum irretiendo, his aegrimoniis profuturum eſſe. Has varias caloris ſicci proprietates, quas innuunt priſcorum circa cauteria ignita animadverſiones non reſpuunt nova Phyſices inventa.

plumaceolus, quo per totum curae tractum uſus fueram, bis in die renovaretur. Omnia in pejus ruebant; & ulcere optimum aſpectum ſervante, & fere inodoro, patiens horrendis doloribus toto capite diffuſis dilaniata, & convulſâ periit, die vigeſimâ tertiâ à dolorum inſultu, duobus menſibus poſt ſuſceptam curationem. Cadaveris ſectio, ne quidem promiſſâ pecuniâ, mihi conceſſa eſt *i*).

Obſervatio ſexta.

Si conjecturis habenda fides, ultro crederem aegram à devaſtatione cancri, intra calvariam progreſſi, periiſſe.

LXXXI. Alia matrona, quinquaginta annorum nata, cancro mammae ab novem jam menſibus exulcerato laborans, fruſtra tentatis omnibus praeter amputationem, quam pertinaciter recuſaverat, meae curae tradita eſt. Medelam antiſepticam internam ordinavi; quae febrim, colicos dolores mitigavit, palpitationes abſtulit, ſomnum accerſivit, imò & fluorem uteri viridem & acrem, quo à tribus aut quatuor menſibus divexabatur, quoniam non ſine dolore uteri & infimarum partium excoriatione manabat, ferè exhauſit *k*). Ad ulcus mammae bis, ter, quater nychthemeri ſpatio *gas Sylveſtre* aſſiduè devehi curavi. Id ex cineribus clavellatis

i) Mendicatione vitam ſuſtentabat aegra.

k) Hic fluor uterinus viridis, acris putridus cancroſis mulieribus familiaris, frequenter occurrit in qualibet putrida dyſcraſia chronica. Non ergo ut quidam practici falſò ſibi perſuadent, uterum cancro detineri declarat; verum cancroſi habitus praeſentiam prodit. Cum morboſâ propenſione ad putredinem fluida animalia occupantur, non mirabimur ea praeſertim ac potiſſimum putreſcere quae putrem fomitem lambunt, quae per ſua vaſa teſtudineo greſſu diſcurrunt, quae demum intra receptaculum putrem fomitem coercens, ſtagnant prae ceteris putreſcere. Nunc cauſas fluoris uterini, quo divexari ſolent cancroſae, perſpectas habet quiſque humorum apud cancroſos craſim, & ſimul uteri compagem ac ſitum in mentem revocaverit.

latis a ceto aut ſpiritu aquoſo nitri affuſo extricavi, adhibito eodem apparatu, quem praecedens obſervatio oſtendit. Eodem quoque uſus ſum topico, quo ſupra. Mox ulcus & foetorem & lividitatem exuit, & bonum aut ſaltem melioris indolis pus fudit; ejus labia detumuêre, & mitigati ſunt dolores locales: haec ſingula intra primos viginti dies geſta ſunt. Nullas iſta aegra experta eſt vertigines. Num earum abſentia in morbo ſitu tantùm diverſo, magnopere favet conjecturae quâ conati ſumus hujus phaenomeni ingenuam cauſam attingere, nutantemque de hac ſuſpicionem roborat?

Superfluum foret de qualibet vaporatione ſingulatim dicere; ſufficere reor monuiſſe pluries vaporatum fuiſſe ulcus qualibet die. Haec medicatio ita fauſta fuit, ut poſt duos menſes ulcus bonum pus, nempe ex griſeo albeſcens vapidum & quaſi colliquativum, funderet; tumor cui inhaerebat ulcus, multùm detumuiſſet & dolores locales ferè evanuiſſent. Mihi aliqualis ſalutis ſpes affulgebat. Verùm aegrotantem alia mens occupabat: fatebatur equidem ſe meliùs habere; at illi ſpem omnem adimebat quòd ne, vel tenuiſſima, aut minutiſſima ulceris portiuncula cicatrice obduceretur. Circa initium tertii menſis me mea fefellit facundia, & nutantem patientis ſpem cùm confirmare non valerem, illa ampullatis agyrtae promiſſis irretita, miſſum me fecit, huicque ſe commiſit. Poſt multas miſerias, & haec quoque cancro confecta, in hujus urbis Noſocomio animam efflavit, novem circiter menſibus elapſis à praetermiſſa cura antiſeptica.

LXXXII. Quamvis hae duae curationes in mortem abierint, has tamen propoſitae medelae adverſari quis contendet? Verùm quidem eſt nullas hac ratione abſolutas fuiſſe cancri ſanationes; at nunc tardiùs adhibita ſunt antiſeptica; nunc eorum efficaciae ſe eripuit aegra. In utraque obſervatione ulcus, ut ſperabam immutârunt, exop-

exoptatam conditionem adduxerunt,& generalia ſymptomata aut profligârunt, aut mitigârunt.

Num ergo tum ex ratiocinio, tum ex experientia fas eſt concludere, 1°. extare medicamenta antiſeptica inſignis in cancroſam corruptelam energiae.

2°. Haec medicamina eſſe genuina cancri ſuppurativa *l*).

3°. His ſiſti poſſe eroſionem aliaque prava ſymptomata.

4°. Cancros exulceratos, vulgaribus auxiliis inexpugnabiles, non prorſus deſperatos eſſe.

LXXXIII. Liceat jam meris conjecturis indulgere. Ad therapeiam antiſepticam revocandos eſſe, quos celebratos audivimus, radicis dauci hortenſis effectus cenſeo. Eâ uſus ſum & pluries obſervavi illam fermentationem vinoſam ordiri, quâ *gas ſylveſtre* expeditur. Annon pulvis kinaekinae ulceribus putridis aut gangrenae admotus ea eodem principio, ſeu *gas ſylveſtri*, emendat? Num corruptelam fraenat, ipſam edulcorando? Non tamen negaverim kinaekinae pulverem prodeſſe quoque poſſe facultate ſuâ tonicâ & irritante, tempeſtivè adhibitum, nempe cûm organa peccant atoniâ. Verùm, ſi, ut contendunt plurimi, hic pulvis indiſcriminatim prodeſt, nullâ habitâ ratione facultatis *tonicae* & *irritantis*, quibuslibet ulceribus putridis admotus, nullus dubito quin ejus energia ab uberrimo *aere fixo* & elementari, ſeu *gas ſylveſtri* quod ſuppeditat, repetenda ſit.

COROLLARIUM.

Ex his conjecturis ſequeretur, 1°. dauci, kinaekinae radices & alia antiſeptica ejusdem proſapiae nec parcâ copiâ, nec eâ humiditate, quae fermentationi neceſſaria eſt, orbata

l) Dum hac ultimâ voce utimur, illam latiſſimo ſenſu acceptam volumus, ut luculenter patet cuivis noſtrum opusculum hucusque volvere non dedignato.

orbata admovenda eſſe, aut cancro aut ulceribus putridis: 2°. Haec medicamina non amovenda eſſe antequam fermentationem inierint, & abſolverint. 3°. Eorum medicaminum eam formam praeſtantiorem eſſe, quae fermentationi concipiendae aptior eſt: 4°. Morbum ipſum mixturae actu fermentante immergendum eſſe, quoties ſitus ſinit. Num antiſepticis vaporationibus aeriis, poſſet adjungi vaporatio aceti, quòd, licet ad edulcorandam corruptelam parum valeat, poteſt tamen ſolidarum partium vincula frangere *m*)? Hinc fortè maturior molis cancroſae colliquatio, & à vivis ſeparatio contingeret.

LXXXIV. Ne quis tamen ſibi perſuadeat nos antiſepticam methodum curae exciſoriae anteferre. Expedit haud dubiè cancrum amputare, quoties circumſtantiae annuunt.

Verùm 1. aliquando huc malignitatis devenit cancer, ut ipſi ferrum admovere vereatur Chirurgus. 2. Sunt cancri quos ſcalpello reſcindere vetat prudentia. 3. Dantur alii cancri ad quos ferrum pertingere nequit, qui nihilominus vaporationibus patent, ut cancer uteri, &c. 4. Quaedam ulcera ex cancro amputato reſidua, ob putrem fomitem cicatrice obduci renuunt. 5. Quandoque reſecto cancro, recrudeſcit tabes, nec quid ſperatur de vita aegri. His praeſertim in anguſtiis noſtram ſuademus medendi rationem, quam ad demulcendos dolores, vitam protrahendam, fortè ad ipſum morbum ſanandum valere putamus.

Abſolutis quae de medela topica nobis dicenda erant, ad curationem internam properandum eſt.

LXXXV. Therapeiam cancri primi ſtadii & ſecundi incipientis vulgarem eſſe, & proinde praetermittendam declaravimus (§. 17.) Ibidem quoque probatum eſt medicamenta cancroſae moli in ſtatum naturalem revocandae dicata nihil omnino proficere adverſus cancros ſecundi ſtadii

m) Macbride experiment. XIX. pag. 192.

ſtadii provecti, & ſubſequentium ſtadiorum. In ſomniorum ergo patriam amandanda ſunt remedia ad reſolutionis ſcopum ſpectantia; cujus cenſûs eſt maxima ab Auctorum laudatorum medicaminum copia. Hiſtrionum eſt empyricae medelae, hucusque impotenti, fidere, quae maximas involvit repugnantias, adhibens hìc, v. g. medicamenta ſeptica, qualia ſunt alkalia fixa, ex Boërrhaavii praecepto; ibi antiſeptica, ut acetum, ex Galeni hortatu. Nos dogmaticam therapeiam ratione non ſecus ac phaenomenis ſuperſtructam enitemur ſtatuere, quae ſimul viru cancroſo reſorpto, ac internis externisque ſtagibus à reſorptione natis proſpiciat.

LXXXVI. Quoties perennis extat putridi tabi ſcaturigo, id continuo rivulo venulis reſorptum indeſinenter maſſam humoralem magìs magìsque inficit & ad motum putrefactivum impellit. Sub exortu hujus motûs ſpontanei expeditur aer fixus & elementaris, rumpitur elementorum è quibus animalis machina conflatur, nexus, unàque textura quaevis organica perit. Ineunte reſorptione, primùm humores, mox ſuccus nutricius, ipſaque ſolida putrefactivo motui obſequuntur. His in anguſtiis verſari cancroſorum hominum oeconomiam, hâc deturpari diatheſi in propatulo eſt. Verùm ſi quis quaerat ſpecialem hujus dyſcraſiae characterem, candidè fatebimur nos ejus eſſentiam minimè perſpectam habere. Scimus equidem putredinem ſcorbuticam, malignam, peſtilentialem à purulenta & cancroſa differre. Caeterum harum ſingularum putredinum genius non ſatis per experimenta nobis innotuit, ut aequà lance ſuum cuique peculiare remedium diſpertiamus. Hinc, quamvis fortè herculea ad propoſitum ſcopum medicamina prae manibus habeamus, diatheſim cancroſam ad ſtatum ſanum revocandi hucusque inexpugnata difficultas.

Attamen non absque fundamento conjici poſſe nobis viſum eſt, eo potiſſimùm diſcrepare putredinem ſcorbuticam,

ticam, malignam & peſtilentialem à purulenta & cancroſa, quòd in prioribus ſolida & fluida aequo paſſu putridâ labe inficiantur, quòdque è contra in poſterioribus putredinis ſpeciebus, antequam effectus tabi reſorpti, fluida radicitùs contaminantis, ad ſolida pertingant, haec multùm à ſtatu ſano diſceſſerint. Nam ut caetera taceam phaenomena, aeger marceſſit, areſcunt ſolida, rigidiora fiunt, ſenſum exquiſitiorem acquirunt; unde dum adventat ac pungit putridus aculeus, fortiùs vellicantur & motus vividiores exequuntur aut conantur exequi, ſeu quod idem eſt, eretismo, ſpasmo, inordinato irritabilitatis motu conflictantur, quibus immunia ſunt in aliis aegrimoniis ſolida, ſi febrem malignam de repente natam excipiamus.

Quaerenti rurſum quidnam diſcriminis ſit inter putredinem purulentam *n*) & cancroſam, reſpondemus illud nos potiùs ex intenſitatis ac energiae gradu quam ab eſſentia repetere ac derivare.

Quidquid ſit de ſpecifico charactere cancroſae putredinis, quem novis experimentis ſubigendum inviti relinquimus, non fruſtrà inſtituimus antiſepticam medelam, quam *Boërrhaavius* promulgavit, celebravit *de Haen* & experimentis confirmavit *Macbride*. Hanc itaque aliis adhibendam ſuademus, non modò in circumſtantiis deſignatis (§. 84.), verùm etiam ante amputationes cancrorum ſecundi ſtadii provecti, & ſtadiorum ſubſequentium, per decurſum vulneris, imò poſt abſolutam conſolidationem, & quidem diu, ne ſopita reſurgat humorum dyſcraſia.

Cura antiſeptica interna.

LXXXVII. Indicationes quibus adſtruitur medela haec antiſeptica interna, cuique obviae ſunt. Neminem enim latet totum rei negotium his duobus cardinibus verti. 1°. Ut

n) Haec dicta volumus de putredine purulenta calida ſeu phlogiſtica, quae nedum putredini colliquativae germana ſit, ab illa toto coelo diſtat.

Ut praeſens diatheſis putrida debelletur. Quam ſi plane debellaveris, ſponte quieſcent motus ſolidorum inordinati, & oeconomiae tumultus, quos enixa eſt ac fovit labes haec, dum ſuis potita eſt viribus. 2°. Ut putrido tabo quandiu manet fomes cancroſus indeſinenter reſorpto injiciatur fraenum, ne fugatam tabem revocet.

Primae indicationi occurritur diaetâ & pharmaciâ. Diaeta ſuppeditat alimenta facilè fermentantia & copioſo aere fixo, ſeu *gas ſylveſtri* foeta, quo aere, utpote valentiori antiſeptico, oeconomia cancroſi hominis maximè indiget. Praeterea cibos & potus, qui alvum laxent eligit.

Inter potus aliis anteferre ſuadet ſuccum è malis expreſſum, in vaſis ritè clauſis aſſervatum, ne fermentativo motui obtemperet; muſtum cereviſiae; decoctum fructuum maturorum, aut ſequens à Domino *de Haen* commendatum o). Coquantur unciae VIII. hordei crudi, aut avenae cum aqua pura, donec crepet, ut ſuperſint menſurae quatuor. Menſura capit quatuor libras medicas. Menſurae cuique, ſi alvus ſiccior, drachmae I. II. cremoris tartari vel totidem nitri adduntur. Uſus hujus decocti ac aliorum potuum aſſiduus ſit: quantùm poſſint aegri potent.

Cibos medicatos optimos praebent hordeum, avena, oryſa, & ex iis paratae pultes; quibus non incongruè interdum addes ſuccos citri, aurantiorum acidorum, granatorum, cremorem tartari, &c. aut incoques acetoſam. Aegro, qui his non ſuſtentatur ut decet, concede panem album benè fermentatum cum conſervis fructuum domeſticis. Remiſſâ putrefactivâ diatheſi, non ſinè emolumento inſtitues diaetam lacteam p).

Inter

o) Ratio medendi, Tom. I. pag V.

p) Vide auream notulam diſſertationis Domini de Boiſſieu circa antiſeptica laureâ donatae pag. 128.

Inter pharmaca antiſeptica palmam meretur kinakina. Hac uſi ſumus radice quam porrigebat prodiga manus, juxta methodum Doctoris *Larcher q)*: ſcilicet quaque hora drach. 1. hujus radicis pulveratae dedimus, & poſt unamquamque doſim propinavimus uncias IV. decocti amari (Cod. Pariſ.), nunc acidulati elixirio vitrioli mynſicht, à gutt. X. ad XXX, nunc ſinè acido.

Siccam alvum laxavimus unciis 11. pulpae tamarindorum, manè jejuno ventriculo propinatae, in vehiculo naturae morbi accommodato; & ſervavimus lubricam auctâ doſi mellis, decoctis diaeteticis aut pultibus inmixti.

Secunda indicatio iiſdem quibus prima, ſed parciùs exhibitis, expletur.

Quanquam genuina cancroſae diatheſis remedia indicaſſe, innixi ratione ac experientiâ, conſtanter credamus, praevidemus tamen ac monemus conſignatam medendi rationem non in omni caſu ſucceſſuram fore. Etenim, 1°. ſunt certi limites quos ultra nequit conſiſtere antiſepticorum vis: quandiu ſolidae compages gluten, quo compinguntur, à putrefactione immune ſervârunt, & nativum organismum retinuerunt, de futura reſtitutione in ſtatum ſanum ſperandum eſt; ſi contra, nulla ſpes ſupereſt 2°. non ſecus ac antiſeptica putridos humores ad propriam indolem trahere enituntur, ſic humores putridi ad propriam dyſcraſiam rapiunt medicamenta, eòque certiùs ac faciliùs, quòd antiſeptica ſemper ingerantur parvâ doſi, ſi hanc cùm vaſto fluidorum oceano contuleris. Quàm pretioſum foret medicamentum, quod, putridis, humoribus immixtum, hos ad dulcedinis ſtatum revocare valeret hac inſitâ energiâ, quâ fermentum putridum dulcia animalium fluida ad putridam diatheſim devehit!

q) Apud Macbride, opere citato, pag. 218.

F I N I S.

III.

CORNELII PEREBOOM,

Med. Doct. Acad. Nat. Cur. Sod.

DISSERTATIO

DE PARALYSI IMPRIMIS NERVEA.

Hornae 1773.

DISSERTATIO

MEDICO-PRACTICA,

De PARALYSI Imprimis

NERVEA.

SECTIO PRIMA.

Inter quae humanam produnt ſpeciem, eò caeteroquin antecellit caetera animalia, ut non tantum vivat & vegetet, ſed & voluntarios motus omnigenos ſenſationesque exercere appercipereque valeat, adeò ut homo hâc duplici facultate & ſpeculum univerſi, & hujus dominus factus fuerit! Eum in finem ſenſoriis motoriisque organis inſtructus eſt, quae Syſtema nervoſum componunt & quorum Princeps Cerebrum eſt, ſive portio ejus medullaris intra vertebras usque ad os ſacrum prolongata, prout ſenſorii communis munere fungitur, nec minus actionum quarumcunque animalium praeſidii. Proximum vero utriusque facultatis inſtrumentum musculus eſt nervusque, eorumque ab integritate poteſtates motus ſenſusque ſummopere dependent. Quare haud ſupervacaneum erit, dum in me ſuſcipere animus eſt, difficillimum intricatiſſimumque ſolvere Problema de differentia morbi illius, quem, ut infra ex definitione patefiet, in Paraſin nerveam ac muſcularem diſtinguimus, nec minus de illius curativâ methodo, quantum quidem ars plus gravi malo valet; haud ſupervacuum erit, inquam, ante omnia *Nervorum Fabricam* ex Anatomicis breviter hic repetere.

Dicuntur Nervi funiculi fibroſi, ex cerebro & ſpi-

nali medullâ, tamquam trunci ex radice hâc communi, provenientes, originis ſui adeo ſimiles, ac ſi eſſent ſtriae purè medullares. Quivis faſciculus membranulâ inveſtitur communi, atque ex innumerabilibus minoribus eſt compoſitus, iterum ejusdem generis membranâ involutis, ac eò usque procedit ſubtilitas, ut nè oculus quamvis armatus ſimplicem unquam fibram poſſet aſſequi. Deinde quivis funiculus, faſciculus, fibrillaque fortè, communi ſuo gaudet Involucro, ex telâ celluloſa conflato, in quo vaſa ſanguifera repunt, ramoſaque ſubinde nervum perambulant *a*). (Unicum ſolummodo Nervum Opticum dura, ut barbarè dicitur, mater involvit.)

Teneros hinc eſſe nervos ſatis colligitur; ſucculentos eſſe faſciculos per obſervationes confirmatur *b*).

Finis cujuslibet Nervi non ita facilè dicitur. Senſibus dicati in *Papillas* deſinunt. Verum Papillarum fabrica, minima cum ſit, haud facilè explicatur. Plures fibras unam intrare papillam Cl. KAAUWIUS *c*) detexit, tumque easdem penicillum conſtituere ab involucris denudatum, docuit WINSLOWIUS *d*). Quam ſubtile illud ſit vel ex eo aeſtimatur, quod ſanguifera vaſa, haud minora ſpatia in eâdem papillâ occupent, papilla inſuper ſubſtantiâ ſua gaudeat propriâ.

Conſtituunt Papillae Cutaneae ſedem illius ſenſationis, quae in ſpecie Tactus dicitur. Conſtituit ergo papillarum ſedem *Cutis*; membrana ex filis, laminisque brevibus intricatis, arctè cohaerentibus compacta, vaſis omnium ordinum ſcatens, cujus Nervi longis truncis per celluloſa ſpatia feruntur, & deinde exiguis ramis, quos

a) ALBERT. von HALLER, *Elem. Phyſiol.* T. IV. p. 189.
b) l. c. p. 196.
c) *Persp.* n. 63.
d) *Expoſit. Anatom.* Tom. III. p. 271.

quos aegrè cultellus ſequitur, per cutim in Papillas ſubeunt *e*).

Papillae *Epidermide* teguntur. Interior hujus lamina, mollis, pulpoſa, Papillas ambit, atque foveolis vaginulisque continet *f*).

Finem eorum nervulorum, qui in muſculis diſperguntur, multo minus datur longâ perſequi arte. Depoſito duriori involucro molliores evaneſcunt *g*), & cum vaſis ſanguineis fibram *h*) carneam, celluloſa tela ubique intricatam, intrent, an conſtituant?

An vero fibra nervoſa ramulos quandoque emittat ut reliqua vaſa? Dividuntur faſciculi ad quosvis angulos in minores, colliguntur quandoque duo in unum; molem faſciculi augent; uniuntur & intumeſcunt in Ganglion, deinde ex Gangliis fere ſemper numeroſiores prodeunt quam intraverant, ut cum WINSLOWIO *i*) haec Ganglia putares eſſe parva cerebra. Noſtrum vero non eſt, graviſſimorum virorum opiniones alto dijudicare ſupercilio. Neque aliquid de *ſpiritibus ſic dictis animalibus* pro certò ponere tutum videtur, quandiu haec hypotheſis tot gravibus premitur dubiis *k*).

Sufficit notaſſe, Nervos nonnullos nihil ad animalem motum contribuere, licet ex communi etiam faſciculo provenientes; Nervos hinc dari ſolius ſenſationis officio fungentes. Ita Nervus opticus non unicus eſt, qui ad muſculos nullum emittit ramum, quin & expanſio

e) HALLER l. c. L. XII. p. 3. A. VATER, *de Conſenſ. part.* Theſſ. XII.

f) B. S. ALBINUS, *Anat Acad.* L. I. Cap. III. p. 22.

g) HALLER, *Prim. Lin. Phyſiol.* p. 250. ALBINUS *Hiſtor. Muſcul.* p. 12.

h) HALLER *El. Phyſiol.* Tom. IV. p. 418.

i) *Exp. Ant.* T. III. p. 281. *& ſeqq.*

k) Confer inter plurimos Cl. G. BATTIE *de Principiis Animal.* Exerc. IV. V. VI. Philoſophical Transactions Vol. LIV. p. 177.

ſio Nervi olfactorii, molliſque acuſtici; omneis tandem eorum ſurculi, qui directe ad Papillas adeunt, ſenſationi ſoli dicati ſunt.

Alii verò Nervi exeunt in organa motus: an vero hi ſunt inſenſiles? Nequaquam dixero. Docet tantum experientia, eos in ſtatu ſano & naturali haud affici. Nec cordis etenim contractionem, neque pulmonum expanſionem, neque ſanguinis circulationem, neque motum periſtalticum hisce Nervis ſentire licet, quamdiu tuti & quieti locis ſuis haereant: eroſis verò, denudatis, vel alio modo irritatis, tum demum res aliter ſeſe habet.

Fatendum interim, pleroſque horum parum omninò ſentire. Nec enim dolor, inquit BOERHAVIUS *l*), fit in nervis hepaticis vel cardiacis; nam obſervatum eſt a Medicis, quod cor in febribus ſummis inflammetur, & quod in peripneumonia validâ in latus decumbat, & quod aeger moriatur, & tamen inde nullus fit dolor; ſentitur quidem anxietas, fidelis ille periculi nuncius, ſed non dolor. Quando pulmo exeditur vel hepar, vel ren conſumitur, nullus etiam dolor. Vidit Ill. HALLERUS *m*), & aliorum obſervationibus confirmat, pulmonem renemque maximis ulceribus exedi, neque de ullo dolore aegrum conqueri. Concludit adeò, has partes parum ſentire. Verum an parum an multum ſentiant, illud puto de his omnibus partibus poſſe affirmari, eos in ſtatu naturali nihil de variis actionibus C. H. ſentire, quae caeteroquin ſenſuum externorum ſunt objecta. Sic v. g. Nervus intercoſtalis adſcendens defertur in contiguitatem Carotidis, neque tamen ejus nervi munera ab aſſiduâ pulſatione turbantur *n*). Ita motus cordis & reliquorum viſcerum ab ipſis viſceribus non

l) *De Morb. Nerv.* p. 496.

m) *Elem. Phyſiol.* L. X. p. 291.

n) J. B. MORGAGNI. *Adverſ. Anatom.* VI. p. 30.

non percipitur. Atque idem de muſculis voluntariis verum eſt, ut motus muſculi in muſculo ipſo nullum excitet ſenſum. Quare maximi conatus placide peragi poſſunt, & convulſiones hominem quandoque inſcium corripiunt. Extendatur brachium, moveantur digiti, haud ſenties in brachio vires, quas exſerunt muſculi brachium tuum extendentes; multò minus actionem eorum, qui digitos movent; ſenties in digito ipſo: eſt tamen illorum inſertio in radio & ulnâ.

Deinde experimento evincitur, muſculos cute tectos, a cauſa externâ haud facilè multum affici. Circumdetur brachio vel femori ligatura lata, firmiter conſtringatur, nullae moleſtiae ſentiuntur in parte ligaturae proximâ, verum ſupra vel infra ligaturam conſtrictio maximam vim exſerit, accumulando cruorem in vaſis & ſimilibus accidentibus. Suſtinere valent pectus & abdomen & manus & genua & femora ingentia pondera, prementia ſine ullis incommodis *o*).

Ego ſalvis aliorum opinionibus inquit Cel. HEISTERUS infra citandus, ſic ſentio: obſervantur nervi in extremitatibus & praecipuè in brachiis, qui fere ſoli & toti in cute tanquam tactus organo terminantur, nullum vel paucum ſaltem commercium cum muſculis habentes. E contrariò alii ſunt nervi, qui integri in muſculo impenduntur, ſic ut ab his obſtructis, vel quocunque modo in officio impeditis *Immobilitatis*, ab illis vero *Inſenſibilitatis* cauſae commodè deduci poſſe videantur. Atque hic morbus caput rei eſt, quae tractatu venit.

PARALYSIS eſt ſtatus cujuscunque partis machinae humanae morboſus, in quo organicè Senſilitas vel Mobilitas deficit. — Organicum dico, quoniam mechanicus defectus a noſtro morbo diſtinguendus. Ita immobilitas membrorum ab ancyloſi non eſt paralytica. Dubito

o) J. T. DESAGULIERS, *Naturkunde* I. D. p. 281.

bito vero an ſatis diſtincta ſit definitio, ſi dicatur *laxitatem partium* eſſe ſignum diagnoſticum *p*): quoniam paralyſis morbus eſt quandoque, cujus cauſa proxima eſt Scirrhus muſculorum ſive Sarcoma, niſi quis mallet hic crambum de differentia inter morbum & ſymptoma recoquere & ad nauſeam usque obtrudere. Verum verba valent ut nummi, hinc Paralyſin ſubdivido in Nerveam, Muſcularem, & Nerveo-muſcularem. Eſt autem *Nervea*, quando Senſus ſtupefacti ſunt ſuperſtite motu: -- *Muſcularis*, ubi Immobilitas ſuperſtite ſenſu: — *Nerveo-muſcularis* tandem, quoties ſenſus ſimul & motus depravati; talis eſt ſtatus, ſi ex binis prioribus ſpeciebus compoſitus. Ab hâc poſteriori ſpecie inchoëmus, quoniam generalem morbi Ideam offert.

Senſu & motu depravantur membra; ubi vita communicatio eorum cum medullâ mediantibus nervis fuerit intercepta. Toties hinc Paralyſin obſervaverunt Auctores *a variâ laeſione cerebri & medullae ſpinalis, ejus compreſſione*; tumoribus; fracturis & luxationibus thecae: humoribus in ipſâ extravaſatis, eorumque ſtagnationibus in vaſis; ſe & excretionihus impeditis, plethorâ, inflammatione, ſuppuratione; ſpasmo; nativitate & ſexcentis ſimilibus cauſis, quarum ingens Catalogus exſtat apud HALLERUM *q*), MORGAGNUM *r*), & pleroſque Practicos, ut earum enumeratio ſpecialis facile praetermittatur. Pertinet huc Paraplegia, ſive Paralyſis Univerſalis totius corporis infra caput, cujus exempla nullum dubium relinquentia *s*), exſtant. — Hemiplegia

p) J. LAZERME, *de Morb. Capit.* p. 371.
q) *Elem. Phyſiol.* Tom. IV. p. 300 — 331.
r) *De Sedib. & Cauſ. Morb.* Ep. L. n. 11. p. 232.
s) Dubitat F. HOFMANNUS, *Med. Rad. Syſt.* T. IV. c. I. p. 195. ſed vide inter caeteros G. W. WEDEL, *Eph. Nat. Cur.* D. I. Ann. II. Obſ. 334. MORGAGN. Ep. LIII. n. 23. p. 271.

gia ſeu reſolutio lateris ſiniſtri ab affectâ parte cerebri dextrâ *t*). Paralyſis artuum inferiorum a fracturâ vertebrae lumborum & rheumatismo *v*). Nec minus ab iisdem cauſis in cervice, Paralyſis brachiorum *w*); particularis tandem, ſive unius ſuperiorum inferiorumve artuum, vel ſimplicis alicujus membri, iterum a quâcunque nervorum compreſſione: & ſponte liquet, eundem ſecuturum effectum, ubi ſtamina nervorum, vel ipſi nervi, fuerint exeſa, corroſa, diſciſſa, vel alio modo deſtructa. De Paralyſi viſcerum hic non erit Sermo.

Differt haec Paralyſeos nerveo-muſcularis ſpecies, ab eâdem muſculari praecipuè in eo, quod ubi iſtorum tantummodo nervorum ramuli, qui in muſculo quodam exeunt, ab iisdem enarratis cauſis laeduntur, muſculi quidem impotentia ſequatur; proinde vero haud ſemper illius membri, cujus pars muſculus eſt, Inſenſilitas, quia reliqui nervi poſſunt perſiſtere incolumes: Diſtinxêre porro Practici Paralyſin in perfectam, quando communicatio dicta membri cum ſenſorio communi plenariè eſt intercepta; ubi verò, aliqua adhuc, utut exigua, remanet, relinquitur, imminuta licet, ſenſatio; motus tamen impotentia ſiſtitur; Paralyſis eſt imperfecta.

Differunt ambo ſpecies a Paralyſi nerveâ, eò quod in hâc commercium inter ſenſorium commune & *papillas ſolummodo cutaneas* ex iisdem cauſis tollatur. Ergo quando ii nervi, quorum fines ſunt penicilla papillarum, *compreſſione* afficiuntur, ſtupiditas & torpor ſequitur, ſive vitium haereat in ipſis papillis, ſive altius ſit inda-

t) Confer. MORGAGNI *de ſed. & Cauſ. Morb.* Ep. XI. p. 73. & ſeqq. inſtar omnium.

v) *Eph. Nat. Cur.* Cent. X. Obſ. VIII. *Act.* Vol. II. Obſ. 102.

w) FORIST. L. X. Obſ. 95. Plura vulgarium horum exemplorum citare ex compoſito negligo; omnia adducere vetat ratio, & tempus & ſpatium.

indagandum. Cutis calloſitas inter hujus Paralyſeos cauſas eſt. Frigus cutim conſtringens ſenſum digitorum delet *x*). A cicatricibus faeda cutis eſt & inſenſilis *xx*), & nervorum ultimi ad pulpam digitorum poſſunt calleſcere, dum truncus nerveus ſuâ integritate gaudet, quâ motum exercet *y*). Huc pertinet Paralyſis nervea ab Elephantiaſi *z*). In ſphacelo motum ſupereſſe in parte mortuâ, obſervavit BOERHAVIUS *a*). Producitur tandem hic morbus a quâcunque materia viſcidâ, ſtagnante in vaſis cutaneis, atque ad modum ejus nervos papillasque obſidente *b*).

Stupor Paralytica femoris ex Plethorâ, eſt vitium gravidis familiare.

Praeprimis obſervatum eſt, nervos cutaneos, eorumque papillas, deſtrui poſſe *acrimoniâ*. Quare haud ſicco pede transgredi hic licet acritatem ſcabioſam, ſcorbuticam, rheumaticam, arthriticam, veneream, hunc morbum generantem. Ante omnia nobis examinandus venit notabilis ille caſus, cujus hiſtoria exſtat in *monumentis Academicis Galliae c*) 1°. *Miles corripitur febre intermittente rebelli, catarrho inveterato prius enervatus.* 2°. *Suc-*

x) HALLER, El. Phyſ. T. IV. p. 391.

xx) G. V. SWIETEN, *Comm. ad Aph. Boerh.* T. iij. §. 1151. p. 610.

y) HALLER, l. c.

z) Y. VAN DYEMERBROEK, Op. Omn. Med. p. 502.

a) *Pract. Med.* Tom. II. p. 148.

b) Hinc cutis valde aſpera paralyticorum obſervatur, *Hiſt. de l' Acad.* Roy. Des Scienc. 1749. p. 36. hinc & paralyticorum ſudores & exanthemata derivat F. HOFMANNUS, Op. T. III. p. 206. In Leprâ tactûs per totum corpus, ubi nempe cruſtis obductus fuit, ita abolitus, ut ſubinde ne Puncturae quidem acûs perſentirentur, notante SCHMIEDEL, in HALLERI *Diſſ. Practicis* Tom. VI. p. 75.

c) 1743. p. 93.

2°. *Succedebat dolor acris brachii ſiniſtri juncturam per tria nychthemera crucians, deinde ceſſans quidem, ſed poſt quinque dies iterum exacerbans & per quinque dies, alio iam loco occupato, humerum & ſcapulam exulcerans.* Cauſam vero hujus doloris nullam aliam fuiſſe ac quidem materiem acrem vagam erodentem, vel ex eò concludo, quod materia non unum locum occupaverit, ſed totum brachium invaſerit, & praecipuè in brachii juncturis & ad ſcapulam ſtragem ediderit.

Deinde praxis quotidiana docet, poſt febres intermittentes, imprimis ſi diuturnae & validae fuerint, & prae caeteris in hominibus vilioris ſortis, militibus, nautis, pauperibus *d*), humores craſſos & *acres* reddi *e*). Quidni ubi aeger ad quamcunque acrimoniam ſuſcipiendam catarrho inveterato jam fuerit praedispoſitus? Nulla quoque C. H. pars magis videtur diſpoſita ad acre illud ſuſcipiendum quam quidem cutis, poſtquam febris generavit facillimam in ſudorem proclivitatem, adeoque particulae acres ad peripheriam corporis derivantur. Hanc oc cauſam exanthemata febrilia non tantum in acutis, ſed & in febribus intermittentibus haud raro obſervantur, imprimis in ſcorbuticâ & ſcabioſâ *f*). quemadmodum in praeſenti caſu.

3°. Aeger *corripiebatur phlyctaenis totam manum obſidentibus, ichoroſis.* Materies acris ſc. vi ſua cauſticâ & mordaci tenerrima papillarum penicilla arripuit & deſtruxit, unde 4°. *Senſim ſenſimque omnem ſenſum in brachio perdidit.* Neque haec unica hujus Paralyſeos fuit ratio, quoniam ex eò quod ſenſim ſenſimque inducta fuerit, colligere adhuc poſſumus, humores viſcidos, & ſtagnantes accumulatos fuiſſe in debilitata & occaleſcente

d) VAN SWIETEN, *Comm. ad Aph. Boerh.* §. 753.

e) l. c. n. §. 1150. T. III. p. 599. Confer SENNERT, Op. p. m. 656.

f) SYDENHAM, Op. p. 631.

te cute, hinc rigidâ *g*) factâ; unde papillae, ſi non deſtructae, ſaltem mole materiae glutinoſae oppreſſae, ineptae redditae fuère ad ſenſationem.

Fuiſſe vero hanc acrimoniam *Scorbuticam* ratio ſuadet, quoniam febris intermittens praegreſſa, Cortice veroſimiliter profligata Peruviano; Scabies concomitans, eaque humida; ipſa paralyſis ſubſecuta *h*), Conjecturam extra aleam ponunt. Majoris adumbrationis gratia ſententiam noſtram alio caſu illuſtrabimus *i*) prioris ut ovum ovi ſimili.

Femina, quae victu ſcorbutum faventi delectabatur, & vitam agebat ſedentariam, Scorbuto gravi laborabat. Inter caetera ſymptomata, Languor ipſum corpus maximeque pedes tenebat, cui acceſſit illorum tumor cum dolore intolerabili. Uſu antiſcorbuticorum melius ſeſe habuit, ut ſurgere de lectopotuerit. Remanſit tantum inſignis *Stupor* manus & pedes affligens, qui tamen elapſo quodam tempore etiam exſpiravit. Anno ſubſequenti erumpebant *Phlyctaenae*, quae ſucceſſivè coeuntes increſcebant, cum ulcerationibus & foedâ putredine. Morbus antiſcorbuticis utcunque debellatus eſt.

Graphicè paſſim hujus paralyſeos Scorbuticae nerveae memorat ETTMULLERUS *k*). Scorbutici, inquit, in Paralyſin incurrunt, quae *ſenſim* inchoat & procedit, & primò ſaltem vagus ſtupor aut *inſenſilitas* cum formicationis ſenſu partem prehendit, unde labefactari tonus membri illudque magis magisque paralyticum fieri incipit. Eſt autem morbus vagus vel minus conſtans, niſi nimis inveteratus fuerit, ità ut aeger uno die melius, altero pejus ſeſe habeat; hinc nunc unus altervè digitus

g) A. v. HALLER, T. IV. p. 299. in Notis *Elem. Phyſ.*
h) Confer. VAN SWIETEN *Comm.* ad §. 1151. p. 600 — 616.
i) F. HOFMANN. *Diſſ. Op.* Suppl. ij. T. I. p. 459.
k) *Op.* Tom. iij. p. 346.

digitus ſtupet, qui brevi melius ſentit. Notat deinde Vir Cl. cum doloris, tum iterum ſtuporis, alternationes, pro variâ viſciditate vel acrimoniâ humorum ad cutim congeſtorum *l*). *Stupor*, teſtatur Allen *m*), eſt affectus, in quo deficiente in partibus ſenſu, ſupereſt motus: plerumque eſt aliqualis Paralyſis Scorbutica inchoata, ſaltem iſtius morbi plerumque eſt prodromus.

Nauta totus Scorbuticus ex Indiâ Orientali advenerat, membra ſatis movebat, ſed tanta ejus erat cutis inſenſilitas, ut ab impoſitis candentibus prunis corrugeretur, ſine ullâ triſti ſenſatione *n*).

Sectiones tandem Cadaverum docuerunt, ſummum Scorbuti gradum hunc morbum concomitari *o*).

Plures tum Citatis ex Autoribus, tum ex propriâ praxi, adferre poſſem ſimiles caſus, inſenſilitatis imprimis digitorum, cujus cauſa manifeſta eſt Scorbutus, morbus inter noſtrates endemius. Sed in genere originem hujus morbi ex impuris humoribus haud infrequentem animadvertit Fernelius *p*); Paralyſis imperfecta, inquit, ſenſum perimit conſtante motu: vidi aliquando univerſam cutim Stupore affici illaeſo motu ex *crapula & vinolentia*.

Eſt vero ſedes morbi hujus in vaſis ſanguiferis nervulos tactui deſtinatos ambientibus, deinde in ipſa tela celluloſa eosdem inveſtiente, quando humores acres hic effuſi coacervantur. Proxime itaque devolvimur ad *Metaſtaſin*, paralyſeos nerveae illam foecundam productricem, quaeque nobis argumenta ſuppeditat ſolida, qui fieri poſſit, cur artuum pereat ſenſus ac motus, ubi ſcaturigo mali latet in pectore vel abdomine. Ita plu-

res

l) L. c. p. 238.
m) p. 137. Synopſis.
n) Diemerbroek *op.* p. 502.
o) *Mem. de l'Ac. Roy. des Scienc. l'An.* 1699. p. 239.
p) *Pathol.* L. v. c. 3. p. 414.

res adfert Paralyſeos obſervationes peripneumoniam ſecutae & ſuppuratos pulmones Clariſſimus ANTONIUS DE HAEN *q*), necnon ex Colicâ pictonum generatae, qui morbus imprimis frequens eſt metallurgis ſaturninas mineras tractantibus & deauratoribus: Modum vero quo ab hac cauſâ Paralyſis oriatur, quidem ita explicat Vir Doctiſſimus, dum in thorace aut abdomine eroſione, adſtrictione, compreſſione, & vellicatione, nervus hic ad ſuas officitur origines; ad ganglia ſcilicet. Verum ſtante Cl. Viri ſententiâ, nervi & obnoxii ſunt omnibus iis vitiis, quorum ſedes eſt in tela celluloſâ, quare materiam purulentam, tum & κολικόγεναν huc transferri poſſe, eodem modo ut in alias partes fit, nulla obſtat ratio: ubi ergo nervi cutanei hac materia infarciuntur, oritur Paralyſis nervea.

Pulcrum, ni fallor, hujus exemplum ſuppeditat Cl. ALLEN *r*): novi, inquit, quendam fere ſexagenarium, qui colica nervoſa diuturna laboraſſet, nimirum triginta plus minus annos per menſes aliquot illum quotannis affligente, in Paralyſin tandem incidentem, ſilente fere colicâ, aut ſaltem leviter dolente, nempe in ſtuporem, torporem & obdormitionem brachiorum & crurum, praecipueque manuum & tarſorum & musculorum ocularium.

Eundem morbum a materia podagricâ vel rheumaticâ productum, ipſe obſervavi & curavi, ut in ſequentibus narrabo.

Notum porro pinguedinem ſanam, in celluloſa telâ collectam, ſenſus quoque acumen fringere, oneratis a nimia mole nervis. Ita a paralytico haud longe diſtitiſſe puto DIONYSIUM HERACLEOTAM *s*). Ita & adeps intra fibras muſculares congeſtus, easdem a ſe

q) *Rat. Med.* V. I. p. 187.
r) L. c.
s) AELIANUS *Var. Hiſt.* L. IX. C. xiij. p. 594.

a ſe invicem ſeparat, ut penè evaneſcant, quare ad ſtatum paralyticum valde accedunt, qui nimiâ obeſitate laborant *t*). Quod autem, inquit Cel. MORGAGNUS *v*), BOERHAVIO placuit, Paralyſes membrorum nonnunquam ſedem habere in telâ celluloſa, haec quoque explicatio ſuâ laude digna eſt. — Dubitandum non videtur, quin celluloſae illae telae, quibus nervorum vaſa cinguntur, in exemplis quae in Sepulcreto *w*) adferuntur, ipſae etiam aquâ diſtentae fuerint.

Dixi de Paralyſi ex oppletione variâ. Jam vere an oppoſitam cauſam, *Inanitionem*; idem morbus inſequi valeat, disquirere proximum eſt. Et quidem primo, paralyſis generatur ab influxu cruoris arterioſi in muſculum impedito. Conſtat ſcilicet, vaſa ſanguifera, pariter ac nerveas ipſas fibrillas, per muſculum quemque diſtribui. Ligatâ arteriâ popliteâ perit motus cruris *x*): ligatâ radiali inſenſiles redduntur digiti *y*): nempe & ſtupor & paralyſis muſcularis, ab eadem hac cauſâ, producuntur.

Atque idem de Venis verum eſſe affirmat Cl. BATTIE *z*). *Requiritur ad ſenſum aeque ac ad motum circulatio libera, & ſanguinis expeditum ad omnes partes iter. Eo intercepto vitae cauſa praecipua ablata eſt, atque adeo omnia ea deſpereunt, quae a vita ſequuntur, motus, ſenſus, calor.* Notavimus in aggreſſione hujus opuſculi, faſci-

t) HALLER, El. Phyſ. Tom. I. p. 51.

v) *De Sed. & cauſ. morb.* Ep. XI. n. 20. p. 75. confer. H. BOERHAVE *Praelect.* HALLERI Tom. ij. p. 592.

w) BONET. Sepulcr. L. I. Sect. 15. app. ad obſ. 5.

x) G. BATTIE, *Princ.* p. 55. Eph. Nat. Cur. Dec. ij. Ann. ij. Obſ. 148. p. 79.

y) HEUERMANN, *Op.* T. iij. p. 201. citante HALLER. *El. Phyſ.* T. IV. p. 546. ubi variis experimentis idem confirmatur.

z) p. 58.

faſciculos nerveos eſſe in ſtatu ſano ſucculentos, ut omnino debita fibrillarum laxitas atque flexilitas requiratur ad functiones ſuas rite perficiendas. Succus ille Nerveus ſine dubio ſecernitur, colligitur & retinetur in involucro celluloſo, verum ex quo fonte? niſi vaſa arterioſa eum, ut ubique *a*), hic exhalarent: aliter cui uſui tot arteriae venaeque inter quamlibet fibrillam nerveam ſerperent, vix comprehendo. Vaſis jam his obſtructis, exſiccatio & areſcentia nervorum ſequitur, & tale exemplum videtur proferre Ill. MORGAGNUS *b*). Ita ſenſus acies in ſenibus emarcidis perit.

Aliam cauſarum Claſſem conſtituit nervorum *Conſenſus*, quem etiam admittit in nervis vicinis HALLERUS *c*). Huc pertinet paralyſis à vermibus *d*) & a terrore *e*). Vulgare quidem eſt, ab hac cauſa ad motum reddi impotentes aegros *f*); egregium verò & Paralyſeos nerveae caſum poſteritati tradidit FRIDERICUS HOFMANNUS *g*): occaſio morbi fuit terror eo momento percitus, quo corpus largo diffluebat ſudore, unde aeger non tantum non valebat incedere, ſed quod rarum eſt, regio inferior, ab umbilico ad extremum usque pedem, omni privatus erat ſenſu.

Nuper ipſe ad teneram virginem accerſitus, quae ab ingenti terrore ſubitò correpta erat utriusque brachii Paralyſi, quam ſalutavi Hyſtericam; feliciter & ipſo momen-

a) HALLER *El. Phyſiol.* Tom. I. p. 35.

b) *Ep. de Sed* XIII. n. 9 p. 88. & n. 11. ſic caecitas a Retina tota oſſea, *Ep.* LII. n. 31. p. 265. Paralyſis a Medullae ſpinalis exareſcentia *Act. Eph. Nat. Cur.* Vol. II. pag. 234.

c) *Elem. Phyſiol.* Tom. IV. pag. 321.

d) *Eph. N. C. Dec.* II. Ann. 5. app. pag. 15.

e) *Eph. N. C. Dec.* I. Ann. 4 & 5. pag. 24.

f) Paralyſis a terrore fulmine ſanata, DIEMERBROEK Obſ. X. pag. 9.

g) *Med. Rat. Syſt.* Ob. T. III. p. 202. confer. MORGAGNI *de ſed. & cur. morb.* Ep. XI. n. 18. pag. 75.

momento, Deo propitio, hanc impotentiam occucurri V. Sectione & antiſpasmodicis, liberando nervos a ſanguinis obſidione & vaſorum conſtrictorum onere.

Ruricola quaedam ex paſſione hyſterica Stupore brachii afficiebatur *frequenter*, qui hauſtis hyſterico-anodynis mox ceſſare ſolebat: caſus certè rariſſimus *gg*).

Novam adhuc, ut videtur, hujus morbi Ideam formare licet ex ſequenti caſu; Georgius Sperling ex eſu flatulentorum in colicam incidit paſſionem, quem accedens Medicus in induſio ſtantem, & fornaci aqualiculum applicantem invenit aeger invertenti corpore induſium circa ventris regionem totum combuſtum, ut flamma etiam hinc inde ſerperit, animadvertit: colica paſſio ſopiebatur; ſed abdomen totum combuſtum erat, veſiculis refertiſſimum, quae ſuppuratae, ulcera praebebant dolorifica. Patet hinc, inquit obſervator SCHMIDIUS *h*), quod uti lumen majus minus obfuſcat, ita & dolorem minorem prae majori non percipi. In tali caſu ſenſatio nimia, ſenſationem non ſatis vividam, id eſt certo gradu Paralyſin nerveam, generavit *i*).

Ita hominem novi plus ſimplici vice virginis caeſum; retulit mihi, tandem ſe parum inde affici; ſcilicet ſtatus Paralyticus ipſius papillas cutaneas jam occupaverat.

Unica adhuc reſtat Paralyſeos cauſa, quae vero ſenſum relinquit integrum, *flaccida* ſcilicet *muſculorum inertia*, quam ex ſcorbuto, abuſu aquae calidae, humiditate frigida, nimia diuturna quiete, nar-

R 2

gg) M. B. VALENTINI *Eph. N. C. Dec.* II. Obſ. 170. p. 383. Aliud exemplum Metaſtaſeos. *Dec.* II. *Ann.* 3. *Obſ.* 175. p. 342.

h) *Eph.* C. N. *Dec.* I. Ann. 9. p. 135.

i) BATTIE *Princ.* p. 236.

narcoticis, & ſimilibus fontibus *k*), pulcrè derivavit BOERHAVIUS *l*).

Ex allatis abunde jam patet, ſummam eſſe affinitatem inter utrasque Paralyſeos ſpecies, nerveam & muscularem, ut facile explicetur, cur omne membrum ſenſu ſimul ac motu privetur, ſimulac omnis influxus nerveus cruorisve fuerit cohibitus, cur integro ſenſu ſequetur impotentia motus, quando muſculi, vel nervi ad muſculos adeuntes, fuerint affecti? cur è contra ſenſus ſtupefactus erit, quoties vitium haereat in nervis cutaneis, papillis & cute, intactis muſculis? Quare & una ſpecies facilè in alteram degenerabit, & medullâ oblongatâ compreſſâ in vivo animali, paralyſis imperfecta, eaque fortius eliſâ, ſtupor fit *m*).

Utraque ſpecies diſtinctè nonnunquam in uno ſubjecto. Ita cataractae operationem perfecit Cel. HEISTERUS *n*) in Viro, cujus dextrum brachium vim movendi fere nullam habebat, ſed tanquam inutile pondus de trunco dependebat, attamen accuratiſſime ſentiebat. Contra in ſiniſtro brachio & pede facultas movendi integra erat atque illaeſa, ſed quod mirum, omnis ſenſus deficiebat. Ita ut qualitates tactui ſubjectas diſtinguere nullo modo poſſet, imo ſive membra haec lateris ſiniſtri aquae calidae ſive frigidae immergerentur, nullam

k) Nihilominus ex eodem fonte ſenſum laedi poſſe ex praecedentibus patet; ita obſervavit Cl. CUMMIUS *in Eph. N. C.* Dec. I. Ann. I. Obſ. 84. p. 177. duos, qui diutius puteum exhauſturi, in frigido mortui erant, inferiorum partium correptos fuiſſe paralyſi. Ab humiditate frigidâ idem morbus, GALENUS *de Loc. affect.* L. IV. c. 7. a narcoticis L. B. TRALLES *de Opio*, Tom. I. pag. 101.

l) *Aph. de cogn. & cur morb.* §. 1060. G. VAN SWIET. *Comm. ad hunc* §. & T. 3. p. 350.

m) LORRY, citante HALLERO *El. Phyſiol.* T. III. p. 367 — 368.

n) *Eph. N. C.* Cent. I. & II. Obſ. 196. p. 430.

lam perceperit differentiam: neque ignis dolores, neque ſaeviſſimae hyemis experiretur moleſtias. Praeterea ſecari potuit, punctuſraſque acicularum impune ferebat, ſine ſenſu doloris: quod magis eſt, ſpinam circa unguen pollicis manus ſine dolore ſuscepit. Simile exemplum citat SENACUS o).

In genere negat DIEMERBROEKIUS p), muſculos cuti paralyticae ſubjectos, eſſe inſenſiles. Non ſemel obſervavimus, inquit, ut pruna ardens ſine dolore cuti admoveri poſſet; ſed interim in talibus aegris acu perforatâ cute, ſenſum ſatis acutum & acrem perceptum fuiſſe in ſubſtratis muſculis ſe moventibus; qui certè non debuiſſent ſentire, ſi vera foret hypotheſis, perire nonnunquam in eodem toto membro ſenſum manente motu: atque ſuam hypotheſin experientia variâ confirmare conatur Vir Clariſſimus. Tamen obſervari licet, hanc propoſitionem notabili exceptioni eſſe obnoxiam; praeterquam enim quod ex allatis experientiae experientiam opponere valeam, poſſunt omnes nervi digitorum a quavis cauſa eſſe compreſſi vel deſtructi, hinc omnis ſenſatio in his membris, nec tantum in cute, ſed & in ſubjectis partibus, erit ſublata, quamvis digiti reſtent mobiles. Illud ſcilicet obſervavit Cl. LAZERME q) in homine, qui ſenſum amiſerat in parte carpi, qua digitos annularem & auricularem manus ſiniſtrae ſuſtinet, quaeque puncta vel acu perforata ſenſus nullum indicium dabat, tametſi uterque digitus expeditè moveretur; imo, pergit idem, digiti omnes ſenſum amittere poſſunt, remanente eorum motu, quia ſenſus in cute caeteriſque partibus oſſa digitorum tegentibus

 fit:

o) *De la ſtructure du coeur* T. II. p. 29.
p) *Op.* pag. 502.
q) *De morb. capit.* p. 364, 365. in maniacis mira quandoque apparet inſenſilitas: conf. T. BONET, *Polyalth* T. 1. pag. 747.

N-

ſit: motus vero ipſorum muſculis pluribus circa ulnam & radium poſitis exercetur, ac propterea cum ſenſus & motus digitorum in diverſis partibus ſint, quae nervos diſtinctos habent, pars unâ igitur paralyſi laborare poteſt, alterâ intacta & ſanâ exiſtente. Atque ex his principiis explicanda mihi videtur paralyſis illa digitorum nervea Celeberrimi GARCINI r); caſus eruditis notiſſimus.

Recentiorum experimenta ignoravit optimus DIEMERBROEKIUS, Scilicet Tendines Perioſteumque nullo gaudent ſenſu s); digitorum muſculi verò, extenſor, ſublimis, profundus, lumbricales, interoſſei ferè omnes, parte ſuâ tendineâ ſolummodò - digitorum oſſa inveſtiunt t); poſſunt ergo omnes partes nervoſae digitorum ineptae reddi ad ſenſationem, illaeſâ vi motrice, quae in muſculis altius ſitis reſidet. Ejusdem argumenti de pedis digitis applicationem, fabrica plantae pedis ſatis Anatomicum docebit v), quare & Illuſtriſſimi Viri w) podagrae & chiragrae ſedem perperam in articulorum vinculis & tendinibus inſenſilibus, rectius è contra in ipſâ cute nervisque ſub cute poſitis, collocandam eſſe demonſtraverunt.

Rariſſima inter, quae Venerabilis Senex MORGAGNUS x) refert, vidit inter fibras Nervi Cruralis tantum pinguedinis interjectum, ut hujus plus quam fibrarum continere videretur. Sanus tamen artus erat. Vidit y) Arteriam Subclaviam dextram in Aneurisma expanſam,

r) *Hiſt. de l'Acad. Roy des Scienc.* l'an. 1743. p. 95, 96.

s) A. v. HALLER, *El. Phyſ.* T. IV. p. 273 — 286.

t) B. S. ALBINUS, *Hiſt. Muſcul.* Cap. 154, 167, 168, 171, 180, 181.

v) Confer. D. C. DE COURCELLES, *Icones Muſculorum plantae pedis.*

w) Confer, L. B. TRALLES *de Opio* V. II. p. 322.

x) *De ſed. Ep.* LXIX. n. 2. p 383. Ep. XII. n. 14. p. 82.

y) *Adv. Anat.* VI. p. m. 30. *de ſed. & cauſ. morb.* Ep. XXVI. pag. 240.

panſam, duos tresve nervos ex iis, qui ab inferioribus cervicis vertebris ad brachium deſcendunt, comprimentem, ſine ullà debilitate & torpore in brachio animadverſa. Phaenomenon conſuetudini attribuit.

Nonne ſimilibus in caſibus nervi peripheria juſto durior exiſtit, quâ fibrillae ad axin decurrentes a compreſſione liberae manent? Ita Cerebrum durum in quibusdam morbis frequenter repertum eſt *z*). Sed & nervi quandoque tunicis ſolitò craſſioribus inveſtiti ſunt *a*). Anicula e. c. decrepita ex brachii absceſſu mortua eſt. Optici nervi intra orbitas progreſſi, & ſi colore erant albo, craſſitudine autem quaſi mediocri, inciſi tamen oſtenderunt MORGAGNO *b*), albedinem illam, nec parvam craſſitudinis partem, meningibus debere ſuis, craſſioribus factis, intra quas, tanquam intra tubum quendam firmiusculum, ſubſtantia concludebatur. Hanc vetulam caecam fuiſſe negabant.

Certè pauciſſimae fibrillae ſanae quibusdum in caſibus videntur ſufficere ad ſenſum motumque. Viderunt fide digniſſimi Viri *c*) cerebrum, ſi non in totum deficiens, conſumtum, & in gelatinam aquamve converſum, ut ipſe STENO *d*) non parum temporis conſumeret, quaerendo cerebrum in cerebro, jamque hiſtoriis, anteà ſibi non creditis, adhibere inciperet fidem, homines nempe ſine cerebro fuiſſe repertos. Quì aliter canes, nervis colli inciſis, vocem amiſſam recuperarent *e*), niſi exiguorum nervulorum acceſſione?

 Ergo,

z) Ep. I. n. 10. V. n. 6. VIII. n. 4—15. IX. n. 9. X. n. 17. XXIV. n. 6. LXI. n. 2—7. LXII. n. 15.

a) Ep. XIII. 8. 15. LII. 30.

b) Ep. LVI. n. 21.

c) MORGAGNI, TULPIUS, KERKRINGIUS, BIGATTI.

d) *Act. Hafn.* Vol. I. Obſ. 131.

e) MORGAGN. *Ep.* Lij. n. 26. xxvj. 23. confer. & HUN-

Ergo, ut ſingula contraham, ſigna diagnoſtica, differentiam ſpecierum paralyſeos indicantia, ex praegreſſis & praeſentibus petenda ſunt. Tumores omnis generis externos, Callum cuticuli, elephantiaſin, vulnera, ſphacelum, αὐτοψία diſcernit: Scorbuti, Arthritidis, Podagrae, Venereae Luis, τεκμήρια, ſunt viſcoſitatis & Acrimoniae humorum προηγνεστικά; plerumque ab his cauſis morbus ſenſim ſenſimque invadit. Colica Pictonum & alii morbi praegreſſi, deinde ſubitus παραλύσεως ortus, nec non cutis quandoque tumida, ſedem in tela celluloſâ indicant. Aetas ſenilis, marcor, membrorum contractura, morbi acuti, phthiſisque, exhauſtum aegrum, adeoque ex inanitione paralyſi laborantem innuunt. Paſſio hyſterica, vermes, terror tandem, Conſenſum arguunt.

Stupor in corpore ſano eſt prodromus paralyſeos, in paralytico ſanitatis *f*).

SECTIO ALTERA.

Curatio Paralyſeos Nerveae.

Duplici quidem ratione morborum Curationes experientiâ ſtabiliuntur. Propria primo peritia fronte hilari eos ſuppeditat caſus, quos in Praxi nobis ipſis obſervaſſe contigit; altera vero eruditiorum, offert methodum utendi fructibus aliorum, ex ſedulâ & indefeſſâ lectione carptis. Ambas certe conjungere praeſtat. Id unice notandum, quod ſi feliciter in caſus ad rem facientes, ſed caſu incidamus, haec collectanea diligentiae potius dotes eſſe ac divitias: conſectaria quoque, quae ex lectis & rite perpenſis eliciuntur, rigoroſiori examine,

HUNDERTMARK *Oſteoſteatomatis* hiſtoria, quo plurimi nervei comprimebantur, nec aeger de ſtupore conquerebatur; exſtat in HALLER. *Disp. Pract.* Tom. vj. p. 371.

f) L. G. KLEIN. *Interpres Clinicus* p. 209.

ne, hypotheſium obfuſcationi minus videntur obnoxia, & majorem fidem prae ſe ferre, ac ſi auctor propriâ auctoritate ubique docet.

Intelligenti ex antecedenti ſectione perſpectum datur, curationem utriusque Paralyſeos, nerveae ac muſcularis, haud adeò multum differre, quin potius quae in illa ſpecie caeteris paribus & cauſa eadem poſita conducunt, in hac neutiquam contraindicari. Mea quidem, nihil ut diſſimulem, haec eſt ſententia, generalem ubiquè in hoc morbo eſſe & unicam hanc Indicationem, *tollere cauſam Paralyſeos.* Neque ulla ſymptomata propriam curam efflagitant, neque palliativa cura hic locum habet. Age dum, operam navemus, ſatisfacturi Quaeſtioni propoſitae, quantum ars plus malo valet, ut methodum curandi probatam, ex principiis rationis & experientiae tradamus gnaviter, quae pro varia morbi origine varia eſſe debet. Parvi equidem Practici hunc morbum plerumque habuerunt, vel alto ſilentio tranſiêre, quoniam vero Paralyſis nerveo-muscularis ut *totum* conſideravimus, cujus *pars* nervea eſt, hinc felices illius curationes aliquid lucis heic conferre poſſe ſpes eſt. Cauſas autem Paralyſeos nerveae enumeravimus 1°. Compreſſionem externam; 2°. Nervorum Solutionem continui; 3°. Infarctionem vaſorum membranarumque, nervi ſubſtantiam ingredientium; 4°. eorum Inanitionem; 5°. Nervorum Conſenſum.

Audio verum de quam plurimis nervorum reſolutionibus inter primam & ſecundam ſubpartitionem militantibus, brevi quidem, ſed flebili, voce adunum omnes Expertiſſimos Practicos conclamare, inſuperabile malum eſſe, atque hoc effatum cum Theoreticis artis Principiis nimis quadrare, merito dolemus. Quis enim tumores illos, quales hic ſunt cicatrices, calloſitates, Elephantiaſes, Sphacelus, vel & Scirrhoſitas cutis, illaeſis papillis exſtirpare poſſet? Quis disciſſos nervos iterum

 coaleſ-

coaleſcere crederet? Quae ſpecies ergo dexteritatem Medicorum & Chirurgorum ſubtilitate ſua effugiunt, eò omnes eandem Prognoſin ſecum ferunt. Unice ſanabiles eae Paralyſes, quarum cauſa mechanica ſublevari poteſt.

Inter has in cenſum venit *compreſſio papillarum a materiâ ſtagnante in vaſis cutaneis.* Hanc materiem viſcidam vel acrem, raro leproſam, plerumque arthriticam vel Scorbuticam, edere oſtendimus obſtructionem chronicam, quare ad Curationem poſtulatur, ut ſequenti ſatisfiat indicationi;

Materies ſtagnans quo poſſibili modo eliminetur.

Atque eandem Indicationem etiam in tertiâ mox recenſitâ Subpartitione formandam eſſe unicuique primâ fronte patet.

Proxima Evacuandi via videtur per poros cutis. Laudatur a BOERHAVIO *a*) methodus, quae certe in Paralyſi hujus commatis locum habet, implendo ſc. primo vaſa corporis largâ potu attenuantium, dein excitatione majoris motus & ſudoris; ope vaporis Spirituum accenſorum. Hoc modo ſpes eſt, ut obſtructiones cutaneae reſerentur, quemadmodum & WEPFERUS *b*) experientia docuit.

Alio modo & cum ſucceſſu ipſe curationem aggreſſus ſum, datâ quotidiè pro potu decocti Guajaci pintâ ſemis, cui adjunxi frictiones partium paralyticarum. Ita materiem perſpiratione ſufflamminatam iri optavi. Plumbifaber Scorbuticus peſſimâ hemiplegiâ laborabat, absque ullo ſenſu lateris affecti relicto. Aſſiduè, ut per plures hebdomades brachium, & abdomen, & femur, quotidiè-aliquot ſemihoras fricaretur, juſſi, ſequenti cum linimento;

℞. Sal.

a) *Aph. de cogn. & cur. morb.* §. 1068. p. 250.
b) *Obſ. Med. Pract.* 32. p. 72.

℞. Sal. Tartar. ʒ VI.
Sap. Venet. ℥ I.
Diſſolvatur in Aq. tepid. ℥ X. deinde admiſce
Ol. Therebinth ℥j ß.
Adde Sp. Juniper ℥ I.
Ol. Cajaput ʒ II.
M. ſ. a. f. *Linimentum c*).

Addidi, ut dixi, pro uſu interno Decoctum Guajaci. Senſim ſenſimque rediit ſenſatio & utcunque motus. Saepe vero inter fricandum retulit patiens, quod in brachio peculiarem perciperet ſenſationem, ac ſi ignis è capite in digitorum apices penetraret.

Alium curavi virum podagricum, qui paralyſi artuum inferiorum nerveo-muſculari correptus fuit. Materies peccans, ut credidi, nervorum origines circa vertebras lumborum obſidebat. Iisdem adhibitis Remedis, & inſuper impoſito Emplaſtro ſtimulante diſcutiente nervino regioni lumbari, multum levatus eſt. Senſatio verò omnino rediit.

Alteram viam evacuandi quaeſiverunt Practici per alvum, artificioſè imitando naturam, quae quandoque Paralyſin ſanavit diarrhaeâ largâ & diuturnâ ſubſecutâ *d*). Virgo viginti circiter annorum, vitam agens nimis ſedentariam, chloroſi ſummo in gradu laborans, menſibus obſtructis, pallida, potu aquoſo tepido quotidie dilectata, corripiebatur Paralyſi exquiſitè nerveâ brachii dextri, ſenſim ſenſimque auctâ. Excitavi purgationem per epicraſin, dato ſolummodo Rheo per plures dies, ſubjuncto pulvere ex Corticis Peruviani, Radicis Zedoariae, Galangae & Limaturae Martis anatica quantitate & juſta

c) Imitatum eſt ad praeſcriptum in de *Holl. Maatſchappye der Wetenſchapp.* ij. D. p. 7.

d) G. VAN SWIETEN, *Comm. ad Aph. Boerh.* §. 1068. T. III. p. 384.

ſta doſi exhibito, atque diaetam ordinavi exſiccantem; ita reſtituta eſt. Sequenti anno recidivâ kujus Paralyſeos paſſa eſt, iisdem verò remediis reſtituta. Similem fere curationem refert IOH. ALLEN *e*): novi, inquit, quendam fere ſexagenarium, qui colica nervoſa diuturna laboraſſet, nimirum triginta plus minus annos per menſes aliquot illum quotannis affligente, in Paralyſin tandem incidentem, ſilente fere Colicâ, aut ſaltem leviter dolente, nempe in ſtuporem, torporem & obdormitionem brachiorum & crurum, praecipueque manuum & tarſorum & muſculorum ocularium. Huic imperavi Rhabarb. ℈ j. vel ʒ ß. alternis vel tertiis diebus horâ aliquâ antemeridianâ maſticare, opobalſami quoque puriſſimi gtt XX. in ſacchar. Cryſt. inſtillat. ſemel vel bis in die deglutire, nec non cereviſias & ſpiritus ardentes omnimodas prorſus interdixi. Porro bis tantum in die victum capere conſului, jentaculum ſcilicet & coenam, idque ad intervallum novem ad minimum horarum omiſſo prandio: aquam Spadenſem inter coenandum ad ſitim potare loco cereviſiae tenuis conceſſi, atque ex hac methodo; dum haec ſcribo, melius ſe habere videtur. Hactenus ALLEN.

Ubi plethora urget, V. S. eſt inſtituenda: ejus effectum ſupra experientia probavimus, nec minus eadem in ſtuporem crurum ex graviditate ortum requiritur. Caeterum V. Sectio in Paralyſi Scorbutico-Nervea nocet *ee*).

Juvat hisce adjungere talia remedia, quae corrigendo, ſtagnantem materiem attenuare, ſolvere, incidere, diluere & movere poſſunt, atque per inſenſibilem tranſpirationem aeque ac per maſſam ſanguinis exitum praebere.

e) *Synopſ.* p. 137.
ee) Docente E. ROSEN *Diſſ. de Sympt. Purpurae Chronic.* §. XX. vid. HALLER *Disp. Pract.* T. VI. p. 198.

bere. Ita patiens HOFMANNI *f*) melius ſeſe habuit uſu volatilium, Spiritus Cochleariae, Salis Ammoniaci, nec non apozematum evacuantium & ſanguinem depurantium. Stupor ſcorbutica, inquit ETTMULLERUS *g*), optimè per lignum Saſſafras & medicamenta Saſſafrata curatur & propellitur. Paralyſis artuum inferiorum Rorismarini uſu ſanata legitur apud MORGAGNUM *h*), A. Paralyſi ſcorbuticâ vagâ Nervea ex refrigeratione, ut videtur, occaſionata, vir repentè levatus & liber evaſit, dum hauſtum Succi Cochleariae recentis cum vino expreſſi avidè ſumſit *i*): rediit tamen paulò poſt paralyſis artuum quà ſuperiorum, quà inferiorum, in quam iterum feliciter adhibuit Antiſcorbutica Vir Doctiſſimus IOH. MAUR. HOFMANNUS *k*). Decoctis lignorum, incidentibus, & unguentis feliciter pugnavit ROSINUS LENTILIUS *l*), & in genere *Antiſcorbuticis* EUGALENUS *m*), qui morbum hunc, ut decet, tractavit. Quare optima cum Spe hic in uſum vocare licet omnia illa, quae a BOERHAVIO *n*) titulo attenuantium & diſſipantium deſcripta ſunt. Eadem docet SENNERTUS *nn*).

A medicinae incunabulis ad hunc usquè diem laudata ſunt *Balnea*, utpotè in Paralyſi valdè proficua. Nec video, cur calida non prodeſſent iis in caſibus, ubi obſtaculum, liberam circulationem per vaſcula cutanea & nervos ambientia impediens, relaxatione tolli poteſt, prae-

f) *Op.* Suppl. IJ. Tom. I. pag. 459.
g) *Op.* Tom. IIJ. pag. 238.
h) Ep. XXVJ. n. 21. Scorbutica paralyſis radice ſublatâ tollitur L. G. KLEIN. *Interpres Clinicus*, pag. 211.
i) *Eph.* N. C. *Dec.* iij. Ann. ii. Obſ. 207. p. 324.
k) Ibid.
l) Dec. ij. Obſ. CLVJ. p. 359.
m) *De Scorbuto* pag. 63.
n) Aph. §. 1068.
nn) *Op.* p. m. 660.

praeſertim ſi iis jungantur interna Roborantia, quae ſanguinis motum per corporis ambitum promovent, inter quae Vinoſa & Cortex Peruvianus omnibus quidem palmam praeripiunt. Ita CELSUS *o*) jubet paralytica membra fovere aqua celida marina, vel ſi ea non eſt, tamen ſalſa, ſine dubio nè aqua dulcis fibras cutaneas nimium emolliret. HOFMANNUS *p*) nihilominus dulcia praefert. Felices hac methodo curationes exſtant in EPHEMERIDIBUS GERMANICIS *q*).

In genere vero ſtagnatio materiei chronica involvit Ideam nimiae laxitatis, quamobrem graves in arte Viri *r*) balnea frigida prae illis laudavêre, & experti ſunt, inprimis ſi cataractae labentis ex alto aquae ſupponatur pars affecta. Exſtat curationis Paralyſeos Nerveae hoc remedio egregia iterum relatio in *Ephemeridibus Naturae Curioſorum rr*).

Pulcrè in Paralyſi commendat Cl. LUDWIG *ſ*) febrem artificialem excitare, quâ quidem materia ſtagnans diſpellatur. Notabilis eſt locus CELSI *t*); torpentis, inquit, *torpentis* membri ſummam cutem exaſperaſſe, vel urticis caeſam, vel impoſito ſinapi, prodeſt: videtur hic, ex voce *torpentis*, de Paralyſi nerveâ agi.

G.... B.... cauponius & diaetam cauponiam agens, corripitur paralyſi exquiſitè Nervea, cujus cauſa ſine dubio

o) L. iij. C. 27. p. 179.
p) *Op.* T. iij. p. 200.
q) Dec. I. ann. 4&5. Obſ. CXXVIIJ. p. 137. Dec. ij. Ann. 5. Obſ. 28. p. 46. Dec. iij. Ann. 5 & 6. p. 135. App. Dec. I. Ann. iij. Obſ. 308. p. 455. *London's Magazine* Jul. 1756. p. 325. F. HOFMANN. *Op.* T. iij. p. 205.
r) G. v. SWIETEN. *Comm.* T. iij. p. 386. & ab ipſo citatus FLOYER. ψυχρολυσία p. 212. 456.
rr) Dec. I. Ann. ij. Obſ. 49. p. 87, 88. Confer. *Journal de Medecine.* Tom. XX. pag. 204.
ſ) *Inſt. Med. Clin.* p. 297.
t) L. iij. Cap. xxvij. p. 179.

dubio fuit illa ſuprà ex FERNELIO memorata. Variis incaſſum adhibitis, ſuadente Medico, tandem inſenſiles partes quotidiè Urticis caeſit, adeò quidem ut Sanguis exſudaret, & tandem partes redditae ſunt dolorificae: tum ceſſavit flagellatum, & dolore ceſſante rediit Senſatio.

Ex eodem principio Scarificationes, cucurbitae, veſicatoria, fuſtigationes, meritò ſunt laudanda. Tentari etiam licet, num materies alio revocari poſſet, quemadmodum SWIETENIUS *v*) paralyſin brachiorum colicae pictonum ſuccedaneam aliquoties curavit, dum frictiones ſoli abdomini applicaret.

Alii ſtimulantibus ſtagnantem materiam excutere conati ſunt, quandò Sternutatoriis & vomitoriis validos concuſſus excitaverunt *w*).

Omnibus remediis verò palmam praeripiunt frictiones *x*) & concuſſiones electricae. Felices illarum ſucceſſus ſuprà retuli, harum quidem Effectum infrà citabimus. Et quidem in Paralyſi nervea licet jam Analogicè ab iis concuſſionibus multum boni, aequè ac in aliis Paralyſeos *y*) ſpeciebus, ſummâ cum ratione expectare, non tantum ex eo, quod ſumma datur inter Nerveam & muscularem Paralyſin convenientia, ſed & quod Paralyſis nerveo-muscularis plus ſemel electricitate ſanata eſt, quemadmodum & eandem fulmine ſublatam eſſe legimus *z*), cujus actio in corpore humano

electrica

v) l. c. p. 390.

w) l. c. p. 381.

x) Vectio in rhedâ. *Holl. Maatſch. der Weetenſch.* I. D. p. 414.

y) *Hiſt. de l'Ac. Roy des Scienc.* 1749. p. 28 plura qui deſiderat adeat DE HAEN *rat. medendi* variis locis, INDICEM *Commentariorum Lipſienſium*, Scripta NOLLETI, FRANKLINI, JALLABERT, &c.

z) DIEMERBROEK *Obſ.* X. p. 9. v. SWIETEN p. 383.

electrica eſt. Multò felicius verò artifices proceſſuros credo, ubi prius corpora remediis internis convenientibus, pro variâ morbi cauſa, praeparaverint.

Similiter terrore gravi hoc malum quandoque abigatum eſt *a*) & irâ *b*).

Non poſſum hic non interjicere Paralyſeos Nerveae notitiam ex Purpurâ Chronicâ ſcorbuticâ prognatae, quam ſedulò deſcripſit Vir. Cl. EBERHARDUS ROSEN *c*). Paralyſis alia, ſi tempeſtivè ſanetur, citò tranſit erumpente purpurâ, alia verò morbum facit pertinaciſſimum. A leviore hujusmodi paralyſi cruris pedisque alterutrius, affectum vidimus puerum nobilem ſexennem, qui matre erat natus, cui rheumatismi purpuracei pertinaces aequè erant âc frequentes. In hoc verò cito admodum malum tranſit, purpurâ idoneis remediis propulſâ. In viro quoquè cujus uxor purpurâ chronicâ laborabat pertinaci, pareſin & ſtuporem brachii obſervavimus poſt toleratam leniorem purpuram rubram acutam. Cuncta autem is in vado eſſe exiſtimans, à frigore ſibi non ſatis cavit, unde Stupor brachium occupavit, ceſſans erumpente denuo purpurâ. Gravioris verò hinc ortae paralyſeos exempla, ſcientes praeterimus, id ſolum monentes, quod a Paralyſi ordinariâ ſollicitè debeat diſtingui, cum aliam omninò medelam poſcat. Curationis ſpem verò Cl. AUCTOR, in perſpiratione reſtitutâ ponit, & inter antiſcorbutica Mixturam Simplicem Werlhofii *d*) extollit, cujus en deſcriptio; ℞. Sp. Tartar. ℔ j.

Cochlear. ℥ iiij.

Irro-

p. 383. J. G. SCHAEFER. *Die electriſche Medicin.* J. WILKINSON the caſe of Mr. WINDE.

a) SCHENCK. Obſ. med. L. I. p. 94.

b) Eph. N. C. Dec. ij. Ann. V. App. p. 23.

c) De *Sympt. purp. Chron.* §. XX & XXIV. HALLER *Diſp. Pract.* Tom. VI. pag. 189, 201.

d) *De Febr.* pag. 145.

Irrorantur Vitriol. ad rubedinem exſiccat. ℔ ij. diger. in baln. octiduum, dein per retortam, aucto gradatim igne, propellatur cum reliquis etiam Spiritus Vitrioli volatilis. Doſis ℈ ß. ad ℈ j *dd*)

Ex praecedentibus haud ineptè concludi poſſe exiſtimo, Frictiones & Concuſſiones Electricas vim ſuam exerere in Paralyſi Nerveâ ſcorbuticâ, vel omni illâ, cujus cauſa eſt vaſorum ſanguiferorum Oppilatio & Oppletio, eatènus quatenus materiem ſtagnantem mobilem reddunt, & diſponunt ut iterum in ſanguinem circulatorium tranſeat, vel per poros cutis blandè exhalet. Sed alio modo hoc auxilii genus adhuc proſicuum fore puto in eâ Paralyſi, cujus ſedes eſt in veſtimento nervorum cellulari, & quae producta fuit a materie peccante colicâ arthriticâ, rheumaticâ, purulentâ, vel cujuscunque naturae ſit, metaſtaſi huc depoſitâ *e*). Conſtituit materia illa hic congeſta ſpeciem tumoris, qui non tantum nervi pulpam premit, ſed & ipſam telam, cui continetur, ſummoperè diſtendit. Ergo Concuſſione validâ facilè rumpi poſſe hoc involucrum adeò diſtractum omnes concedent. Verum enim verò revera eſſectum hunc Chirurgicum probant ſymptomata electriſatis frequenter obvia. Materies ſcilicet effuſa concuſſione, per cutim exitum quaeritat excitatis maculis, veſiculisque quae humorem morboſum exonerent, ſudore que : — cutis poſt concuſſiones valdè aſpera redditur : — excitatur major calor, ſenſus acutae punctionis, dolorque ſaepe vehemens : — Haec omnia repetitis experimentis evinci licet *ee*) Sed quid

dd) Aliud reſolvens remedium laudat Cel. J. T. Eller, *Obſ. de cogn. & cur. morb.* p. 260. alcalina volatilia laudantur *Journ. de Medicine.* T. XIX. p. 260. aliud efficax, quamvis ruſticum, novi vulgare remedium : *Rec.* aq. comm. Pint. I. Ol. Vitr. gtt. X. Miſce. Doſis cochlear. I. II. vel III. ter quatervè de die.

e) Hanc cauſam Paralyſeos conſentit Thierry, *Ergo in celluloſo textu frequentius morbi & morborum mutationes.*

ee) *Hiſt. de l'Acad. Roy. des Scienc.* 1749. p. 30. 32. 35.

quid quaeſo aliud docent, praeter effuſionem materiei intra cutim? Nec enim haec phaenomena in Syſtemate vaſorum cutaneorum producuntur, caeterum pulſus auctus & febris topica & inflammatio eadem concomitarent. Ergo potenter *Operatio* electrica materiei purulentae, colicae, rheumaticae, exitum concedit, juvat & praebet. Unicum exemplum *f*) curationis Paralyſeos hujus claſſis Nerveae illuſtrationis gratia adferre lubet. Ancilla rheumaticum dolorem in brachio dextro in primis verſus carpum percipiebat, & poſt duos vel tres dies digiti ita contracti apparebant, ut explicari non poſſent. Manus cum digitis arctè contracta & valdè tumida erat. (*Scilicet a materiá rheumaticâ per metaſtaſin in telam celluloſam tranſlatam.*) Ex hâc contractione totum brachium dolebat, (*a tenſione ſine dubio*). Nunc manus planè inſenſilis erat & livido colore obducta. (*Paralyſis ergo erat Nervea.*) Frictiones modicae inſtituebantur, (*hae verò telam celluloſam non valuère disrumpere, hinc nec exitum materiei concedere.*) Fruſtra omnia. Electricè concutiebatur, unde dolor in manu, tremor, & digitorum explicatio, redditae ſunt omnes partes flexiles & molles, ac puella manum ſine doloris ſenſu aperire & claudere potuit. (*Dolor fuit excitatus a concuſſione, poſt quam vero tela celluloſa diffracta fuit, & doloris abſentia mox ſequitur. Nondum enim materia effuſa in cutim agebat.*) Tunc manus fricabantur. Tranquilla diem exegit, ſed veſperâ manus magis doluit, cubitumque occupavit repens dolor, qui tamen repetitâ frictione ſublatus. (*Docet haec obſervatio actionem materiei effuſae in fibras cutaneas, ſimul & ejus diſſipationem idoneo remedio.*) Electriſationis repetiti ictus dolorem ſenſim auctum produxerunt, (*aliud argumen.*

Gentleman's Magazine 1753. p.22.268.379. *Philoſophical Tranſactions.* Vol. L p. 481. 695. LI. p. 179. *Acta Helvetica*, V. IV. p. 214. *Kongl. Vetenskaps Acad Handlingar.* V. xxvj. p. 193. 207. 270 *Hiſtoire de l' Electricitè.* T. iij. p. 34—114.

f) *Philoſophical Tranſactions* 1755. p.558. & citatur in *Comm. Lipſ.* V. viij. p. 161. 162.

mentum,) ut tandem ſana eos fugeret. Sed paſſa eſt recidiva. Iisdem remediis adhibitis idem effectus & eadem planè Symptomata ſubſecuta ſunt. Motio totius manus reſtituta eſt. Quamquam verò ſupra memorata fricatio repetita fuit, tamen veſperâ redibat dolor brachii, digiti tremebant, & nodi in cubitu tactu percipiebantur. Itaque ſupra cubitum imponebatur veſicatorium; & linimento ſaponaceo, quo brachium manusque fricari ſolebat, tinctura Thebaïca admiſcebatur. Hoc modo periculoſa ſymptomata tollebantur, evaneſcentibus fere inſequenti die omnibus nodis & redeunte libero digitorum uſu. Ut verò morbo reditus occluderetur, ancillae fonticulus in affecto brachio excitatus & emplaſtrum roborans carpo impoſitum fuit.

Docet, niſi omnia me fallunt, luculentè haec C. Watzoni obſervatio ſoliditatem eorum, quae propoſuimus.

Viro quinquagenario, cujus pedes & manus frigus exuſſit, ut Auctor refert *g*), electricâ vi applicatâ, intrà tres hebdomades *ſtupor et tumor* ſeceſſit, ſenſusque rediit. Idem aeger poſtquam defluxione catarrhali correptus fuit, electricitate ſubſequens ſudor capitis largus malum iſtud profligavit.

Hemiplegiâ arthriticâ adfectis, primae electriſationes *viſcoſum ſudorem* eliciunt, febrem praeſentem compeſcunt, ſomnum arceſſunt, *ſenſimque* cuivis digito atque manui flexibilitatem & ſenſibilitatem reſtituunt *h*), quae omnia phaenomena ex ſimplicibus noſtris prolatis principiis iterum facilè explicantur.

Duo praecipuè utilia Corollaria videntur ex hisce principiis poſſe deduci, ut curam morbi electricitate feliciter geramus;

1°. Ubi materia obſtructa nervos comprimens haeret in ipſorum vaſis ſanguineis, tum concuſſiones adminiſtrentur leniores, nè vaſcula disrumpentur, humores extravaſen-

g) *Act. Mogunt* T. ij. p. 465. ubi plura lectu digniſſ. obſervata.
h) F. B. de Sauvages *Noſologia* T. ij. P. ij. p. 362. Confer *Theor. Doloris*, p. 7.

vaſentur & ecchymoſi plus noceant, quam ubi adhuc vaſis impacti erant.

2°. Ubi materies verò haeret in nervorum involucro celluloſo, tum fortiores concuſſiones adhibere praeſtat, ut non tantum humor peccans abſorbeatur, ſed & excitatis maculis veſiculisque, per cutim eliminetur.

Idem de Frictionibus intelligendum, atque easdem in prioribus caſibus leniores, in poſterioribus rigoroſiores inſtituendas eſſe, ſponte patet.

Feſtinat jam calamus. De Paralyſeos Nerveae Curatione ab *Inanitione* vix habeo dicenda. Fatum ſenile eſt inevitabile, quare mirum haud videbitur, ſi in inciſis effoetorum ſenum cadaveribus, nervos tendineam ſaepè acquiſiviſſe duritiem, reperias *i*). Illa, quae ſub finem morborum corpore emaciato oritur *k*) Paralyſis, Nutrientibus & Reſtaurantibus tollitur. In genere caeterum ut morbus a rigiditate nimiâ tractanda venit.

De Curatione tandem Paralyſeos Hyſtericae inter enumerationem cauſarum dixi. Pauca de Paralyſeos verminoſae curâ reſtant, eandem ſcilicet Anthelminticis oppugnandam eſſe *l*). Specialia verò exempla lectio jam non ſuggerit.

Atque his penſum abſolvi, tentaturus denuò num oleum & opera pereat. *Coronidis loco, ſcias velim,* BENEVOLE & HONORATISSIME LECTOR! *quod Nervi habeant arterias, venas & membranam Celluloſam, quae facile admittunt omnia tumorum genera: hinc ſi nata ſit Inflammatio in nervorum tunicis, haec totum nervum comprimens pro tempore facit Paralyſin m), nerveam, muscularem, & nerveo-muscularem.*

i) Eloquentiſſimus JOH. OOSTERDYK SCHACHT *Orat. de Senili fato inevitabili*; *Praeceptor meus, quem inter Parentes habeo, omni amore & veneratione ad rogum usquè colendus.*

k) G. BALLONII *Conſ Med.* L. III. Op. T. III. p. 354, 355.

l) *Eph.* C. N. Dec. II. Ann. V. App. Obſ. XIX. p. 15. Dec. III. An. III. Obſ. CIV. p. 195.

m) HERM. BOERHAVE, *de Morb. Nervor.* p. 700.

THESAURUS PATHOLOGICO-THERAPEUTICUS;

exhibens

SCRIPTA RARIORA ET SELECTIORA AUCTORUM ET INDIGENORUM ET EXTERORUM

quibus

natura ac medela

morborum tam internorum quam externorum illuſtrantur atque explicantur:

quem

collegit et edidit

Dr. IO. CHRIST. TRAUG. SCHLEGEL

Celſ. Comit. regn. de Schoenburg-Waldenburg Conſil. et Archiater; Dynaſtiarum Waldenburg et Lichtenſtein &c. &c. Phyſic. ordinar.

Volum. I. Pars II.

LIPSIAE

ſumtibus Car. Frider. Schneider 1789.

Conſpectus contentorum.

in parte altera.

IV. *Marc. Akenſide* Commentarius de dyſenteria. Londini, 1764. Pag. 277.

V. *Petr. van Elſacker* de febre remittente continua bilioſo - putrida. Antverpiae, 1774. 315.

VI. *Adolph. Murray* & *Gabriel Bonsdorff* Diſſ. anatom. chirurg. de Cirſocele. Upſaliae, 1784. 497.

IV.

IV.

MARCI AKENSIDE,

Colleg. med. Londin. Soc., Reg. Societ. Sodal., et Magn. Britann. Reginae Med.

COMMENTARIVS

DE

DYSENTERIA.

Londini, 1764.

DE
DYSENTERIA
COMMENTARIUS.
CAPUT PRIMUM.
DE
DYSENTERIAE HISTORIA.

Qui graviora patitur ventris tormina, ſimul cum frequenti deſidendi cupiditate, & cum dejectionibus vel ſanguineis vel mucoſis; eum hominem dyſenteria laborare omnes conſentiunt medici. Neque ulli morbo imponenda eſt haec appellatio, niſi in quem tria illa ſigna conveniunt. Caetera quae ſolent ex eo aegrotantibus accidere, non ad eandem normam, ſed alii aliter auctores deſcribunt. Cum autem mihi contigerit, per plures annos in frequentiſſima hujusce mali tractatione verſato, nonnulla obſervare, quae ab aliis vel praetermiſſa ſunt vel aliter explicata, & quorum cognitio, ni fallor, ad communem utilitatem haud obſcure pertinet; ſtatui in publicum

T 2 propo-

proponere quicquid huiusmodi experientia propria comprobatum eſt. Itaque primum ea recenſebo quae aliquid ad hiſtoriam morbi augendam atque illuſtrandam conferre poſſunt; ita tamen ut aliorum obſervationes quam minime tranſcribam, iteremve, Dein vero commemorabo quae in dyſentericorum curatione felix plerumque eventus mihi commendavit. Nonnulla denique ſubjiciam quae morbi theoriam ſpectant & medicamentorum facultates.

In his autem exequendis, tametſi ab aliorum ſententia ſaepe diſceſſero, nihil tamen idcirco vel de fide eorum, vel de diligentia detrahere ſtudeo. Variae enim fiunt diverſis temporibus eorundem morborum facies: ita ut hoc anno id forte ſymptoma ſingulis decumbentibus adſit, quod qui per annum inſequentem in ejusdem generis morbis expectabit, fruſtra omnino fuerit medicus. Imo de ipſa de dyſenteria pronunciavit *a*) Sydenhamus, fieri poſſe *ut variae enaſcantur ejus ſpecies, ut ſunt variolarum & epidemicorum aliorum, & quae proinde medendi methodum in aliquibus diverſam ſibi ſuo jure vindicent.* Quinetiam ſi res aliter eſſet, non magis tamen excuſatione ulla indigeret haec qua utimur, libertas. In omni enim philoſophia ſuum ea locum vindicare debet: praecipue vero in naturalibus quaeſtionibus; ubi mentem humanam extra ſeipſam proficiſci oportet; ut ſciendi occaſionem & materiam captet. Quod ſi magnorum hominum reverentiam violare exiſtimaretur, quicunque ab eorum opinionibus diſſentiret; fieri non poſſet ut progreſſum ullum haberent vel incrementum caperent haec ſtudia: ſed eveniſſet potius ut in perpetua quaſi infantia reſtarent. Quod de una medicina, inter tot artes atque facultates jure ac merito praedicari poteſt.

In-

a) Obſervat. de morb. acut. ſect. 4. cap. iii.

Inprimis igitur de dyſenteria obſervandum habeo, eam perraro in morbis acutis reponi debere, aut febre ulla comitatam eſſe: quod non ita tradiderunt qui recentiorum ſaltem medicorum principes habentur. Antiqui quidem ſcriptores illam potius ſententiam, quam nos amplectimur, auctoritate ſua corroborant. *b*) Contra vero Sydenhamus morbum docet non ſemper quidem, plerumque tamen, ab horrore et rigore incipere: tum his ſuccedere totius corporis calorem, ut in febribus ſolenne eſt. Imo in conſtitutione quadam aëris & morborum popularium deſcribenda, diſerte ait *c*) dyſenteriam fuiſſe ipſiſſimam, quae in illa conſtitutione regnaret, febrem; hoc tantum diſcrimine quod introverteretur, & in inteſtina ſe exonerans per eadem viam ſibi faceret. *d*) Meadus autem conceptis verbis affirmat eam ab inflammatione oriri; neque unquam eſſe ſine febricula. Quod ita Boerhavii animo inſederat praejudicium, ut in toto âphoriſmorum libro nullam dyſenteriae mentionem ille faciat, niſi in notione explicanda diarrhoeae febrilis, aut dum ulcerationes quasdam enarrat, quibus inteſtinorum inflammatio aliquando terminatur. Sed, ut verum fateamur, a Boerhavio, fuerit ille quamvis ingenioſiſſimus & candidiſſimus vir, minus tamen ſperandae ſunt accuratae morborum deſcriptiones; qui per totam vitam in eo praecipue exercebatur, ut juventutem ſtudioſam elementa medicinae doceret ad perfectae ſcientiae ſimilitudinem, geometrarum fere modo, conſtructa & quaſi aedificata. Quicunque enim tali negotio ſe dedit, fiet paulatim in cauſis rerum aſſignandis largior & ambitioſior: ipſas porro cauſas ampliare ſtudebit, ita ut quamplurima eorum, quae in conſpectum veniunt, compre-

b) Loco citato,
c) Ibid. ſect. I. cap. ii.
d) Monita & praecept. med. cap. vii. ſect. I.

hendant illae atque interpretentur. Iſta enim ratione praeceptor & operae parcit ſuae, & ſimul auctoritatem majorem apud diſcipulos comparat, quam ſi res ipſas ſtrenue perſequi & earum varietates denotare conſtituiſſet; dum interea cauſſas & principia de quibus pendent, ignorantiam ſuam profeſſus, aliis veſtiganda & detegenda relinqueret. Sed veriſimile quoque videtur Boerhavium in hac re Aretaei ſui auctoritate commotum fuiſſe. Quamvis enim plerique, vel omnes forte, veteres medici, inter dyſenteriae cauſas, ulcera ſpeciatim commemorant; alii tamen & aliis rationibus utuntur in declaranda morbi natura. Solus Aretaeus *e*), dum ſingula illius ſymptomata deſignat, eorum varietates, nulla alia adhibita ratione, ad varia inteſtinorum ulcera refert. Ulcus autem nonnunquam dyſenteriae *f*) effectum fuiſſe, facile concedi poteſt; cauſam vero, vix adducor ut credam; niſi ubi aeger alio quodam inteſtinorum affectu prius laboraverit, unde ortum ulcus ſpeciem quandam dyſenteriae abnormem in ultimo rerum ſtatu induxerit. Iſtiusmodi autem dyſenteria, in decurſu morbi ordinario deſcribendo, nullum prorſus locum obtinere debet.

Neque ſane veritati magis conſentaneum videtur, ad inflammationem hujus morbi initia referre. Inteſtinorum enim inflammatio nunquam non febrem magnam & ardentem excitat; tum alvum ſiccat ſemper & occludit. Ex ea conſtipatione periculi magnitudinem aeſtimamus; &, ea relaxata, rem fere ſalvam eſſe arbitramur. Quapropter inflammatio contraria videtur dyſenteriae indoli; cujus magna pars eſt in dejectionibus nimio plus frequentibus poſita. Febris vero indicia raro quis evidentiora apud dyſentericos perſpiciet. Neque

e) De morb. diuturn. lib. ii. cap. 9.
f) *Vide* Morgagnum de cauſ. & ſedib. morbor. epiſt. xxxi.

que enim, ſi forte ex inteſtinorum dolore pulſus aliquando celerior fiat, neque ſi ob alvi fluxum ſitis nonnunquam urgeat, aut lingua albedine quadam obducatur; protinus id febri imputare oportet. Haec enim, ſedato inteſtinorum tumultu, ſponte evaneſcunt; nec arctiorem neceſſitudinem habent cum dyſenteria, quam cum multis aliis diuturnis morbis. Sed apud quem vera febris dyſenteriam antecederet, aut ſimul cum ea decurreret, vix e decem, qui ea laborarent, unum obſervavi. Contraria quidem omnia. Facies plerumqun pallidior eſt, & quaſi extenuata: oculi nitidi vividique: pulſus exilior, neque celerior ſolito, niſi quo tempore alvi dolores acutiores forte ſunt & diuturniores: rigor nullus, neque calor: & quod omnem dubitationem tollere poteſt, morbus ſibi relictus plerumque admodum longus eſt; adeo ut, ex nonnullis eorum qui illius cauſa in meam curam ſe tradiderunt, intellexerim ipſos ab illo jam antea per duos vel tres menſes fuiſſe vexatos. Proinde morbi depulſio non, ut febribus evenit, paucarum horarum opus eſt, e ſubita humorum converſione pendens; ſed tarde & gradatim perficitur, repetito eorundem remediorem uſu. Haec, inquam, ſolita morbi indoles eſt, prout eum ipſe obſervavi per quinque vel ſex annos in magna dyſentericorum frequentia, quos Divi Thomae noſocomium perpetuo fere ſuppeditabat, & quorum plus centum & triginta in tabulis deſcriptos habeo. Fieri quidem poteſt, & nonnunquam fit, ut in hominibus calidiori praeditis temperamento, aut quibus aliae ſupervenlunt febriendi cauſae, manifeſtiorem febrem dyſenteria ſecum conjunctam habeat: tum in caſtrenſi vita aut in ſingulari quadam aëris atque victus conditione, alia fortaſſe erit morbi forma. Et tamen in ſaeva illa dyſenteria, quae anno MDCCXXXVI *g*) Neomagi graſſata eſt, & in

g) *Vide* Degnerum de dyſent, pag. 16, 22.

& in caſtrenſi illa quam medicus doctiſſimus *h*) Joannes Pringle deſcripſit, adeo parva fuerunt & obſcura febris indicia, ut eorum nullam fere rationem habendam eſſe jure optimo videretur. Adeoque huc demum res redit; dyſenteriam, rheumatiſmi ſive morbi articularis inſtar, nonnunquam febrem aliquam in ſe continere, aut ſecum ſociatam ferre; longe tamen ſaepius diuturnum eſſe morbum atque ab omni propria febre vacare: & hoc etiam multo magis quam ipſe rheumatiſmus.

Huic affinis eſt altera obſervatio, quae, cum conſtans fuerit & diuturna, diſcedere a magnis auctoribus me coegit; dyſenteriam nempe totius anni propaginem eſſe neque ulli certae tempeſtati adſcribendam. Ex Sydenhami quidem auctoritate, communis fert medicorum opinio initia autumni morbo huic naſcendi tempus praebere, & initia hyemis ſeneſcendi: ſed raro eum in adultam hyemen produci. Rem vero longe aliter aliquando ſe habuiſſe, vel Galeni teſtimonium convincere poteſt: qui fere potiſſimum & aeſtate dyſenteriam homines infeſtare *i*) ait. Hodie ſane, et in his Britanniae regionibus, aeſtivi menſes hoc malo minime frequentantur. Subſequens vero autumnalis coeli converſio, & aer in frigus & in humiditatem inclinatus, corpora hominum hujusmodi valetudinibus magis obnoxia reddit. Aliquid porro conferre poteſt fructuum autumnalium uſus incautior; quamvis multos homines ea tempeſtate dyſenteriis corripi videmus, qui ab illa ſe luxuria omnino abſtinuerant. Verum ut procedente hyeme dyſenteriae abigantur, quod *k*) Sydenhamo viſum eſt, neutiquam ego confirmare poſſum.

h) Obſervat. on diſeaſes of the army, ch. *v*. ſect. I.
i) In libr. Hippocr. de natura humana comment. prim.
k) De morb. acut. ſect. iv. cap. i, ii, & vi.

ſum. Contra quidem in annis MDCCLX, MDCCLXI, & MDCCLXII. per totam hyemem perſtiterunt illae, haud infrequentiores aut minus moleſtae quam in ipſis autumni initiis fuerant: neque quicquam ex ſolita pertinacia remiſerunt, donec ver adultius coeli & ventorum rigorem mitigaverat. Quod, ad originem morbi indagandam, & ad arctam ejus cum rheumatiſmo affinitatem illuſtrandam, haud paulum facere arbitror. Nam & hic quoque, niſi ubi cum febre acutiori conjunctus eſt, hyemem multo magis quam aeſtatem perſequitur. Porro in autumno anni MDCCLXII, dyſenterici, quorum ingens tunc temporis erat multitudo, longe ſaepius febricitabant, quam qui in ſubſequenti hyeme eodem morbo decubuerunt; tametſi caetera morbi ſymptomata nihilo mitiora per hyemem facta ſunt. Cujus ſimile quiddam etiam rheumatiſmo, ni fallor, plerumque accidit: eum ſcilicet in aeſtate ſaepius quam in hyeme febrem conjunctam habere; quamvis ipſe morbus per hyemem frequentior eſſe ſolet. Haec tamen non nimis anguſta interpretatione excipi debent: dum enim ea exſcribo, per ultimos exeuntis anni MDCCLXIII dies, una atque altera curanda occurrit dyſenteria, quae febrem ſatis notabilem ſecum trahit. Satis eſt ſi iſta, quae protulimus, longe plurimum, etſi non ſemper, rebus ipſis confirmata reperiantur.

Id quoque crebro obſervare contigit; dyſentericos ſaepius & diutius, quam pro auctorum teſtimonio, nauſea & vomendi neceſſitate affici. Hujus quidem alii mentionem faciunt, ſed tanquam levioris cujusdam incommodi, quod in ſolo morbi principio moleſtiam exhibet. Verum ego per plures dies ter quaterve quotidie aegros vomitare cognovi; neque ante ab iſto ſymptomate liberari, quam caetera morbi violentia maximam partem ſuperata eſſet. Imo unum homi-

nem curavi qui, priusquam meum conſilium petiit, per ſex hebdomadas tertio vel quarto quoque die ſponte vomuerat: itemque alterum, cui per totos tres menſes illa aegritudo multo ſaepius renovata fuerat.

Quod autem l) Sydenhamus innuiſſe potius viſus eſt quam confirmaſſe, id fere ſemper evenire notavi; ut prima morbi vis inteſtina tenuia potiſſimum occupet; & dein ordinato curſu ad rectum perveniat. Quin ubi tormina fere evanuerunt, in nonnullis tamen hominibus teneſmus jam tandem importunior fieri videtur; acri illo muco, quo prius jejunum atque ileum ſcatuerant, nunc a ſolius recti vaſculis profluente. Ex hac morbi conſtitutione accidit quoque ut, cum homo & ſibi & medico ſuo ſalvus omnino atque ſanus eſſe videtur, ejus tamen dejectiones lineis quibusdam & quaſi veſtigiis ſanguinis tingantur: tametſi in priori & magis periculoſo morbi ſtadio, nullum prorſus dejecerat ſanguinem. Nimirum longinquitate mali ita tenerae fiunt inteſtini recti tunicae & vaſa quae iis inſident, ut quantulacunque dejectionum acrimonia vulnerentur. Poſtquam vero impetus iſte morbi in colon & in rectum ſubſederit, ſaepe fit ut faeculenta quaedam, ex alimentorum digeſtione relicta, in tenuioribus inteſtinis diu immota haereant; donec ſub finem morbi, viribus demum ſuis omni abdominis parti reſtitutis, detruduntur; cum jam mora iſta longe acriora facta ſunt: ita ut deſcenſu eorum dolor haud levis excitetur, & per diem unum alterumve ſanguis etiam eorum tranſitum ſequatur. Teneſmo interea adeo diſtenduntur & debilitantur venae haemorrhoidales, ut poſt longam dyſenteriam iis fere ſolenne ſit in caecos tumores cedere, quos nonnunquam comitatur dolor valde acutus.

Qui-

l) De morb. acut. ſect. 4 cap. iii.

Quinimo ob eaſdem cauſas procidentia ſedis, praeſertim in corpore laxiori & tenuiori, haud raro morbum concludit: quod & m) Degnerus quoque in populari dyſenteria Neomagenſi commemoravit.

His vero omnibus medicamentorum vi ſublatis, haud raro dyſenteriae ſuccedit alvi fluxus largus & diuturnus, ſed qui ab omni fere dolore vacat. Nempe dum ex inteſtinis & meſenterio exhauritur acris illa & mucoſa dyſenteriae materies, qua tormina & teneſmus excitata fuerant, aucti ſunt vaſorum canales & deminuta vis elaſtica; ita ut, poſtquam omnis iſte mucus conſumptus ſit, pergant tamen vaſa humorem ſeroſum largius emittere, qui ipſe quidem innocuus eſt, ſed copia ſua purgationes nimias inducere, & aegri vires diſſipare poteſt.

Haud ita frequenter, attamen plus vice ſimplici, vidi in foeminis dyſenteriam pauliſper ſecedere cum ſuperveniſſent menſtrua. Nempe ubi dejectiones ſanguineae urgebant, cum teneſmo moleſtiſſimo & ſummo inteſtinorum dolore, haec omnia, erumpentibus catameniis, ſubito conſopita ſunt; & quamprimum definita eſſet illa purgatio, omnia itidem recrudeſcebant.

Diuturna porro dyſenteria, in hominibus laxo & pituitoſo corporis habitu praeditis, haud raro in hydropem deſinit; qui fere peſſimi generis eſt & remediis efficaciſſimis minime obſequens. Hoc autem praecipue accidit ubi medicamentis opiatis dyſenteria praemature repreſſa fuerat & dein recidiva facta. Sic enim viſcera omnia, quibus chylus nutriendo corpori ſuppeditatur, debiliora fiunt, & officio ſuo ſegnius funguntur. Vnde inertior evadit & quaſi vapida humorum temperies; rubra ſanguinis parte liqueſcente, & aquae

m) Hiſt. Dyſent. pag. 17.

aquea lutulentiore facta. Praeterea, mucum iſtum dyſentericum, tamdiu in inteſtinis deliteſcentem, lacteorum, ſive lymphaticorum meſentericorum, oſcula partim ſaltem imbibunt. Inde ſpiſſior tandem fit lympha per univerſum corporis habitum: quae adeo cùm in cavitates varias & in cellulas membranae adipoſae exhaletur, lentior eſt & glutinoſior quam ut iterum lymphaticorum extremitatibus rite excipiatur, aut per glandulas eorundem minutiſſimas percoletur. Dum autem vel hic vel ibi ſtagnat, hydropicus fit homo.

Sed quod praecipuum duco eorum quae, ad hiſtoriam hujus morbi ampliandam, afferre poſſum, ejus eſt arctiſſima cum rheumatiſmo affinitas: Graecis enim iſtarum rerum vocabulis libenter utor, ne, Latinitatem nimis affectando, perpetuis circumlocutionibus uti cogar. Rheumatiſmum autem appello, ſignificatione uſitata magis quam Graeca propriaque, dolores illos quibus articuli & partes corporis muſculoſae vel membranaceae afficiuntur, ſive febris aliqua ſit, ſive nulla. Perſaepe enim accidit ut ſimul ac homines a dyſenteria liberentur, dolor humerum aut latus alterutrum occupet; interdum vero thoracem, aut brachia, aut crura, aut cranii integumenta. Hunc autem nullus rigor praecedit, neque comitantur febrium indicia: ſed plene ad normam rheumatiſmi chronici conſtitutus eſt morbus. Cujus mutationis exempla plura habeo, quam ut ſingula enarrare huic loco conveniat. Interdum quidem hominem & dyſenteria & rheumatiſmo laborantem curavi. Imo nonnunquam inteſtinorum tormina cum univerſi corporis gravi dolore conjuncta novi; praeſertim earum partium quae carnoſiores ſunt; dum femorum, exempli gratia, atque crurum carnes contractio tam violenta teneret, ut tota cutis livore inficeretur. Hoc vero praecipue accidit in autumno anni MDCCLXII, quo maxime vulgaris fuit

uterque

uterque morbus: ſed procedente anno & in hyemem vergente, conjunctio iſta morborum rarior fiebat; neque rheumatiſmus muſculos aegri aut membra prius corripere ſolebat, quam compoſita eſſent inteſtinorum mala: qui uſitatior eſt rerum decurſus. Nonnunquam, cum jam dyſenteriae diarrhoea ſucceſſerit, rheumaticus iſte dolor hominis latus, aut humeros, aut membra excruciat: unde liquet fluxionem alvi eſſe quidem naturae inſtrumentum quo amandetur a corpore acris iſta & morbida materies; hanc tamen ad ad aliam partem migrare poſſe, dum nihilominus pergat fluxio, quae jam quidem nullos inteſtinorum dolores excitat, ſed eſt interea ad morbi fomitem extinguendum plane inutilis.

In illa autem morbi translatione, fieri poteſt ut hic partem aliquam nobiliorem occupando, triſtiores ibi edat effectus quam nuper in ipſis inteſtinis ediderat. Cujus ſane infelix exemplum vidi aliquando in foemina mediae aetatis, habitus vero tenuis et irritabilis. Eam quidem a vehementi admodum dyſenteria nuper liberaveram, torminibus praeter ſolitum acutis & vomitu frequentiori exaſperata. At brevi poſt, dolorem ſentiit moleſtiſſimum in ima parte lateris ſiniſtri prope renem. Nimirum morbus e torminali factus eſt arthriticus, & ab inteſtinis migraverat in ſeptum tranſverſum, qua ad coſtas infimas muſculus iſte annectitur: atque ideo jam pro ſpecie paraphrenitidis jure haberi poſſet. Ibi ob perpetuum reſpirandi modum exacerbatus eſt dolor, & longe majus periculum conflatum. Neque tamen magnae febris indicia adfuerunt. Hoc rerum ſtatu, ſanguis quidem e vena brachii bis miſſus eſt, quantum vires corporis neque natura firmi, & praegreſſo morbo valde debilitati, permittere viſae ſunt. Tum *nitrum* liberaliſſime datum, adjunctis *oleo amygdalarum dulcium* & *ſale cornu cervi*; illo ſatis larga, hoc

hoc vero modica quantitate. Emplaſtrum quoque veſicatorium parti affectae applicatum: quod per tres vel quatuor dies magnam ſeri glutinoſi copiam extraxit. Nihil tamen interea mitigatus eſt dolor. Tum ad ſuras appoſita ſunt veſicatoria, & eodem tempore aquae calidae vapor ad locum dolore inſeſſum admiſſus: quae medicina & frequenter repetita eſt, & ſingulis vicibus per longum temporis ſpatium adhibita. Inde levamenti nonnihil percepit mulier; ſed quod cito abiit. Atque adeo fruſtra fuere omnia. Malo enim indies aucto, mortua demum eſt die duodecimo ex quo dolor latus invaſerat.

Neque hac ſola iſtorum morborum converſione manifeſta fit eorundem neceſſitudo: haud raro contraria ratione evenit ut ex rheumatiſmo fiat dyſenteria. Saepe novi in rheumatiſmo cum acuto tum diuturno, ubi alvum purgare expediit, ut plane dyſentericae eſſent dejectiones quas vel *guaiacina*, vel *ſalia neutra*, vel *mercurius ſublimatus dulcis* excitabat. Torminibus enim & dolore aſperrimo comitatae ſunt: muco fere totae conſtabant, ita acri ut juxta finem purgationis teneſmus inde oriretur, cum cruciatu fere intolerando recti inteſtini & ſphincteris ejus: ita ut per plures poſtea dies manſerit ibi teneritatis ſenſus permoleſtus. Quinimo curavi aliquando puellam viginti quinque annos natam, quae per totum corpus rheumatiſmo ita vexabatur ut immobilis fere vitam degeret; quod vix ullum ullius membri motum prae dolore tolerare poſſet. Poſtquam venaeſectione, & veſicatoriis, & *guaiaco*, & *nitro ſale cornu cervi* admiſto, ita fracta eſſet morbi vis ut foemina jam vitae munia libere obire poſſet, intra diem unum dyſenteria perfecta correpta eſt, cum dejectionibus valde mucoſis, teneſmo vehementi, torminibus perpetuis. Haec tandem medicamentis ceſſerunt; verum illico rheumatiſmus in artus

reverſus

reverſus eſt, non eadem quidem vi qua prius, ſed ſatis moleſtus tamen & ſatis pertinax. Eandem quoque morborum alternationem in vetula quadam notavi, ſed funeſtiori exitu. Illam enim, cum poſt rheumatiſmum dyſenteria laboraverat & haec quoque profligata erat, adeo atrox inceſſit ſecunda vice rheumatiſmus, ut effoetum & viribus ſuis exhauſtum corpus impar eſſet illius ſaevitiae ſuſtinendae. Denique in eodem homine tres hujusmodi viciſſitudines obſervavi; ita ut ter rheumatiſmum & ter dyſenteriam experiretur, priusquam ad perfectam ſanitatem reſtitutus eſſet.

Hoc quod inteſtinis intercedit cum artuum muſculis & membranis commercium, apparet quoque in colica *n*) Pictonum atque *o*) Damnonienſium, in ea qua inſulae Caribbeenſes Americanae infeſtantur, & in morbo illo truculento quem ſerius ocyus omnes illi experiuntur homines quorum opera quotidiana in plumbi aut in argenti vivi tractatione verſatur; pictores, exempli gratia, (operarii autem hi ſunt, non artifices) plumbarii, atque inauratores. In iſtis quidem affectibus, non ex inteſtinis in membra corporis, aut e membris viciſſim in inteſtina, fit materiae morbidae migratio: ſed eodem tempore haec et illa aegrotant. In omnibus quoque areſcit alvus. Tum dolores articulorum graviores ſunt & quaſi profundiores; quando vis morbida tendines & ligamenta magis occupet. Eſt & illa praeterea in reſolutiones nervorum & in morbum comitialem proclivior: denique, ut verbo dicam, deformior aegritudo &, ubi inveteraverit, longe pertinacior.

Illo-

n) Vide Franciſ. Citeſium de novo & populari apud Pictones dolore colico, cap. vi.

o) Vide Huxham, de dolore colico Damnon.

Illorum, quos e dyſenteria mortuos eſſe novi, plerique torminum remiſſionem paulo ante obitum ſenſerunt. In nonnullis aphthae ſub finem morbi eruperunt: in nonnullis alvi fluxus ceſſavit. Quibus fere omnibus, ſtupor & ſomnolentia brevi poſt incubuit, aut oborti ſunt ſudores gelidi; atque ita intra paucas horas moriebantur: ſive vis vitalis ab eluvie illa inteſtinorum exhauſta eſſet; ſive, quod probabilius videtur, & quod revera eveniſſe certis exemplis conſtat, ipſa inteſtina contabuiſſent, gangraena exitiali tacta. Sed felicior plerumque fuit morbi eventus: cum dyſentericorum, quibus meam curam adhibui, vix vigeſimum quemque amiſerim. Itaque ad illam medendi rationem qua fere ſemper utor, jam progredi licet.

CAPUT SECUNDUM.

De dyſentericorum curatione.

In aegris hisce adminiſtrandis id primum a medico conſiderari oportet, an conveniat ſanguinis miſſio. Si vero calor adſit, aut rigor aut pulſus juſto velocior, ibi nullus ſubeſſe poteſt dubitandi locus quin protinus inſtituatur venae ſectio. Iſta autem quamvis omnino abſint febris indicia, ſi tamen aeger habitu corporis pleniori ſit & ſanguine abundantiori, adhuc ſecare venam expediet. Ita enim periculum imminentis febris avertitur, & praecavetur aliqua ex parte rheumatiſmus ille qui adeo dyſenteriae ſuccedere ſolet. Imo utcunque haec ſint, at ubi dejectiones ſanguine inficiuntur, venae ſectio utile dabit ejus fluxioni diverticulum. Quin & alia eſt ejusdem medicinae commendatio; nempe quando

quando muſculorum & membranarum fibrae, ut & arteriarum tunicae, ſtrictiores ſunt, & ex levi quavis irritatione in contractionem proniores. Tali enim homini dyſenteria procul dubio convulſiones inteſtinorum & tormina comparabit praeter ſolitum aſpera & periculoſa. In hoc igitur caſu venae ſectio ſummam habet utilitatis rationem: cum ſit omnium forte remediorum, quae antiſpaſmodica dicuntur, praeſentiſſimum. Denique dolor ipſe torminoſus, ſi quando vehementior & pertinacior fiat, e ſanguinis miſſione prudenti lenimen capiet minime contemnendum. Quapropter cum tot ſe offerunt cauſae quae medico quaſi praecipiunt ut in hoc morbo ſanguinem detrahat, concludere licet curationem a venae ſectione initium ſumere debere, niſi adſint manifeſta ſigna quae eam prohibere valeant. Sunt illa fere habitus laxior & hydropi aptus, cujus haud raro poſt dyſenteriam periculum impendet; debilitas nimia ex inveterato morbo; horror aut ſudor gelidus; pulſus intermittens; dejectiones praeter ſolitum putridae; & quicquid inteſtinis corruptionem vel gangraenam ominari videtur. Ubicunque horum aliquid intercedit, ab omni ſanguinis detractione religioſe abſtinendum eſt; alioquin potiſſimum erit curationem ab illa ordiri. Quantum ſanguinis detrahendum ſit, aetate atque viribus aegrotantis definire oportet. Raro quidem plus unciis decem ex hominibus adultis educi, aut venam iterum ſecari, neceſſe habeo.

Miſſo ſanguine, proximum eſt ut ventriculi ſtatum reſpiciamus. Si autem vel frequentem ſentiat ille impetum vomendi, vel poſt ſumptos cibos nauſeam aut impeditam digeſtionem; ſi lingua diſcolor ſit aut muco obducta; ſi in ore acidus ſit ullus aut bilioſus ſapor, vel juxta pylorum flatus moleſtior; tum *ipecacoanham* dare ſoleo, ut omni inutili onere ventriculus levetur. Hanc autem medicinam tametſi multis dyſentericis non ae-

que neceſſariam judico ac venae ſectionem, nunquam tamen ex ea vel minimum incommodum aegro accidiſſe memini: cum contra, ea ommiſſa, vidi ubi caetera curatio lentius & difficilius procedere videretur. Quapropter, etſi non ita manifeſta ſint ventriculi male affecti indicia, erit tamen prudentius *ipecacoanhae* ſcrupulum unum poſt ſanguinis miſſionem praecipere; niſi forte ita jam debilitatus ſit homo, ut vomendi defatigationem ſatis ſuſtinere nequeat.

Hora una alterave poſt peractam vomitorii operationem, ad id medicamentum adminiſtrandum progredior, cui potiſſimum in dyſenteriae curatione confidere longa jam me docuit experientia. Id autem *ipecacoanhae* granum eſt unum, quod *aquae menthae vulgaris ſimplicis* ſeſcunciae & *ſpirituoſae* drachmis duabus immiſtum, vel *aquae alexeteriae ſimplicis* unciis duabus cum *confectionis cardiacae* drachma dimidia, ſumi praecipio ſexta quaque hora. Hac autem ratione ut *ipecacoanha* in dyſenteriis uterer, circa annum MDCCLVIII inductus ſum. Jam antea obſervaveram medicos quoſdam in artis uſu jamdiu exercitatiſſimos grana quinque bis dare ſolitos intra viginti quatuor horas, aut ſemel veſperi per tres vel quatuor dies. Cum ex iſta medicina tormina fere ſemper leniri animadverterem, ſed brevi poſt reverti ſolere, ſtatui experimentum capere num ſaepius repetita in minori quantitate levamentum afferret morbo magis durabile. Primum itaque grana quatuor praeſcripſi ut ter quotidie ſumerentur, aliquando etiam ut ſexta quaque hora. Medicamentum ita efficaciſſimum fore ſenſi ad omnia morbi mala debellanda, ſi modo aegrotis perſuadere poſſem ut in eo capiendo perſeverarent. Verum id omnino deſperandum erat, ob nauſeam & vomitionem tam ſaepe iteratas. Intellexi igitur medicamentnm, ſi brevibus adeo intervallis id repeti vellem, minori quantitate ſingulis vicibus dandum

dum eſſe. Cum autem obſervaſſem morbum fere ſemper eſſe diuturnum, & ideo curationem diuturnam ſponte admittere, operae pretium duxi *ipecacoanham* tam parva quantitate praeſcribere, ut nauſeam aut nullam excitaret aut facile tolerabilem: ſi forte iſto modo aegri in ejus uſu permanere diutius poſſent, & ſimul virtutem ejus in dyſenteria pellenda experirentur, ſi non praeſentem & perfectam, at certam tamen & uſu indies confirmatam. Ad hoc quoque me nonnihil commovit Gulielmi Piſonis auctoritas *p*); qui a Braſilienſibus in diarrhoea maligna ſive dyſenteria curanda, drachmas *ipecacoanhae* duas ter decoqui docet; neque minoris facit tertium decoctum quam ſecundum vel primum: imo plus etiam efficacitatem illius praedicat. At minime veriſimile videbatur tertio illi decocto ullam vim reſtitiſſe qua vomitum cieret; neque tamen idcirco inutile fuit, experientia teſte, ad morbum abigendum. Quapropter virtutem ejus non ex emetica poteſtate pendere concludebam.

His itaque rationibus inductus, in dyſenteria valde frequenti, quae anno MDCCLIX, incipiente autumno graſſata eſt, *ipecacoanhae* grana duo ſexta quaque hora modo ſupra memorato dedi. Et cum iſto tempore, ut & deinceps, Divi Thomae noſocomium magnam dyſentericorum frequentiam praeberet, experimenta fere quotidiana capere potui; quae ſummam methodi hujus utilitatem ſatis ſuperque demonſtrabant. Non multo poſt, unum tantum *ipecacoanhae* granum ſingulis hauſtibus immiſcere coepi: cum ex duobus granis nauſeam haud raro nimis diuturnam creari obſervaſſem: quod incommodum ex uno grano vix oriri, aut poſt breve tempus ceſſare, conſtabat. Exinde hac plerumque quantitate uti ſoleo: ni forte

U 2 tor-

p) De Indiae utriusque re naturali atque medica, lib. ii, cap. 9.

tormina adeo atrocia ſint, & ſanguinis dejectio tam larga & crebra, ut magis eniti medicum oporteat ut homo cito curetur, quam ut jucunde. Vbi ſic ſe res habet, minus moror ventriculi nauſeam; donec iſtam morbi ferociam, praeſcriptis duobus granis, aliqua ex parte compreſſiſſe videor; & tum demum unius grani praeſcriptione contentus ſum. Iſto modo dum jam per quatuor annos *ipecacoanham* quotidie fere dyſentericis adhibere pergo, in omni morbi varietate uſum illius innocuum & ſalutarem expertus ſum. Neque intereſt utrum acuta ſit dyſenteria, an chronica: utrum ſanguinem habeant dejectiones, an muco tantum conſtent. In omni porro aetate hominum, ſexu, conditione; & per omnes anni tempeſtates ſalutarem ſuam vim aeque edit medicamentum. Nolo equidem affirmare nunquam id meam ſpem fefelliſſe: rarius tamen hoc ab illo expertus ſum, quam ab ullo alio medicamento, ſi unius *corticis Peruviani* adverſus febres intermittentes virtus excipiatur.

Celebres nonnulli *q*) obſervarunt auctores *ipecacoanham* dyſentericis datam plerumque ſudores excitare; atque his efficacitatem ejus attribuerunt. Nonnunquam quidem poſt ſumptam *ipecacoanham* ſudores erumpunt; rarius tamen, niſi ubi nauſea afficitur ventriculus; quae a grano uno vix creari ſolet. Quanquam ſi de morbi natura conjecturam recte fecimus, fortaſſe nulla alia efficacior & celerior dyſentericis praeberi poſſet medicina, quam ut ſudores elicerentur copioſiſſimi: quod maxime efficeret *ipecacoanha opio* conjuncta. Hanc tamen curationem inſtitui prohibet teneſmus & perpetua dejiciendi neceſſitas, quae adeo dyſenteriae familiares ſunt; & quae hominem ſudoribus diffluentem ſaepe fere in vitae diſcrimen adducerent.

In-

q) Vide Jo. Freind, de febrib. commentarium quartum.

Invenienda eſt igitur ratio qua, ſine ſudoribus, *ipecacoanha* partes ſuas agat & dyſenteriam tollat.

Hac enim methodo adminiſtrata neque ventriculo nauſeam concitare ſolet, neque ſudores ullos movere. Plerumque tamen intra viginti quatuor horas virtus ejus, mutata inteſtinorum conditione, ſpectatur. Symptoma quod primum ei cedit, vel potius quid primum aeger ceſſiſſe agnoſcit, ſanguinis eſt in dejectionibus admiſtio. Deinde tormina & mitiora & minus crebra fiunt: neque jam teneſmus adeo moleſtus. Poſt duos fere dies, imo plerumque citius, aeger tolerabile ſatis, quod morbi reliquum eſt, agnoſcit: domeſtica enim munia pro libitu fere obire poteſt. Dolores quidem torminum ſentit adhuc, & per quinque, ſeptem, imo decem forte dies ſentire perget; verum facili negotio ſuſtinendos & indies miteſcentes. Dejectiones quidem non eadem ratione minuuntur: imo nonnunquam per dies aliquot majores fieri videntur. Aſperitatis tamen & acrimoniae minus habent; & poſt breve tempus & pauciores incipiunt eſſe & minores.

Cum autem curationis initio mera atque vera tormina aegro ſuſtinenda eſſent, poſt diem unum alterumve huic regimini datum, videtur illud fere evanuiſſe doloris genus; neque inteſtina male affici niſi in ipſis dejectionibus & ex acrimonia materiae praetereuntis; qua vulnerari tenera nimis inteſtina videntur, potius quam in tormina ſive convulſiones conſtringi atque implicari. Et haec quidem per dies aliquot percipi poteſt moleſtia: quamdiu autem illa perſtat, medicamentum quotidie ter vel quater repetendum eſſe moneo: adeo placide ventriculo inſidet; & ſine ulla hominis defatigatione per tot vices iterari poteſt. Quod ex ſequentibus hiſtoriis melius patebit.

Innupta quaedam foemina, quadraginta fere annos nata, ob rixas quas cum familia ſua & cum affinibus

agitaverat, adeo animo efferata eſt ut vitam ſuam abrumpere conſtituerit. Voravit itaque *mercurii ſublimati corroſivi* integram drachmam. Illico correpta eſt neceſſariis ſymptomatibus, calore nempe & cruciatu ſummo ventriculi & inteſtinorum. Pharmacopoeus, qui brevi poſt adfuit, aquam tepidam atque *oleum lini* copioſiſſime in gulam ejus ingeſſit, ut veneni partem vomitu educeret e ventriculo, aut ſaltem dilueret atque obtunderet. Poſt horas aliquot ad aegram ego ſum accerſitus. Hauſtum, praeſcripſi ſexta quaque hora ſumendum, qui *olei amygdalarum dulcium* & *aquae alexeteriae ſimplicis* ſingulorum unciam unam, cum *mannae* drachmis tribus habebat: cui poſt tres horas perpetuo interponendum erat enema ex *olei amygdalarum dulcium* tepefacti unciis quinque. Tum, idoneis intervallis, praecepi in juſculum ovinum ut copioſe inſtillaretur *lixivium tartari*, atque ita frequenter epotaretur: fore enim ſperavi ut ſal illud alcalinum, cum *mercurio corroſivo* in inteſtinis commiſſum, ſalia ejus acida ad ſe arriperet, & mercurium crudum fere & innocuum redderet. Quod ex ſententia ſucceſſit. Poſtquam enim per duodecim dies in hoc regimine perſtitiſſet, ab omni periculo & dolore liberata eſt. Sed die uno alterove exinde elapſo, dyſenteria vehementi correpta eſt, quam vomitus, & dejectiones mucoſae, & tormina acutiſſima comitabantur. Quapropter ſanguinis uncias octo detrahi juſſi; *ipecacoanhae* grana duo, in julepo ex *aqua menthae vulgaris ſimplici*, dedi ſexta quaque hora: & aptis intervallis; alium quoque hauſtum, qui *olei amygdalarum* unciam unam & *ſyrupi de meconio* drachmam unam continebat. His uſa remediis, intra triginta ſex horas e dyſenteria convaluit: ſed paulo poſt de haemorrhoidibus caecis conqueſta eſt; quarum tumor moleſtiſſimus erat, & ſummum cruciatum afferebat. Hae vero facile ceſſerunt *linimento al-*

bo

bo cui pars duodecima *extracti Thebaïci* admiſta eſt. Atque ita demum ex atrociſſimae mortis periculo evaſit & ad perfectam ſanitatem reſtituta eſt foemina.

Altera eſt hiſtoria mulieris cujusdam quae habitu corporis delicatiori erat, & aetatis annum fere trigeſimum quintum agebat. Ad illam vero vocatus ſum uno menſe poſt partum difficilem nondum peracto; cum eodem tempore dyſſenteria laboraret, & fluore albo, & ſedis procidentia. Fuit interea viribus valde attritis, cum ob partum nuperum, tum ob iſtam congeriem malorum qua conflictabatur. Ex his vero quandoquidem dyſenteria maxime urgebat, inprimis ventriculum leviori vomitorio exoneravi: dein *ipecacoanhae* granum unum in julepo uſitato ſexta quaque hora adhibui; interpoſito pro re nata hauſtulo ex *oleo amygdalarum dulcium* cum *ſyrupi de meconio* drachma una, ad tormina lenienda. Cum ex his medicamentis intra diem unum alterumve tolerabilior multo factus eſſet morbus, ad fluorem album compeſcendum *olibani* drachmam ſemis bis quotidie praebui; nequaquam intermiſſo *ipecacoanhae* uſu. Denique pro inteſtini recti debilitate fotum praecipi ex *decocto gallarum*. Quotidie autem mala mitiora fiebant, & viribus aliquid accedebat: ſed priusquam dyſenteria penitus abiret, *ipecacoanham* ſumpſit per totos dies viginti ſex. Dyſenteriam ſubſequebatur diarrhoea, quae tandem ſublata eſt uſu *electarii e ſcordio*. In caeterorum medicamentorum uſu perſiſtebat adhuc per duas hebdomadas; & tum demum perfecta ſanitate & integris viribus fruebatur.

Ex duobus hiſce exemplis, ſive in illo conſideretur conditio inteſtinorum, ex ſumpto veneno, cum demum foeminam adoriretur dyſenteria; ſive, in hoc, diuturnitas morbi in corpuſculo tot ſimul malis debilitato; ſatis patet, ni fallor, quam tuta ſit quamque efficax iſta curatio. Quibus & illud addi debet; ſcilicet

in lue venerea, & inter unctionem *mercurialem* mediam, haud infrequenter homines dyſenteria corripi, cum mucoſa, tum ſanguinea. Cujus ſimul ac apparent ſigna, hanc medendi rationem, intermiſſo pauliſper *unguenti coerulei fortioris* uſu, ſtatim adhibere ſolitus ſum. Neque unquam obſervavi vel recentiorem hunc morbum medicationi illi diu repugnare, vel primariae curationi incommodum ullum aut difficultatem ideo oboriri.

Interea, dum iſto modo *ipecacoanha* in uſu eſt aegro, per intervalla hauſtulum oleoſum, cui drachma una adjuncta ſit *ſirupi papaveris albi*, bis vel ter quotidie ſumendum nonnunquam praecipio. Inde enim dejectionum acrimoniam retundi & tormina mitigari compertum eſt. Hoc tamen vix opus erit niſi per diem unum alterumve in principio curationis, & ubi morbus vehementior ſit.

Dum haec ita componuntur, in victu aegrorum ordinando non nimis ſevere res gerenda eſt. Cum enim febris plerumque omnis abſit, & cum hominum vires, ob perpetuas exaninitiones, haud minima refectione indigeant; praeter juſcula, & gelatinas, & quae ex ovis & lacte praeparantur, nonnunquam carnes pullorum gallinaceorum, aut vitulinas, aut etiam ovinas, concedere fas erit. Verum ab omni alimento quod irritare poteſt, aut flatum intus generare, aut calorem nimium accendere, ſumma cautione abſtinere oportet.

Supra monui fugatae jam dyſenteriae diarrhoeam ſuccedere ſolere. Et ut hanc rite praevideat, eique curam ſuam apte accommodet, haud minima opus erit medico vel ſagacitate vel diligentia. Opiatis enim medicamentis, & iis quae vim aſtringendi habent, dejectiones alvi praepropere ſiſtere, morbi fomite nondum extincto, plenum temeritatis eſt & periculi conſilium.

ſilium. Vnde ſumma auctoritate medici curationem dyſenteriae medicamentis chatharticis plerumque inſtituunt. Adque hanc quidem commendationem ſingularem habere viſa eſt illa medendi ratio quam ſupra expoſuimus, quod ea ſcilicet eodem tempore doloris atque torminum allevationi conſulit, & materiae, qua continetur morbus, expulſioni. *Ipecacoanha* enim iſto modo data, procul dubio apta eſt ad laxandam potius quam ad occludendam alvum: quae porro ſimul facilior fiet & ſolutior ex uſu hauſtus illius anodyni & oleoſi. Ita ut periculo forte haud vacabit res, ne, n iſſa dyſenteria cum ſuis torminibus & teneſmo & dejectionibus aſperis, perſtet tamen diarrhoea, atque tandem aegrum exhauriat, opprimatque. Quocirca, ubi ullam hujusmodi ſuſpicionem infert vel morbi vel hominis indoles, mihi ſolitum eſt, pro hauſtu oleoſo illo, alium ſubſtituere qui *electarii e ſcordio* ſcrupulos duos in *aqua cinnamomi ſimplici* ſolutos continet. Poſtea vero, cum dolor & caetera dyſenteriae ſymptomata abierint, ſi adhuc moleſta ſit diarrhoea, ad eam tota convertenda eſt & aptanda curatio. Cui materiam idoneam ſuppeditabit *decoctum album* dupla vel tripla quantitate *gummi Arabici* paratum; vel *rhabarbarum torrefactum cinnamomo* adjunctum; vel decoctum corticis *Simaroubae*; vel *extractum* ſive *decoctum ligni tinctilis Campechenſis*; vel *electarium e ſcordio*; vel *lac vaccinum* quod *cinnamomum* & *quercus* & *granati cortices* incoctos habeat; vel denique, quo mea experientia nihil efficacius adhuc novit *lac vaccinum*, cujus in libra una, dum calore ebullit, ſevi ovilli uncia una liquefacta ſit.

Vbi profectiori aetate aegri ſunt, aut morbi diuturnitate fracti; praeſertim vero ſi pulſus langueat, & lingua muco foetido obducatur, & caloribus ſubitaneis facies & volae manuum incandeſcere ſoleant, aut ſu-

dores ſaepius & largius erumpere; hiſce in caſibus egregium conferet auxilium *cortex Peruvianus;* ſi modo id praecaveri poteſt, ne alvum iterum dejectionibus ſolvat. Hoc vero optime curatum erit, *corticis* ipſius drachmam dimidiam cum *rhabarbari torrefacti* granis quinque in boli formam componendo, aut *decocti corticis* unciis tribus *tincturae cinnamomi* drachmas tres immiſcendo. Horum medicamentorum alterutrum ter vel quater quotidie optimo effectu adhiberi poteſt.

Dyſenteria demum his remediis debellata, ſaepe, quod ſupra obſervavi, rheumatiſmo corripiuntur homines: doloribus nempe arthriticis vel inter ſcapulas excitatis, vel in latere alterutro, vel in collo, vel in cranii tegumentis, vel in brachiis, vel denique in cruribus. Cautione vero opus eſt dum novum hunc hoſtem aggredimur. Medicamenta enim quae plurimum contra rheumatiſmum valent, cum acre quiddam & ad obſtructiones reſerandas idoneum habeant, periculum idcirco inferent ne inteſtina denuo irritentur, atque adeo ne dyſenteria reducatur. Quapropter neque *guaiacum* in hoc negotio, neque *mercurius ſublimatus dulcis*, neque *nitrum*, neque *ſalia volatilia* temere adhibenda ſunt: ſed res agenda potius iis remediis quae vim poſſident antiſpaſmodicam dictam, & quae ſimul perſpirationem cutaneam augere poſſunt. Talia ſunt *caſtoreum*, *moſchus*, & radix *valerianae ſylveſtris.*

Quinetiam, cum hi dolores omni febre ſemper fere carent, optimum eſſet ſudores copioſiſſimos movere: quos, ubi aeger iſtam medicationem admittere non nimis gravetur, nihil aeque praeſtabit ac pulvis qui *ipecacoanha* & *extracto Thebaïco*, ſingulorum granis duobus, cum *nitro* & *tartaro vitriolato* ſingulorum granis octo, conſtat. Hic ſemel ſumptus, aegro interea in lecto concluſo & ſtragulis bene cooperto, plerumque ſudores ſatis largos eliciet: ſin minus, poſt ſex

vel

vel ſeptem horas repetendus eſt. Aegro interim affatim bibendum eſt de aqua hordeata, vel potius de *ligni guaiaci* & *radicis glycyrrhizae* decocto. Atque ita per horas decem vel duodecim uberrimi manabunt ſudores; quibus neque valde attritae erunt aegri vires & tamen e corpore magna ex parte evehetur ſerus iſte glutinoſus & acris quo continetur morbus.

Ubi vero hanc curationem ob taedium illius & moleſtiam recuſant homines, aut propter vires ſuas jam deminutas non debent admittere, ad emplaſtra veſicatoria confugiendum eſt. Haec autem ad partem dolore affectam applicare oportet; & quoties ad aliam partem migraverit dolor, illa eidem affigenda ſunt. Aeger interea cibis benignioribus nutriendus eſt. Danda quoque ſunt medicamenta qualia ſupra memoravi; quae vires vitae ſuſtinere poſſunt, neque tamen calorem nimium ſuſcitare aut inteſtina irritare.

Hujus curationis exemplum ſubjungere libet, in homine ſcilicet annorum fere quadraginta; qui poſtquam per ſeſquimenſem dyſenteria laboravarat, conſilium a me petiit. Vomitus aderat valde frequens; dejectiones mucoſae creberrimae; torminum cruciatus intolerabilis. Inde adeo exhauſtae ſunt vires, ut pedibus ſtare plane nequiret; imo vix ſedendo cervicem poſſet erectam ſervare. Dato primum *ipecacoanhae* ſcrupulo uno ventriculum exoneravi: & dein ſexta quaque hora ejusdem radicis granum unum in hauſtu uſitato ſumendum praecepi. Brevi dyſenteria liberatus eſt homo: ſed continuo fere doloribus graviſſimis correptus eſt, qui tertio quoque vel quarto die ſedem ſuam mutare ſolebant. Veſicatoria applicavi partibus quas dolor occupaverat; atque ſimul hauſtum cardiacum, qui *radicis valerianae ſylveſtris* drachmam dimidiam continebat; ter quotidie ſumendum juſſi. Hujus vero loco, cum poſt ſex vel ſeptem dies de dyſenteria

recidiva

recidiva minus jam metuendum videretur, *decocti corticis Peruviani* uncias tres cum *tincturae guaiacinae volatilis* guttis triginta dedi. Denique poſt menſem unum his remediis tributum, ad perfectam ſanitatem reſtitutus eſt homo: cum, iſto temporis ſpatio, octo applicata eſſent veſicatoria; nempe inter ſcapulas, ad brachia, ad ſuras, poſt aures, & ad occiput; prout ab alia parte in aliam ſe tranſtulerat dolor.

CAPUT TERTIUM.

De cauſis dyſenteriae.

Mirum procul dubio nonnullis videbitur & fortaſſe abſurdum, ſi poſtquam expoſuerim quicquid in promptu eſſet quod ad dyſenteriae hiſtoriam atque curationem pertineret, nunc demum de cauſis ejusdem dicere aggredior, & de viribus quibus pollent ea medicamenta quae ab illius injuriis inteſtina expediunt. Scilicet diverſa plane ratione agunt plerumque ſcriptores medici. Cum enim diſciplinam ſuam ad juſtae ſcientiae ſpeciem effingi velint, protinus experimentis quibuscunque & obſervationibus contenti, quae caſu forte aut ſponte ſub oculis feruntur, concluſionem inde eliciunt quam maxime univerſalem, & ea tanquam morbi theoria utuntur, rerum teſtimoniis probata & ſtabilita. Haec itaque philoſophandi ratio, quam analyticam appellare ſcholae philoſophorum ſolent, apud medicos plerumque nimis feſtinata eſt & exiguo nimis fundamento extructa. Dein vero iidem, ſynthetica ratione magis gaudentes, concluſionem, quam analyſi iſta utcunque eruerunt, tanquam principium jam demum

demum conceſſum, aſſumunt; ſecundum eam omnia morbi ſymptomata recenſent, curationis ſcopum dirigunt, ſeligunt medicamenta, & eorum denique vim & effectum explanant. Hac porro via inſiſtentes ſolos ſe, inter medicos, philoſophorum nomine dignos arbitrantur; ſolam ſuam medicinam pro vera, ſolida, rationali praedicant. Vnde ſane mihi, contrariam adeo ſemitam calcanti, haud obſcure verendum videtur, ne alienus a philoſophia, denique ne empiricus audiam. Sed omnem iſtiusmodi ſollicitudinem brevis rei animadverſio tollit. Medicina enim nequaquam inter eas facultates numeranda eſt, quae analyſi parca & anguſta contentae eſſe debeant; ſyntheſin vero copioſam & exquiſitam poſtulent. Hanc forte atque illam admittere poſſunt nonnullae quidem diſciplinae, quae circa res verſantur quarum ſtructura ſimplex eſt & ordo certus: quales ſunt mechanica, chemia, aſtronomia. His enim quae ſubjecta eſt materia, ſenſibus noſtris plurimum patet; haud multis elementis conſtet; neque ulli eſt varietati aut diſſimilitudini obnoxia, ſed ſemper & ubique eadem. Vnde modica ſufficit diligentia ad illius cauſas & principia indaganda: quorum, cum ſemel explorata ſunt, manifeſta eſt applicatio, fructus uberrimus. Longe aliter ſe medicina habet. Morborum enim origines plerumque tenebris involutae ſunt, cauſae maxime complicatae, ſpecies ſive formae perpetuo mutabiles, decurſus denique atque exitus ii de quibus conjecturam quidem facere poſſumus, raro nosmetipſos ſecuros reddere. Quae cum ita ſint, nihil imprudentius vel inconſultius excogitari poteſt, quam in tam ardua, tamque dubia re, auxilium ullum ſponte praetermittere; & de morborum naturis pronunciare, priusquam ipſa curatio perſpiciatur, &, eorum quae vel innuant vel laedunt, rationes expendantur.

Quod

Quod autem ad medicamentorum delectum attinet, vereor ut unquam id negotium philoſophiae auſpiciis geſtum ſit; ſcilicet ut ex morbi natura prius intellecta, & ex laeſae cujusdam functionis contemplatione, certum aliquod remedium veſtigatum ſit quod, vi propria & peculiari, ad iſtam functionem emendandam, atque adeo ad ſanitatem reſtituendam, valeret. Namque in ipſo hoc morbo, *ipecacoanhae* uſus ſatis demonſtrare poteſt quam longe aliter res evenire ſolet. Cum enim ille apud incultos barbarosque Braſiliae incolas, more a majoribus tradito, increbuiſſet; apud eos occaſionem nactus eſt medicinam iſtam Americanam obſervandi medicus Batavus, Gulielmus Piſo; unde demum eam in has Europae oras intulit. Cujus ſimile quiddam, ni fallor, de caeteris quoque remediis praeſtantioribus dici poteſt; & debet quidem: non autem medicorum vel pudore malo, vel falſa ambitione, tegi atque diſſimulari. Neque enim iis, neque arti eorum, vitio vertendum eſt, medicinam non ea initia habuiſſe, quae forte geometria habuit, aut dialectica, aut philoſophia moralis: id eſt, non ex ipſa ratione natam & procreatam fuiſſe, Satis erit iis ſi, ratione adjutrice, medicamenta quae natura vel caſus primum monſtraverat, & quorum vulgaris tantum erat & temeraria commentatio, ſedulo excuſſerint; & ad corporis humani functiones, ad aetatum vires, ad morborum denique tempora accommodaverint. Tum demum fas erit de naturis morborum quaerere & de remediorum viribus. Quaeſtiones enim iſtae & jucunditatis habent plurimum, cum effectuum, quos edi videmus, cauſas & rationes retegere poſſint, & utilitatis etiam, cum medendi uſum ab experimentorum fluctuatione ad quandam quaſi ſcientiae ſtabilitatem poſſint revocare. Praeterea, haud raro ex iis fiunt concluſiones quae ad aliorum morborum indolem intelligendam & remedia

remedia invenienda medicum inſtruunt. Quare jam tandem de dyſenteriae natura & de *ipecacoanhae* operatione nobis agendum eſt.

Duo vero ſunt quae in hoc morbo maxime animadvertere oportet; tormina nempe &, quem dejectiones manifeſtant, mucus glutinoſior acriorque. Quorum utrum prius in aegri corpore locum habeat, atque adeo alterius cauſa ſit, inprimis videndum. Haec autem quaeſtio, de mali origine ſolidarum partium, an humorum potius, vitio imputanda, cum ad omnes fere morbos olim pertinuiſſet, eſt in dyſenteria explicanda inter recentiores etiam medicos aliquando agitata. Nempe haud defuere qui pro cauſa morbi primaria convulſiones inteſtinorum habuerunt; & mucum, quo conſtant dejectiones, vi torminum ex inteſtinorum tunicis abraſum reputarunt; cum prius nihil nocivum aut praeter naturae morem ille contineret: quanquam, continuatis ſpaſmis iſtis, tandem degeneraret & morbidus evaderet.

Verum huic ſententiae repugnant omnino ea quae de dyſenteriae hiſtoria certiſſima fide accepimus. Acrimonia enim illius muci procul dubio irritat inteſtina & tormina inducit. Id quidem ſatis apparet vel ex tempeſtate anni, qua frequentior fieri dyſenteria perpetuo ſolet. Poſt ſolſtitiales enim aeſtatis calores, humidior & frigidior autumni ſpiritus hunc morbum frequentius revocat. Iſthaec autem aëris mutatio, cum in cutim & in vaſcula ejus imprimis agat, perſpicuam adfert rationem cur humoris corporis immutentur quoque & vitientur; diminutionem nempe perſpirationis cutaneae, & majorem factam ſeri atque lymphae, toto corpore, & copiam & ſpiſſitudinem; non item cur in ſpaſmos illico concitentur inteſtina, nullo adhuc vitio humoribus oblato. Novimus praeterea, eadem tempeſtate & ob eaſdem cauſas, rheumatiſmum quoque frequen-

frequentiſſimum fieri. Qui morbus certo certius humore quodam acri & ſpiſſo continetur: nullos autem ſpaſmos inteſtinorum agnoſcit. Hi vero dyſentericis neceſſario oborientur, ubicunque humores ea conditione ſunt, ut in cavitatem inteſtinorum effundantur inſolita copia atque aſperitate. Quapropter tormina, huic morbo adeo familiaria, non primarium in eo locum habent; ſed ortum ſuum debent muco acri & glutinoſo in inteſtina effuſo. Qui ideo pro materia ducendus eſt, de qua naſcitur & in qua continetur morbus.

Inteſtinorum igitur tunicae; muco hoc morbido vellicatae, in convulſiones ſive tormina frequentius ſtringuntur. Tormina vero arteriarum exhalantium oſcula & glandularum ductus excretorios comprimunt, atque adeo humoris iſtius vitioſi effuſionem largiorem perpetuo ſollicitant: ita ut id quod primo effectus erat, jam cauſae vice atque munere fungatur. Materies enim mucoſa, qua conſtant dejectiones dyſentericae, longe diverſa eſt a muco illo naturali & innocuo quo oblinuntur inteſtinorum latera cava: ſiquidem hic in ipſis morbi initiis abraſus omnino vi torminum videtur; in ejus vero locum ſuccedere, & futuris dejectionibus materiem ſuppeditare, morbida quaedam ſcaturigo, a glandulis & arteriis inteſtinorum continenter profluente. Hanc vero dyſenteriae originem primus, quod ſciam, medicorum veterum Alexander Trallianus *r*) perſpicue & ſincere deſcripſit: qui, eodem quoque loco, inteſtinorum exulcerationem morbi non cauſam, ſed effectum potius eſſe, recte agnovit.

Sanguinis vero in dejectionibus dyſentericis admixtio, partim quidem acrimoniae humorum, ſed praecipue vi torminum tribui debet. Raro enim ita larga eſt

r) Lib. viii. cap. 8.

eſt ut inſigniori ullo vaſae, vulnerato aut rupto, provenire videatur: ſed potius ramis arteriarum minutiſſimis ſuper tunicas inteſtinorum reptantibus; imo tunicis ipſis, quae cum, aſperitate humorum illabentium, nimis jam abſterſae ſint & teneriores factae, tum accedente convulſionum impetu facile laeduntur & cruentantur. Sanguis autem qui inde effuſus eſt, quam primum tormina illa conſopiuntur, euaneſcit: quod in morbi curatione ſatis patet. Sumpto enim bis terve *ipecacoanhae* grano uno, dolor torminoſus plerumque delinitur aliquatenus, & ſimul ſanguinis excretio ſiſtitur. Hoc autem minime attribui poteſt virtuti ulli qua radicis iſtius tam parva portio diſruptas arterias aut venas vulneratas conſtringere & conglutinare poſſit; ſed potius placatae a medicamento torminum violentiae: quo facto, ſanguis haud amplius vaſculis & membranis excutitur. Quod confirmat quoque obſervatio illa quam ſupra memoravi; ſcilicet dyſenteriam ſanguineam, qua feminae aflictabantur, erumpentibus catameniis, inducias dediſſe. Iſthaec enim ſanguinis menſtrua fluxio parcior eſt & lentior, quam ut pro diverticulo quovis aut revulſione haberi poſſit: ſed, dum id negotii peragitur, univerſum corpus femineum quiete quadam & relaxatione fruitur; qua cum pacata eſſent dyſenteriae tormina, ſimul deſinebat ſanguis e tunicis inteſtinorum exprimi.

Quod autem attinet ad guttas illas ſive lineas ſanguinis, quae ſub finem morbi dejectiones nonnunquam tingunt; illae quidem, ut jam obſervatum eſt, ab induratis proferuntur alvi recrementis; quae poſtquam diu in tenuioribus inteſtinis delituiſſent, tandem, redintegratis viſcerum & muſcolorum viribus, expelluntur; & a recto & ſphinctere ejus ſanguinem ita eliciunt.

De muco autem quo, maximam partem, dyſenteri

cae dejectiones conſtant, haud valde difficilis aut dubia eſt diſceptatio. Multa enim & varia indicia ſatis oſtendunt hunc humorem ejusdem plane indolis eſſe, cujus & ille cui rheumatiſmus ortum ſuum debet. Scilicet vel ex proclivitate naturae, vel ex vitio ciborum, vel ex autumnalis coeli e caloribus in frigora converſione, ſeroſi hominum humores glutinoſiores fiunt & acriores. Poſtquam ergo ita vitiati ſunt, ſi artus cujusvis membranam cellularem impleant, fibras muſculoſas & nervos & tendines & articulorum ligamenta vellicant; dolorem excitant; artum iſtum minus aptum moveri efficiunt; rheumatiſmum denique vel chronicum, vel, accedentibus febricitandi cauſis, acutum inducunt. Si vero iidem ab abdominis viſcera dirigantur, & per vaſa exhalantia & per ductus glandularum excretorios, in cavitatem inteſtinorum emittantur; tormina, crebras dejectiones, & caetera dyſenteriae ſymptomata afferunt. Quae horum morborum affinitas & communis natura liquido apparet ex omnibus fere quae de utravis novimus. Apparet imprimis ex eo quod jam dictum eſt de facillima dyſenteriae converſione in rheumatiſmum; quae fere neceſſario fieri debet & ſolet, ubicunque dejectiones dyſentericae prius ceſſaverint quam ex inteſtinis penitus eliminatus fuerit mucus ille morbidus quo conſtabant; aut ubi totius corporis habitus muco iſto adeo copioſe perfuſus ſit, ut, ſuppreſſa ſemel illa derivatione quae ex inteſtinis fiebat, alia quaedam corporis pars eodem humore ſupra modum abundet, & inde male ſe habeat. Sequitur praeterea eadem concluſio, & quidem longe fortior fit, ex allatis exemplis rheumatiſmi in dyſenteriam mutati. Eandem porro confirmat multiplex obſervatio, qua conſtat utrumque morbum eadem anni tempeſtate, & ob easdem coeli affectiones, maxime vulgarem fieri ſolere; utrumque porro in idem homi-

num

num genus atrociſſime ſaevire; in nautas ſcilicet, diuturnis navigationibus perfunctos.

Quinimo utrisque par medendi ratio & plane conſimilis convenit. Dyſentericis enim quamvis, naturae conſilio, egeritur dejectionibus morbida materies; vidi tamen ſemel & ſaepius ubi in dyſenteria recidiva ſolum emplaſtrum veſicatorium inter ſcapulas applicatum, & tormina & muci ex alvo egeſtionem ſedaverit; cum interim ſerum ex parte ſubjecta educeret, quod muci dyſenterici indolem planiſſime referebat; ſpiſſum nempe, glutinoſum, atque ita acre ut, dum amoto emplaſtro guttatim defluebat, cutim irritaret, rubefaceret, corroderet denique & exederet: eodem plane modo quo mucus dyſentericus inteſtinorum tunicas nonnunquam afficere ſolet: quod in rheumatiſmo vehementiori fere ſolenne eſt, ubi veſicatoria ad partem dolore affectam applicantur; rarius vero in dyſenteria accidit, quoniam ibi magna humorum aqueorum affluentia diluitur & temperatur muci glutinoſi acrimonia; ita ut vix, niſi in ſummo morbi gradu, effectus iſte in inteſtinis obſervetur. Vbi vero dyſenteria jam forte nimium inveteraſſet, & aeger ob dejectionum crebritatem in extremum pene diſcrimen adductus eſſet; haud raro in ipſo curationis meae initio veſicatorium inter ſcapulas applicari praecepi; cum eodem tempore *ipecacoanham*, modo ſupra expoſito, darem. Quod nunquam non feliciter ceſſit. Quicquid enim iſta ratione eductum eſt, inteſtinorum affectui detrahitur: adeo ut dyſenteriae occurratur, medicinam ita faciendo quaſi illa jam rheumatiſmum in ſe contineret. Denique hanc morborum ſimilitudinem toties jam obſervavi & perſpexi, ut dyſenteriam jamdudum pro rheumatiſmo inteſtinorum habeam; minime quidem eodem ſenſu quo *) Caelius Aurelianus hanc appellatio-

*) De morb. chron. lib. iv. cap. 6.

lationem dyſenteriae adhibet. Apud eum enim rheumatiſmus nihil aliud quam humoris defluxionem ſignificat. Nos vero, id vocabulum a doloribus artuum & muſculorum ad inteſtina transferendo, ſimilem plane utriusque morbi cauſam & materiam eſſe contendimus.

CAPUT QUARTUM.

De actione ipecacoanhae *in dyſentericos.*

In morbi curatione interpretanda, praecipua eſſe debet *ipecacoanhae* conſideratio. Hujus vero efficacia e duabus facultatibus pendere videtur: primo nempe, quod alvum ſolutiorem reddat, atque ita humorem, quo morbus naſcebatur & quo continetur, e corpore expellat; ſecundo vero, quod inteſtinorum tunicas relaxet, atque torminum violentiam infringat; unde doloris maxima pars detrahitur, & adeo tolerabilis ſit morbus, ut plerumque ſine magna moleſtia aeger expectare poteſt dum materiem morbidam dejectiones e corpore penitus egeſſerint. Hoc autem anodyni medicamenti officium ſumma cum aegri incolumitate praeſtat *ipecacoanha*, & nullo prorſus incommodo ſuperveniente: cum ſi opiatis eadem res tentata eſſet, fieri non poſſet quin, ex eorum uſu tam frequenter repetito & tam diu continuato, ingens & non unius generis periculum vitae & ſaluti hominis impenderet. Huiusmodi autem vim ullam antiſpaſmodicam ut *ipecacoanhae* competere credamus, novum forte quiddam & pleriſque minus probabile videbitur. Neutiquam tamen ſine idoneis rerum teſtimoniis hanc ſententiam amplexi ſumus. Sumpta enim ſemel iterumve *ipecacoanha*, fere ſemper lenior

or fit dolor torminoſus; quanquam dejectionum materies parum aut nihil de ſolita acrimonia ſua & aſperitate remiſerit; quam ſentiunt adhuc inteſtina, dolore affecta quidem, non tamen, ut prius, in ſpaſmos agitata & conſtricta. Hoc autem non aliam explanationem admittit, niſi quod medicamentum inteſtinorum tunicas ita mulcet & relaxat, ut deſcendentis muci irritatio nequeat illas in tormina contrahere. Eodem pertinet ſanguinis effuſio ab *ipecacoanha* retardata, & ſuppreſſa: namque alieniſſima quidem ab illius indole omnis eſt aſtringendi vis, qua vulnerata vaſculorum ſanguineorum oſcula tam cito comprimere & occludere poſſet. Sed cum virtus ejus antiſpaſmodica tunicarum convulſiones jam impedierit & praeverterit, non adeo agitantur illae, neque adeo diſtenduntur & comprimuntur arteriae & venae minutae quae ſuper eas decurrunt.

Quinetiam aliis quoque indiciis ſatis patet iſtaec *ipecacoanhae* antiſpaſmodica vis. Quid, quod ipſa vomendi actio exinde aptiſſime deduci poteſt? Vomitionem enim & oleum infert, & aqua tepida: quae iſtam vim ſine ulla controverſia poſſident. Ipſo quoque *opio*, cui ſumma ineſt relaxandi poteſtas, ventriculum nonnunquam ita fuiſſe affectum, haud dubie compertum eſt. Hoc tamen rarius accidit; propterea quod ſuccus iſte, dum ex praeſcriptis medicorum aegrotantibus adhibetur, plerumque vel in *vino albo* liquatus eſt, vel cum aromatibus, & iis quae ventriculum confirmare poſſunt, conjunctus. Caeterum in omni nauſea, ventriculi noſtri fibras reſolvi potius quam contrahi, ipſi ſentimus. Nimirum tunica ventriculi muſculoſa fibras habet nonnullas quae os ejus ſuperius, ſphincteris modo, muniunt; tum alias etiam quae per ejus longitudinem pylorum verſus tendunt, & cibos deorſum in inteſtina trudunt His autem & illis nimium forte rela-

xatis, muſculi abdominales, preſſione ſua, quicquid ventriculus continet retrorſum agunt in oeſophagum: tum etiam ſeptum transverſum, dum äer emittitur e thorace, aſcendit; aſcenſu iſto ventriculus ſurſum trahitur; & fit vomitio. Adeo ut minime mirum videri debet, quod *ipecacoanhae*, vomitòrio nempe certiſſimo, vim relaxandi adſcribimus.

Eadem porro facultas in eo perſpicitur, quod *ipecacoanha* cum *opio* conjuncta ad laxanda cutis univerſae vaſcula omni alio medicamento potior eſt; & ſudores blandiſſimos & copioſiſſimos movet. Id vero non ita vulgo notum eſt, eandem quoque aſthamatis ſpaſmodici remedium eſſe longe praeſtantiſſimum. Scilicet ubi tanta contractio bronchia tenuit & membranaceas pulmonum cellulas, ut nulla fere concederetur äeri ingreſſio; & ubi nullum fuerat auxilium in venae ſectione, in emplaſtris veſicatoriis, in *gummoſis graveolentibus*, in *ſcilliticis*, in *ſalibus volatilibus*, in *moſcho*, in *camphora*, in ipſo denique *opio*; repetito tamen *ipecacoanhae* uſu, contractionem illam ſaepius reſolutam vidi, atque adeo recuperatam ſpirandi libertatem & homines a propinqua morte ereptos. Sed de hac re alias forſan erit opportunior dicendi locus.

V. Pe-

V.

PETRI VAN ELSAKER,

apud Antverpienſ. Medicin - Licentiat. Practic.

SPECIMEN MEDICO-PRACTICUM

FEBREM REMITTENTEM CONTINUAM BILIOSO PUTRIDAM,

Anno 1772. Antverpiae & per plures Belgii ac Europae civitates epidemico impetu graſſatam EXHIBENS &c.

Antverpiae, 1774.

PROEMIUM.

Licet ex Praefationibus elegantiſſimis allicientiſſimiſve vix quidpiam utilitatis Lectores haurire conſueſcant, equidem, cum hos praemonêre horumque ad legendum erigere animos moris ſit, ne & extraordinarius his videar, paucis quoque praefari, inculto licet calamo, conſultum duxi, decrevi, volui.

Igitur, quamquam perdifficilis publicè ſcribendi pruritus me huc usque vix umquam ſtimulaverit, excitaverit momorderitve, utpote, qui mecum habito, nec ignoro quam ſit mihi curta ſuppellex, quotque & quales ſibi aſſumat judices, qui typis palam ſua ſcripta edit; aſt cum quidam extraneus cordatiſſimus expertiſſimusque Medicus coaetaneus nec ultimus inter Amicos numerandus, Anno elapſo 1773 febris noſtra in urbe, ut audiverat, popularis hiſtoriam, genium curantique methodum à me litteris requiſiviſſet, huicque tam aequae petitioni aliquatenus ſatisfacere intendens perdocto huic Viro & integerrimo Practico, quam exploraverat hujus febris praeſertim inter popellum graſſatae enarrationem & expoſitionem compendiosâ epiſtolâ reſponſoriâ transmiſi, quam poſtea recolligens & perſcrutans ex variis optimis Auctoribus propriiſve adverſariis depromptis annotationibus & obſervationibus auctam in proprium uſum adaptavi, & inter alia manuſcripta noſtra conſervanda ſepoſui & collocavi, aſt hoc demum anno illisque menſis Julii diebus ſerenis fauſtisque, quibus inclytus Archidux Auſtriacus *Maximilianus* ſuo cum Nobiliſſimo Concomitatu urbem noſtram intrare, viſitare, condecorare & exultare dignatus fuit, obque hujus perpetuam rei memoriam annalibus

 noſtris

noſtris inſerendis, cum 27 illius menſis die poſt conſultationem de binis aegrotis nobilibus morbis chronicis laborantibus, curae noſtrae commiſſis cum clariſſimo illuſtriſſimoque Domino *Stunzero* ſereniſſimi Archiducis Archiatro celebratam, inter varia colloquia, utinam longiora! mox exactiſſimus, vigilantiſſimus ſua ſorte promerita digniſſimus Medicus à nobis ſedulo indagaret & requireret; qualis urbis noſtrae eſſent ſitus, ſolum, aër & aquae, civium cibus & potus, vivendi modus moresque, ac quales horum morbi vulgares endemici, ſporadici popularesve, quaeque noſtra horum curandi methodus, &c. quibus quaeſtionibus phyſico-medicis pro re nata brevibus reſpondens, huic in his curioſiſſimo perſpicaciſſimo & exercitatiſſimo Medico & excellentiſſimo Archiatro ulterius ut pro viribus ſatisfacerem & ſic forte placerem, mox hoc qualecumque manūſcriptum privato uſui noſtro appropriatum rudi modo collectum neglecto inordinato & variato ſtylo exaratum ex ſcrinio noſtro, in quo cum aliis hujus farinae filiis hoc ſepoſueram, protuli, moxque praelo ſubjicere & typis mandare decrevi, ſubque ſpeciminis Medico-practici titulo palam facere ſeu publicare conſultum duxi, non modo, ut ſic quibusdam placerem, ſed praecipuè ut quamplurimis forte prodeſſem. In primis, quia hujus genii ac indolis febres variis ſymptomatibus ſtipatae in Europâ, Belgica terrâ & urbe noſtrâ quaſi patriciae indigenae ſeu endemicae exiſtunt, ita quidem, ut nullus adeo fauſtus occurrat annus, quin ſimiles morbi bilioſo-putridi ſub vario licet quandoque ſchemate plus vel minus noſtros infeſtent & inquinent incolas civesque: hosque uti promiſcuè ſporadicè ingruere, ſicque quandoque epidemicè regnare morbos experientiâ docemur; non ex aliis longinquis diſſitisve mundi plagis, oriente, Aſia, Africâve, (ut v. g. teterrimae peſtes) occaſionaliter miasmáte contagioſo ad nos adventantes,

tes, nosque miſere contagio ſubtiliſſimo ignoto contaminantes, ſed in noſtro, in quo moramur & vivimus aëre, in ipſo in quo degimus & habitamus terrae tractu, quin imo & in ipſis corporis noſtri penetralibus viſceribus & humoribus horum gignitur inquilinium, cujus virus ſemel natum & exploſum quandoque tam atrox fit, ut & alios in hoc diſpoſitos ſimili affectu morboſo inficiat & contaminet, nunc hic vel ibi unam alteramve familiam inquinans, nunc hujus vel illius pagi civitatisve incolas aliquos vel plures ſimul labefactans, nunc plurimarum urbium, provinciarum regionumque habitatores, ut hiſſe annis laute late vitio communi exorto ſeu miaſmate epidemico quandoque & contagioſo depopulans ac inficiens &c. tum, quia hujus genii ac indolis febres particulares vel univerſales quandoque cum alterius claſſis vel ſpecie febre, ut v. g. intermittentium vel inflammatoriarum de genere febrium complicatae ferire obſervantur & ſic in particulares vel univerſales, & in ſimplices vel complicatas dividendae quam plurimis & admodum variis nominibus tam apud veteres quam recentiores notae & famoſae pro ut diverſis inter ſe ſymptomatibus idiopaticè vel ſympaticè excitatis ingruere & incedere hae ſtipatae cenſueverunt; quippe, infarctis & inquinatis cum primis viis praecordiis fomite Bilioſo-putrido, mox guſtûs organum depravatur, appetitus perit, digeſtio laeditur vel intercipitur, nervi infra ſeptum transverſum diſtributi & primarum viarum ſyſtema perreptantes irritantur ſtimulusque in his excitatus per amplum conſenſum, quem cum reliquis alunt, propagatur ipſumque cor exſtimulat & ſic hujus genii naſcitur febris, & perturbatâ humorum circulatione & ſic vitiato horum aequilibrio membrorum pondus ſentitur &c. Et in ipſis primis viis primarie affectis, ut v. g. in ventriculo diſtenſiones, contractiones, ſpaſmi, ructus adverſi, angores

angores vel dolores cardialgici ſaepius cum nauſeâ vomituritione vel actuali vomitu vel ſingultu enaſcuntur, in inteſtinorum canali varii ſpaſmi, flatus, borborigmi ac dolores ab inteſtino colo vel ileo dicti, vel pertinax alvi conſtipatio, vel enormis hujus ſeroſo bilioſo-putridus fluxus, vel alia mala quandoque cum his exoriuntur: ut v. g. inteſtinorum difficultas dicta, ſub qua alvus frequenter quidem ſed ſingulis vicibus in parca copia cum praeviis torminibus & ſubſequente teneſmo prodit, quae nomine artis *Dyſenteria* nuncupatur, quae utut aſpectu & excretis faeda ſqualidaque nomine & omine difficilis, crudelisque cura & exitu ominoſa dubiaque &c. ſaepius, & quam maxime tempore belli hujus febris bilioſo-putridae comes, ſoboles vel pediſſiqua obſervatur, hâc noſtrâ in Patriâ à bello nominata (cujus proh dolor! funeſtae tragaediae toties haec cruentatum theatrum extitit) dum in hac Martis filii in magnâ copiâ conveniunt, caſtra metantur; late vagantur, pagos & civitates infeſtant & depopulant, caſtra & oppida munita obſident & expugnant, ſaeva, funeſta & cruenta praelia committunt, pandochia & valetudinaria morboſis, laeſis ac vulneratis militibus numeroſis dicata extruunt &c. prius inter armigeros pedites, mox inter equites nobilioresque milites magis in locis declivioribus paludoſis caenoſis liberove aëris affluxui minus patulis caſtrametatos, fomite Bilioſo-putrido inquinatus, vel maligniore in noſcomiis conſpurcatis & aegrotis turgidis exorto contaminatos & tandem inter reliquos incolas noſtros cum his labefactatis commercium alentes miaſmate ſuo epidemico & multoties contagioſo popularis ut plurimum tempore aeſtivo & autumnali perfrequens ac magis furens, nec facile niſi ſolutis caſtris militibusque ſegregatis meliusque locatis ac proviſis primoque rudi brumali frigore ſupervenien-te miteſcens vel deſinens &c.

Tum

Tum denique, quia non modo hae febres ſimplices particulares vel univerſales, vel cum alterius genii febre complicatae ſeu mixtae multiplicibus inter ſe variis plus minus urgentibus formidoloſis per ſtimulum immediate in loco affecto excitatis, vel per conſenſum ſtimulo propagatum etiam in diſſitis à loco primariè affecto ſeu foco, corporis partibus productis, ut v. g. ſunt deliria, pervigilia, ſtupores, ſopores alti quaſi lethargici, aurium ſurditates, capitis artuumve dolores enormes, cum vel abſque exanthematibus variisve in corporis habitu efflorescentibus maculis puſtulisque ingruere, ferire vel decurrere obſervantur; ſed quia hae ipſae febres genuinae bilioſo-putridae quandoque alium morbum repraeſentando v. g. tuſſi & dolore lateris punctorio pleuritidem, vel difficili valde & tuſſiculoſa reſpiratione diram peripneumoniam &c. quaſi larvatae incedunt, ſicque incautos, inadvertentes vel inexpertos facile eludunt ac miſere decipiunt &c. Hinc igitur, ut harum febrium magis pateſcat indoles & cognoſcatur hiſtoria ſuo cum ſodalitio, in hoc ſpecimine harum noſtra in urbe anno 1772 conſtitutionem popularem cum quorundam hac febre decumbentium aegrotorum noſtrorum expoſitione ſeu hiſtoria cum variis notis & obſervationibus phyſico-medicis & medico-clinicis proferre, exhibêre & divulgare conſultum duxi, quibus optimè notis & ritè perceptis ſatis rectè concipiuntur, dignoſcuntur & medicantur hi morbi bilioſo-putridi ſimplices vel complicati, quos licet quandoque ſporadicos vel epidemicos ſignis manifeſtioribus conſpicuos vel inconſuetis magisque abſtruſis obvelatos ex eodem fere fomite ſeu fonte procreatis, non ita tamen inter ſe diſtare ut aera lupinis; ſed iisdem mediis & cautelis detegere & percipere iisdemque artis auxiliis non nihil mutatis modificatis quandoque mutandis

tandis vel modificandis illudere, mitigare & curare noſcunt experti in arte Magiſtri &c.

Porrò & quod ad hoc opuſculum typis edendum & divulgandum auxit incitamentum fuit tam tempore hujus conſtitutionis popularis quàm aliis temporibus huic anterioribus & poſterioribus felix & deſideratus ferè continuus ille effectus, quem in aegrotis hac febre inquinatis, detentis vel labefactatis noſtra methodo tractatis laetus confirmatum obſervitavi, licet tamen hanc proponendo & exhibendo aliorum Medicorum methodum à noſtra in hiſſe febribus curandis non nihil diſcrepantem vilipendere, impugnare vel improbare minimè noſter ferat animus, cum cuique medico ſuis frui commodis experientiâ confirmatis licitum aequumque ſit &c. tandem plures mihi ſuperſunt rationes, ob quas haec collegerim, exaraverim & ediderim, quasque ſingulas adferre & exponere nimis longum & ſupervacaneum foret: igitur utut ſit, ſcias velim, benevole Lector, me nec fame nec famâ laborare, ſed me meâ contentum vivere ſorte, adeoque haec non edidiſſe; ut his lautius vivam vel ſaltem ne totus moriar, ſed ſolummodo ab hujus genii morbis tutius inpoſterum ut vivant homines & qui naſcuntur ab illis.

Equidem aliud ſupereſt quod moneam, puta, me in hoc contracto opuſculo quam plurima, quae ſuperaddere potuiſſem, omiſiſſe brevitatisque cauſa Auctorum citationes continuò apponendas ſaepius neglexiſſe, meque, uti ex aliorum operibus, ſic & in primis ex praeclari *Tiſſoti* de febribus bilioſis Diſſeratione ſeu de Epidemia Lauſannenſi relioſa hiſtoria promiſcuè varia & quidem quam plurima vix vel ne vix immutata ad rem noſtram facientia exſcripſiſſe, quia iſta febris vel epidemia ab illo plane clara & maſculo ſtylo conſcripta & expoſita vix à noſtra quam deſcribimus & exhibemus ablude-

abludebat, cui febri hac vice combinatum nomen puta Bilioſo-putridum ex hujus morbi indiciis, cauſis & indicationibus curativis derivatum impoſuimus. *a*)

Igitur

a) *Bilioſum* nimirum, quia bilis ſuperabundans acrior in his febribus, licet non ſemper ut cauſa primaria, ſaltem ut cauſa ſecundaria exiſtere & peccare videtur, quae proritando & ſtimulando primas vias malè afficit & irritat, febrim excitat & intertinet ac terrifica vel peſſima ſymptomata huic ſupervenientia inducit, atque ſuae exorbitantis vel nocivae praeſentiae tam in hujus morbi initio quam decurſu clariſſima dat indicia & teſtimonia; hinc & has febres non niſi *cholera* ſeu evacuatione bilis ſurſum & deorſum curari modo annotavit & obſervavit divus ſenex *Hippocrates*.

Putridum, quia in his febribus producendis non modo cauſa praediſponens interna putredini excitandae apta praeexiſtit, ſed quia extra corpus ſaepius cauſa remota deprehenditur putridum fomitem fovens, nutriens, excubans & ſuccis noſtris inducens, primariè illis, qui infra ſeptum transverſum circa praecordia congeruntur & in infimo ventre confluunt &c. unde toties in his morbis in primis aliisque adjacentibus viſceribus inquinatis vel longinquis per depoſitionen materiae morboſae labefactatis teterrima putrilamina obſervantur, & quia ex his morbis aegroti non modo putrida ejiciunt, ab omnibus alimentis, quae in putredinem primis facile tranſire queunt inſtinctu quaſi naturali nauſeant & adverſantur, remediaque primas vias à putrida colluvie evacuantia & aceſcentia valida acida aliaque antiſeptica efficaciſſima experiuntur Medicamina &c.

Etenim quidquid acre ventriculum cum proximo inteſtino extimulat & ſuperius vel inferius movet, id bilem provocat, quae acrior profluens in primas vias mox cum contentis in illis ſepticam Miſcelam init, magis corrumpitur & putreſcit & ſimul ac putruit omnes humores cum quibus miſcetur, magis inquinat & corrumpit, & bilis ex quâcumque cauſâ acrior facta profluens non compingitur in humorem lentum amurcoſum viſcidum, ſed liqueſcit & fit magis acris rodens & urens uti

omnia

Igitur in his exarandis, colligendis & conſcribendis Auctores Medicos venerandos excellentes, quos ſaecula priſca tulerunt, recentioresque doctiſſimos, clariſſimos expertiſſimosque Viros, quibus hoc ſaeculo quo vivimus praeclaro & illuſtrato fruimur preſſo pede in quantum potuimus ſecuti ſumus, & ſic quidem cum reliquis coaetaneis Scriptoribus pro noſtro arbitrio & ſcopo

Carpimus extremas voces & verba priorum
Priſcorum, qui nunc ſcribimus, echo ſumus.

Interim his ſolis profuſis & ex fundo publico petitis acquiſitisque divitiis ditari nolo, licet id non abſonum vel vetitum foret; nam negant Jurisconſulti eum damnari debere, qui pecuniam publicam acceperit, ſi poſtea erogaverit. Neque ſolis hiſſe utut ſplendidis rutilantibusque plumis nempe alienis ſuperbire geſtio caeterisve ſolis his fratrum alienigenarumve ornamentis & inſigniis condecoratus incedere & in publicum apparêre cupio ac praetendo, cum non modo quae legi vel audivi, ſed & quae ipſe vidi ac propriâ experientiâ confirmatus ad lectos aegrotorum obſervavi ſincerè annotaverim, collegerim & divulgaverim, & ad rem noſtram ſtabiliendam ac confirmandam aliorum documentis & exemplis uſus fuerim, ſicque Auctores imitari bonos quis vetat? &c. Demum Amice ac benevole Lector, uti ajunt, toties triti mutuati ac pro librorum coronide poſiti verſiculi hi:

Vive, vale. Si quid noviſti rectius iſtis;
Candidus imperti. Si non; his utere mecum.

PROLE-

omnia pinguia acria per majorem motum & calorem ſolent, haecque ſociata cum reliquis praeexiſtentibus vel adfluentibus in primarum viarum canalem inquiliniis ſepticis horum morborumIlioſo-putridorum ideam, fomitem & eſſentiam exhibet &c.

PROLEGOMENA

De Aëre, Aquis & Locis Antverpienſibus, &c.

Antequam morbum nobis familiarem & Anno 1772 uti in plurimis Europae locis, ſic & in noſtra Urbe populariter graſſantem ſpeciali enarratione declarem, exponam, divulgem; *Hippocratem* ut divum artis medicae Legislatorem, Magiſtrum, Parentem legens, memorans, colens, & intimis medullis exagitans pauca de aëribus, aquis, locis noſtris & incolis praefigere ac praemonêre conſultum duxi, utpote Antverpiae ſcribens, & in aëre Antverpiano degens & inter cives hujus Urbis praxim Medicam exercens. *b*)

Igitur Urbs noſtra Antverpia aedibus tam ſacris quam

b) Licet ejusdem genii & indolis morbi in quacumque mundi plaga illi acciderint iisdem remediis curentur, tamen hos prius rectè noviſſe expedit, qui in aliis Regionibus gravius, in aliis levius, in aliis endemicè, ſporadicè, in aliis epidemicè graſſari obſervantur, horumque morborum genuina facies haud raro mutatur adventitiis aëris qualitatibus, vel variis ſeminiis morboſis in corpore aegri praeexiſtentibus, vel tempore morbi progenitis &c. Hinc Medicus rationalis Regionis vel urbis ſitum, in qua praxim exercet, anni tempora & tempeſtates, ventos variasque horum per varias mundi cardines girationes, aquarum qualitates & facultates, ipſosque homines, horumque mores victûsque rationem conſiderare oportet; haec enim quidem omnia, aut certè plurima, probè ſi quis noverit, eum neque morbi regioni familiares populareſve, quae ſit eorum natura, latere poterit; ut neque in morborum curatione haeſitare, neque aberrare poſſit. Quae alias contingere par eſt, ſi quis haec prius providè non noverit.

quam profanis magnifica, locuples, negotiis quondam famoſa, & uti olim, ſic & hodiè pieriis artibus imbutis civibus, veraeque pietatis amantibus incolis inclyta, nec pluribus impar: in loco decliviori applanato extructa, refluis Scaldis undis affluxa, quamplurimis amplis & profundis canalibus perforata, largis plateis locisque publicis ſpatioſisve foris patula, in parte extenſa quae occidentem & Flandriam ſpectat pro vallo ampliſſimo fluvium Scaldim habet, qua parte in Brabantiam incurvatur ſumptuoſis & excelſis moenibus ac propugnaculis munitur, ita ut ſic formam intenti arcus haud malè referat, pro cujus nervo fluvius marinus comparari poteſt, arcum verò incurvatum efformant ſeu repraeſentant praealta moenia tophis extructa, longo tractu orientem verſus excelſis ac frondoſis tiliis arbuſtata, variis exterius objectis à vallo munitionibus fortiſſimis ac profundis agogis circumcincta, & beleos ſeu teli adinſtar arcus platea kipdorpeana continuo tractu & recto tramite Urbem in medio ſecat: porrò quae ſeptentrionem ac Hollandiam verſus pars Urbis reſpicit poldris ſeu terris pinguibus depreſſis, à mari olim acquiſitis in longum extenſis adjacet, quae verò orientem ac taxandriam aſpicit Urbis portio amoenis excultis patulis & fructiferis viridariis hortis, populoſis ſuburbiis, caſtellis & villis quam plurimis interpoſitis limitatur; quae meridiem ac foecundam magis & nobiliorem Brabantiam verſus invertiur patula à munitionibus Civitatis particula arcivinio campo ulmis humilioribus ramis depreſſis, artificioſis lineis in formam ſtellae diſpoſitis, obumbrato adjacens fortificatiſſima ac ferè inexpugnabili arce pentagona munita eſt, hujusque Caſtri valde ſpectabilis circuitus prius maceriis amplis aliisque munimentis ac progugnaculis fortiſſimis, & deinde amoenis hortis, villis, praediolisque interpoſitis & ad ripam Scaldis continuis & longè extenſis

ſubcin-

ſubcingitur. Tandem Urbis crepido patula & in longum extenſa ſua cum adfluente Scaldi ipſis fabulis à Bravone & gigante à quibus & nomen Urbis excogitatum famoſa, quae occidentem reſpicit, Flandriaeque limites ponit, illiusque Provinciae pars fluvio ampliſſimo & cujuscumque generis navibus apto & quondam saturo ſeparata aggere firmo undis oppoſito continetur, cui è regione Urbi promontorii adinſtar Caſtrum eminet flumen verſus patulum, ſed exterius ſeu in ſuam Provinciam, à cujus capite nomen habet, lunae ſemiplenae formam referens, validis vallis largisque foſſis aliisque munimentis fortiſſimis pro defenſione Urbis & fluminis extructis; huic arci adjacent & quantum ferè oculus ferre poteſt patula prata declivia humidave paſcua aquulis variis perforata. *c*)

Y 2 Expoſito

c) urbs noſtra in planitie feré perfecta declivioribusque terris locata, absque ullo impedimento libero aëris aditui & veloci illius fluxui expoſita eſt, quem tamen liberum aëris aditum vel rapidum illius adfluxum non nihil impediunt ab eoa parte alta moenia et magis dum frondeſcunt excelſae tiliae in illis ad orientem elevatis denſo agmine inplantatae ab oppoſita Civitatis parte, quae occidentem reſpicit et Flandriae limites ponit Scaldis undis aeſtu maris continuo agitatis quaſi mobili perpetuo alluitur et portuoſis canalibus variis in locis aquaeductibus et emiſſariis ſumptuoſo opere irroratur, quibus adjacentes aedes et plateae etc. haud raro, magis alto maris aeſtu excitato inundantur et quaſi ſubmerguntur: inſuper variis largis et profundis foſſis pro munitione tam urbis quam arcis excavatis et adjacentibus poldris ſeu terris declivioribus foſſulis oblimatis et interſecatis numeroſiſſimis ac amne ex taxandria profluente, et nimbis hiemalibus valde aucto atmoſphaera noſtra humectatur, ſaepiusque obnebulatur, hisque particulis aqueis exhalantibus non nimis altè in aëre elevatis ſaepius tempore autumnali vel hiemali denſis nebulis obumbratur, quas

Expoſito licet ruditer Urbis noſtrae ſuo cum vicino ſitu &c. nunc proximum eſt aquas, ſpeciatim illas, quibus cives utuntur paucis conſiderare, & annotare, quae elementares eaedem ſuo quo gaudent principio, ſed variis particulis heterogeniis mixtae variae ſunt, & in tres claſſes ſatis commodè dividuntur: in prima claſſe aqua pluvialis in ſecunda putealis & in tertia fluvialis ponitur. *d*)

Porrò

quas niſi ſolis radii validè vibrantes diſſipent, vel veloces aëris fluxus profugent vel in nubes cogant per plures dies haud rarò continua hac denſa caligine rigatur et obſcuratur etc. Denique uti longum ſic et arduum foret hic ſingula commoda et incommoda ex Civitatis noſtrae ſitu oriunda enarrare, equidem urbs fluvio maritimo et terris pinguibus faecundis adjacens ab omnibus quae oceanus et tellus ſuppeditant lautè et commodè proſpicitur hinc ichthyopolium continuò et affatim omni genere piſcium ab hamiotis aliisque piſcatoribus, macellum quacumque carnium ſpecie à laniis, fora frumentaria omnigenis granis ceralibus ab agricolis, et fora olitoria varia per totam urbem in multis ſpatioſis locis diſpoſita leguminibus, oleribus fructibusque horreis ab hortulanis et luchanopolis ſuppeditata, allata venalia proſtant, ex quibus omnibus lauta et opipara menſa opulentis à gulae miniſtris paratur &c. Interim pro cibo Antverpienſibus prae caeteris valde adamato et frequenti omnis generis piſces numerari poſſunt, et praeter fumo et ſale induratos, corruptos vel ſemi-putridos piſces vel carnes popellus noſter praeſertim tempore aeſtatis et autumni copioſam et ferè incredibilem paſſerum marinorum dura muriâ conditorum et ſolis radiis induratorum vulgo *Scharren* vel *Schollen* copiam conſumit, quo crudo, duro plerumque pingui, rancido et corrupto cibo ventriculo cruditas rancida, nidroſo-putrida primis viis labes et humoribus reliquis maximè bili acrimonia facile inducitur etc.

d) *Aqua pluvialis* particulis ſulphureis aetheris aliisque ex atmoſphaera, ex qua profluit et ex tectis etc. in quae

ſtillat

Porrò uti aqüae noſtrae, ſic & cives reliquique Urbis incolae in tres claſſes poni queunt: Prima claſſis nobiles, divites mercatores, reliquosque cives commodiores

ſtillat communicatis facta eſt, tempore praeſertim aeſtatis et autumni, inſectis variis ſcatet, quibus temporibus ſiccis diu aſſervata facile putreſcit, odoremque pravum acquirit, hac aquâ in ciſternis collecta ditiores et commodiores cives praeſertim utuntur pro potu cum vino, vel cum foliis theanis infuſis calidè matutinis et poſtmeridianis horis calidè ſorbillando, alimentorum et linteorum lotione et coctione etc.

Aqua putealis ex terra excavata prodiens privata in domibus, vel publica in plateis et foris extructis ad hoc illis in locis puteis et antleis proſtant, et ſic facili ope paratur; haec priori opacior et gravior, multis particulis craſſis terreſtribus impraegnata eſt, neque haec facile ſaponem diſſolvit, hinc magis pro uſu externo, ut, v. g. pro lotura manuum utenſilium et pavimentorum ab opulentis in uſum adhibetur, licet tamen à plebe abſque ſenſili nocumento pro potu libetur; nec mirum, cum tam affabrè facta ſit corporis noſtri machina, ut etiam paulo pejoribus innocuè aſſueſcat: interim multum haec aqua in variis Civitatis locis inter ſe differt, in hujus naturam optandum foret, ut ubique accurata analyſi quaereretur. Quae aqua varia pro diverſitate loci, ex quo prorumpit certô optima non eſt, cum neque ex collibus terrenis fluat, neque ex fontibus petroſis proſiliat.

Aqua fluvialis non illa quae Scaldis adfert et à mari refluens, quae ſubſalſa et muriatica eſt, nec ſic culinaribus uſibus apta, ſed quae extra urbem adaptato diorvge et per longum Urbis tractum ſumptuoſo aquaeductu profluens in variis lacunis congregata tandem artificioſiſſima et valde mirabili machina hydraulica per varios modiolos ad ſingulas zythopeplarum et vicinorum aedes profluens apertis ſolummodo epiſtomiis in receptacula ad nutum ac quantum ſatis commodè prolabitur, qua aqua lympida levi ſaponem facile ſolvente cereviſia tam incolis quam extraneis valde famoſa, grata et ſaluberrima

diores opulentos vel ſtudiis excellentes exhibet. Altera claſſis operarios artifices, officinatores, tabernarios aliosque cives lucro commodos & opere neceſſarios continet Tertia verò claſſis valde numeroſa popellum coercet, & infimae ſortis homines pauperes complectitur *e*)

Con-

rima coquitur, zythusque variusve cerealis liquor, conficitur etc,

e) *Primae claſſis* illuſtres, excellentes, praeclari homines religioſi rarâ pietate erga Deum Principem & proximum eminent & dotati ſunt, plurimi ex his in Urbe vitam nimis lautam & ſedentariam peragunt, matutinis horis Officiis ſacris in templis devote adſiſtunt, meridiè lautis menſae paratae cibis &c. accumbunt, poſt meridiem praecipuas Urbis plateas in ſplendidis rhedis ſumptuoſo & magnifico apparatu circumvehuntur, veſperi choreas vel ludos comicos vel conventicula modeſta et honeſta frequentant, & tandem coenati lectum petunt, in quo diu requieſcunt, ac aeſtatis praeſertim tempore extra Urbem in ſpatioſas villas vel ſuperba caſtella ſe recipiunt, in quibus aëre ruſticano, frequentiori corporis exercitio, & diaetâ magis vegetabili ſalutari fruuntur et refocillantur; alii numeroſi litterati & togati, civium ſpiritualem vel corporalem curam gerentes in templis, curiâ vel aedibus occupati, continuis ſtudiis & miniſteriis tam ſacris quam profanis detinentur, macerantur-que: tandem alii haud pauci propria negotia peragentes meditabundi in argentariis ſummas computando, ſubducendo vel permutando, accepta & expenſa in libros referendo ac conciliabulum frequentando, ferè continuis curis & lucubrationibus exagitati, lucrativam quidem, ſed miſeram vitam peragunt noſtri collybiſtae mercatores etc.

Secundae claſſis divitum adinſtar pii religioſi & ſervantiſſimi aequi homines ſunt, hi vel robuſti duros perferunt labores, & valde activam vitam in ſudore vultûs peragunt, vel magis languidi & enervati ſedentariè ſua peragere coguntur opera vel artificia, & uti hi haud rarò morbis chronicis, ſic et illi morbis acutis à vitio in diaeta commiſſo ut plurimum plectuntur dum aegrotant etc.

Infi-

Conſideratis & expoſitis Urbis noſtrae poſitione, aquis & incolis, nunc ad aëris conſtitutiones & anni tempeſtates magis obvias & ſolemniores nobis reflectere & animadvertere ſupereſt & incumbit; quae tamen noſtris in oris non tam conſtantes uti alibi obſervantur; cum aëris conſtitutiones,

 anni

Infimae claſſis corde mites & actu humiles homines ſunt, quorum reliquis virtutibus tamen quandoque obſtat res anguſta domi, vel ignorantia legum: hujus claſſis aliqui triſtem paupertatem & duros perferunt labores, corpore fortes, alii magis languidi, debiles, mendicare erubeſcentes, & quantum ad victum & amictum ſufficit exiguo labore lucrari neſcientes, jugiter lini goſſypiive fila ducendo vel ex illis aliisve rebus viliori pretio varia opuſcula et manufacturas conficiendo et fabricando domi detinentur, maeſti, fame preſſi etc. Quam plurimi verò deſidioſi mente vel membris inertes, morbo vel ſenio fracti, caeci, claudi vel paralytici mendicantes per plateas vagantes, vel in locis publicis et maximè frequentatis expoſiti, lamentabili voce transeuntium hominum movent ad miſericordiam animos, et omnes hi rerum omnium egeni vario titulo commiſeratione digni ſunt, quia non modo multa patiuntur propter maerorem et triſtitiam aliasve animi paſſiones excedentes, rudioresve aëris iniurias tempeſtatumque viciſſitudines, contra quas ſeſe defendere et ſibi praecavêre nequeunt, ob incongruos, crudos, ſale induratos, vetuſtos vel ſemicorruptos et putridos cibos, quibus ſtomachum et ilia ſaepius implêre coguntur, ob incultum neglectum ac faedum corporis habitum linteorumque penuriam, ex quibus gravis, averſus et ſqualidus odor exhalat, et multigena inſecta hos divexantia excubantur et intertinentur; ſed haud rarò et graviſſimè aegrotant ac labefactantur ab aëre vappido, minus elaſtico et corrupto, variisque exhalationibus ſepticis faeto, quem toties in illotis, ſordidis contaminatisque domunculis, caſis, cellis vel declivioribus in antiportis aliisque fundulis faeculentis contaminatis et animalibus ac ex illis effluviis nimis turgidis inſpirare coguntur etc.

anni tempeſtates & ipſi anni multum inter ſe diſſimiles eſſe obſerventur; ſic tamen ut frequentius menſis ſignatus nomine Martis frigido-humidus, inconſtans & illis diebus magis procelloſus, qui aequinoctio verno proximiores ſunt, eſſe obſervetur, quae humido-frigida & inconſtans aura, ſi aliquos dies ſereniores vel calido-humidos intercurrentes exceperis, promiſcuè uſque in menſem Majum protrahitur; quippè blandus & tepidus calor & dies ſereniores magis conſtantes ut plurimùm cum Novilunio Majali vel ſequentibus hujus lunae phaſibus ſupervenire conſueſcunt, & aeſtuantis ſolis radios magis vibrantes, & ſine nubibus dies experimur per illud menſtruum tempus, quod ſolſtitio aeſtivo proximum eſt, qui tamen quandoque perturbantur ſubortis ſubito denſis opacis nubibus, quibus vario & perturbato atmoſphaerae vel & aetheris ſubtilioris fluxu, nubibus motis, colliſis & attritis, ex quibus toties terrifica tonitrua, ignifera fulmina cum ſpiritu procellarum, nimbis praecipitantibus, grandinoſis oriuntur, excitantur & profluunt: ſub his in aëre excitatis & ſubortis motibus, fragoribus, procellis vel turbinibus maximè, ſi ventus Boreas vel Vulturnus ſufflare continuaverit, atmoſphaera ita turbatur & refrigeratur, ut culinares focos & endromidim denuò adament noſtri antea valde exaeſtuati homines, haecque ventoſa humido-frigida aura per aliquot dies ſic perennare ſolet, donec ſole ſplendente, & vento molli, levi callido ſuborto, denuo aeſtuet placatus aër; porrò illis diebus à cane ſeu icari ſtellâ dictis aeſtiviſque ultimis, niſi novis procellis obortis interruptus, ſole ſub ardenti ſaevit tum maximus aeſtus ſub ſudo vel calido & humido hoc temporis ſpatio putredini inducendo valdè apto, corpora noſtra languent, & a calore diffuſis ſudoribus debilitantur homines, horumque ſucci exaltantur & acriores fiunt, noctes calore humido tepent, & ve-

& veſpertinis & nocturnis horis minus ſerenis haud rarò absque fragore vel excitatis procellis fulgure caelum micat: inſuper ultimo aeſtatis tempore appropinquante autumno, & ſub ipſo atumno, dies ſereni & calidi eſſe ſolent, maximumque calorem à decima matutina usque ad quintam poſtmeridianam horam experimur; interim noctes cum horis illis proximioribus frigidae ſupervenire ſolent, & veſperi vel de nocte ſeptentrionem verſus aurâ Boreali dicta caelum quandoque quaſi inflammatum, corruſcat, vel variis quaſi decidentibus ac volantibus ſtellis ſeu halonibus ignitis his quaſi metheoris reſplendet; aſt ſaepe ſub autumno, cum formoſiſſimus annus ſit; matutinis, veſpertinis & nocturnis horis frigoribus premimur, & tempore diurno meridiei proximo ſolis aeſtu excitato quaſi ſolvimur ac ſudore diffluimus, quibus ſubitis aëris viciſſitudinibus inſenſibilis tranſpiratio ſenſibiliter intercipitur & perturbatur: aſt tempora haec minus conſtantia ſunt, ſed ſaepe inter ſe varia obſervantur, & circa aequinoctia frequenter graves tempeſtates ingruunt, & uti in menſe Martii, ſic & Septembris rapidi ſaepe obſervantur aëris fluxus, ita ut tum venti velut agmine facto, quâ datâ portâ ruant, & terras turbine perflent noſtras &c. Inſuper & ſub hiſſe temporibus, & hieme magis circa novilunium vel plenilunium, maximè ſi tum corus perflaverit, ita intumeſcunt ac quaſi turgent aequoris & refluae Scaldis undae & volvuntur ad littora fluctus glomerati exorbitantes, ut his quandoque haud parva Urbis pars inundetur, uti anno elapſo ad finem vergente ſummo civium aedificiorumque &c. damno experti fuimus, qua alta aquarum harum exundatione in ipſo Templo Cathedrali ampliſſimo, ſplendidiſſimo, deiparae Virgini dicato, interius multigenis exquiſitiſſimis picturis & ſimulacris, & exterius ſtructurâ ſuâ exquiſitâ & turri arte, mole & celſitudine eminen-

te, ſuperbiente in ipſo veſtibulo, & ſublucido tholo ante archium elevato admirabili, ſepulchra inundata & ſarcographos ſeu praegrandes lapides litteris & ſignis ſepulchralibus notatos ſemotos, dirutos vel diſruptos conſpeximus &c. Porrò per totum ferè autumnum frequenter apud nos ſupervenire & increſcere ſolent, ut modo inſinuavimus, denſae opacae & quandoque graveolentes Nebulae, quae tunc non tam facile diſſipantur & evaneſcunt, quam illae, quae vernis vel aeſtivis diebus quandoque ingruere obſervantur, & multò denſiores, frequentiores & magis continuae evadunt ultimis Novembris diebus ac per totum ferè ultimum anni menſem perpetuant, maximè illis diebus, qui ſolſtitium brumale praecedunt: ſic ut illos dies obſcuros vel tenebroſos Feſtum Nativitatis Chriſti praecedentes nominare noſtri ſoleant, & vernaculè *de donkere daagen voor Kerſmis* exprimant. Interim ſub autumno ſatis maturè hiems dat miſtum vicina teporem & refrigerium, ſic ut vix ſuborto Septembris menſe de die, ſole ſplendente, incaleſcat & de nocte pruina ſeu humore gelido glaciali niteat & ſuperficialis leviter aliquoties conſtringatur gelu nocturno noſtra tellus, & licet glaciale magisque acre frigus modo diu ante illud ſolſtitium quod à Bruma vocatur haud rarò feriat, menſibusque Octobris ac Novembris nivei flocci cum vento ſeptentrionali vel coro ſpargantur & ingruant, vulturnuque flante & quandoque grandine pugnante, gelu cum undis rura ſtringantur, tamen ordinariè cum novilunio anni primo, & per reliquas hujus lunae phaſès, vel ſaepius circiter Epiphaniae Domini Feſtum rigidum brumale frigus, candens gelu magis ſentitur, increſcit & perſeverat, & usque in menſem Jano proximum protrahitur, ita, ut in hujus menſis Februarii decurſu cadentibus haedis frequenter albeſcant rura nive, quae tandem & glacies pluviis, zephyris, vel ſolibus ictae ſolvuntur,

ſolvuntur, agrosque humectant & inundant, decidu-isque his undis & nimbis hiemalibus flumina augentur, ita ut haud raró ſuper littora profluant &c.

Igitur noſtris in terris ut plurimum ſaltem, magis humidi & pluvioſi ſunt menſes Octobris, Novembris, Februarii, Martii & Aprilis quandoque & Julii; nebuloſi vero & nubibus obfuſcati, obſcuri, ſubhumidi ſunt menſes Novembris & Decembris, magis veró ſereni & ſicci menſes Januarii, Junii, Septembris & pro parte Octobris eſſe conſueſcunt, pluvia, glacialia ſub form â pruinae grandinis & ſaepius nivis menſibus Novembris, Januarii, Februarii & Martis decidunt &c, venti à maritimis oris ſpirantes humidi, terreſtres vero ſicci &c. obſervantur. Altitudo aquae pluvialis ſingulis annis promiſcuè profluentis haud raró ad sesquipedis altitudinem aſſurgit &c. Frigida & intemperata aura per ſeptem menſes perdurare, calida veró & temperata tempeſtas per quinque ſolummodo menſes noſtra in Provincia, puta à medio menſis Maji usque ad medium vel initium Octobris, ſolemnior eſſe conſuevit. Calidiores veró dies ſub fine menſis Februarii vel Martis initio intercurrentes mox, novo frigore ſuperveniente, rigidiores tam agricolis quam ipſis agris nocent, quia in his vegetationem nimis praecocem prius promovent, & deinde vitiant, & in jllis tranſpirationem liberiorem factam ſupprimunt & perturbant, & morbis à ſtaſi ſeroſa oriundis anſam dant &c. Denique certum eſt in Belgio noſtro ſaluberrima anni tempora eſſe, quae proxima ſolſtitiis ſunt; quippe minus nocent qualitatum aëris ſenſibilium exceſſus moderati, quam magnae & frequentes mutationes, quas ſanè aequum eſt caeteris paribus, potiſſimum reſpondere dierum contiguorum inaequalitati; ſive luminis ſive caloris effectus reſpiciamus. Porró dies proximè ſibi ſuccedentes ferè aequales ſunt in ſolſtitiis, eo minus, quo

pre-

propriores aequinoctiis; ſolam enim hic intelligo dierum inaequalitatem, quam ad datum obliquum in ſphaera ſitum praeſtat diverſa ſolis declinatio, & ſic negligo hic inaequalitatem dierum aſtronomicorum, cujus argumentum eſt aequatio temporis vel horologiorum, &c. Non itidem negligenda eſt inaequalis duratio crepuſculorum, &c.; inſuper à nautis & molitoribus obſervatum eſt, quod ſaevae tempeſtates potiſſimum incumbant circa plenilunia, novilunia aut medias lunae phaſes &c. & circa haec & ſimilia variis anni tempeſtatibus in athmoſphaera & ſuperiori aëre obvia phaenomena quantus ſupereſt obſervationum hiatus! *f*)

Haec

f) Hiſſe jam omnibus & ſingulis ritè perpenſis, facile conſtabit phyſico-medico, nos & noſtros pati manes ſeu morbos, qui varios inter varias civium claſſes ob varium vitae genus, anni tempus, hominum ſexum, aetatem &c. eſſe obſervantur, quos ſingulos ſpeciatim conferre, conſiderare & exponere velle magnum ad hos conſcribendos requirerent volumen, & pulcherrima ſunt quae de his ſcripſerunt cum plurimis aliis Hippocrates, Galenus, Sydenhamus, Hofmannus, Huxamus, Tiſſotus, Zimmermannus, Grantius, &c. Interim primae claſſis incolae noſtri cum pythagoricè haud vivant, minus ob nimis parcam, quam ob nimis lautam & inordinatam diaetam variis exoticis aromaticis calidis & ſpirituoſis fermentatis adulteratam, ob defectum corporalis exercitii in aëre aperto et elaſtico debilitantur, et labefactantur; hinc, ut hi firmiori valetudine fruantur minusque aegrotent, lautas his tolle dapes calidosque coquos, et in aëre aprico placidum et pro viribus inſtituendum et augendum hiſſe exercitium locale procul à curis etc. injunge. Secundae et tertiae claſſis incolae, ut modo inſinuavimus, duram et activam vel languidam et ſedentariam vitam peragunt, hi debiles enervati, languidi, laxi ſaepius morbis chronicis ex debilitate nervorum vel obſtructione viſcerum natis laborant ut v. g. ſpaſmodicis affectionibus, malo corporis habitu, ſcorbuto etc.

his

Haec jam de his dixiſſe noſtris ſufficere poſſent, ſed cum nobis febrem remittentem continuam Bilioſo-putridam noſtra in Urbe ſingulis annis, indigenam, ſaepe ſporadicam, quandoque epidemicam & à verno tempore Anni 1772 usque ad aeſtatem ſequentis anni protractam, hancque uti in variis Europae Regionibus obviam, ſic & in toto ferè Belgio ac Urbe noſtra populari

his diaeta magis congrua, validius exercitium in aëre puro libero prodeſt. Illi robuſti firmi et validi homines ſaepius morbis acutis inflammatoriis à cauſis manifeſtis, ut aëris injuriis et his tranſpiratione ſubito ſuppreſſa inductis ſubjiciuntur, hiſſe fortibus, ab aëris injuriis gravioribus labore exceſſivo aeſtuatis â corporis refrigerio tam in quam externo ſubitaneo ſibi praecavêre ad hos morbos praeveniendos ſatius erit, qui jam modo inducti optimè methodo antiphlogoſtica curantur. Alii demum ex his omnibus longè miſerrimi et pauperrimi multa à diaetâ inordinatâ, fame, animi paſſionibus, veſtimentorum penuria et ſorditie etc. et peſſima, ut diximus patiuntur et luunt ab aëre in horum domunculis depreſſis, minus patentibus, et à quam plurimis inhabitatis, vix renovato, ſquallido, fere ſtagnante, variis exhalationibus ſepticis et particulis heterogeneis faeto, ex quo intercluſo quaſi ex pandorae pixide aperta languores et ſepticae indolis morbi, vel epidemica ſaepius ac contagioſa haud raro miaſmata naſcuntur, foventur, halant & profluunt &c. his in hujus vitae miſeriis patientiâ opus eſt, & opulentis erga hos miſericordia movenda eſt, munditiei tam in corporis habitu quam in domibus indies novo aëre perluſtrandis ſtudendum eſt, & libero aëri ſeſe frequenter exponant & exerceant, vel extra domum ante portas vel domi in cubiculis, apertis de die januis & feneſtris res ſuas peragant, ſtramina, in quibus de nocte decumbunt & ſomnum capiunt indies moveant & ſaepè renovent; cibos & carnes vetuſtas & piſces corruptos vitent, ſed diaetam vegitabilem, leviorem, ſaponaceo-acidulam & ex fructibus horreis interpoſitis petitam praeferant; & caſu quo morbus aliquis epide-

pulari, plane impetu graſſatam, paucis conſiderare, exponere & delineare incumbat & ſuperſit, ulterius & hujus anni & immediate praecedentis aëris conſtitutionem, tempeſtates & multorum civium conditiones paucis annotare & conferre haud inutile erit; quippe manifeſtis phyſicis vel mechanicis vitiis vel occultis aut minus cognitis atmoſphaerae alterationibus inquinatus aër

epidemicus, & magis ſi contagioſus is ſimul fuerit, ſeſe inter hos manifeſtaverit, ut peſſimus praeveniatur eventus, mox labefactati ab integris ſeparentur, & aegroti in Xenodochio pro his fundato benè proſpecti translati locentur. Sani his in aerumnis bono animo ſint, diaetam cum cautelis mox praeſcriptis obſervent, venerem & omnem nimiam defatigationem fugiant, potum acidulum libent & ſi modo debiles, laſſi graves corpore et animo langueant, alvum laxam, ſi occluſa ea fuerit, cremoris tartari praebia ſibi procurent, ſerum lactis acidulatum vel decoctum hordei frequenter ſorbillent, et mox ſaniora conſilia et artis auxilia inquirant, domusque inquinatas ab omni ſqualore purgent, de die libero aëris influxui patulas exponant et veſperi antequam lectum petunt pulverem pyrium in cubiculo accendant, ſic praeſens in aëre pigro vis humidi, quod aquae ſub forma tenſa praedominatur, poteſt hac detonatione diffiari; aut abſorberi ac praecipitari clyſſo ſulphurato, qui evolat è pulveris pyrii flammifera diſſolutione; vel quemadmodum aër infectus in navibus hac emendatur, reſperſis aceto tabulatis etc. Praetermiſſis ac inconſideratis reliquis morbis ſingulis aetati, ſexui et anni temporibus, vel conſtitutionibus magis propriis et communibus, vel à cauſis manifeſtis ortis, morbi valde communes et quaſi entemici Antverpienſium ſunt: febres continuae, ut plurimum remittentes haud rarò complicatae, quae vernali tempore promiſcuè catarrhalem inflammatoriam, autumnali vero bilioſam putridam ſequuntur indolem, vel intermittentes vernales facilius deſinentes, vel autumnales contumaciores, quae omnes niſi peritè tractentur, facile in priores vel lentas degenerant; vel in obſtructi-

aër, ſaepè graves morbos mortalibus affert, ad quos ſuſcipiendos, fovendos & excubandos requiritur aptitudo ſeu praediſpoſitio, quae quandoque ſolummodo in certis animalium generibus, hominum ſexu, aetate vel vitae genere magis adeſſe comperitur, ex quibus ſimul junctis labes oritur & lues profluit. Igitur dum cauſae inveſtigantur morbi epidemici graſſantis, non modo reſpiciendum eſt ad aëris praeſentem conſtitutionem, ſed & ad illam, quae huic immediate praeceſſit. Et ad hominum huic morbo ſubjectorum conditiones, cum vario horum vitae genere &c. ſedulo animadvertere & perpendere medico-phyſico oportet: neque negligere fas eſt ventorum gyrationem ſucceſſivam per varios mundi cardines &c. Itaque Anni 1771 calidam & humidam aeſtatem multis procellis ſubortis perturbatam, inconſtans, male ſanus, nunc calido-ſiccus, nunc humido-frigidus, multis praematuris pruinis & nebulis refrigeratus & obfuſcatus autumnus inſecutus fuit, cui poſt multos dies tenebroſos, nebuloſos, humidos tandem ſucceſſit talis triſtis hiems mox glacialis

ſtructiones, hydropem aliasve aegritudines periculoſas à ſeri colluvié etc.

Interim hae dictae continuae ſunt febres eſſentiales. quibus junctus eſt capitis dolor vel lateris pleuriticus vel peripneumoniacus; aliquando catarrhalis rheumaticus à capite exortus, ut plurimum tamen à ventre inferiore per ſympathicam vexationem, vel orgasmum humoris bilioſi vitiati, aliusve in eo ventre cumulati ſtimulantis. Iis febribus tempore autumni vel hyemis gravius torqueri vel citius enecari ſaepiùs viſi ſunt pauperes, qui vere vel aeſtate febrem intermittentem perpeſſi, hujus cauſam putrem cacochyliam in primis viis congeſtam iteratis & indicatis evacuantibus remediis maturè evertere neglexerant; & febres hae ſaepius ingruunt & familiariores eſſe conſueſcunt noſtris, ubi terra noſtra frequenter & per vices ſaepè repetitas intempeſtivis pluviis & ſolibus icta fuit.

glacialis, aſpera ventis ſic, ut poſt primam Januarii ſeptimanam primasque lunae increſcentis phaſes Anni 1772. rigido ſuperveniente gelu ſtringeretur tellus, & flante tum horrido coro citò denſo niveo ſtrato ſupra ſtrato obvelaretur belgicae noſtrae terrae ſuperficies, eo denſiori & cumulatiori, quo propius Boream vel ſeptentrionem reſpiceret & occuparet provincia noſtra à ſalvio bravone nominata, undique magnis fluviis maritimisve oris circumcincta, alluta & humectata &c. nixque haec profuſa & in magnâ copiâ accumulata, geluque magis indurata diu inalterata terram patriam coopertam & quaſi ſepultam preſſit, & per menſtruum ferè tempus continuum perrexit, & non niſi ineunte menſe Februario validioribus ſolis radiis vibrantibus, mollibus Zephyris & pluviis ſupervenientibus, liquefacta in aquam nivalem diffluxit. *g*)

Labente

g) *Toto hoc temporis ſpatio, quo candida nix jacuit & jactam nec ſol pluviaeque reſolverunt, noſtra appellaeâ arte imbuta, laborioſa & excellens gens, ex deciduis his niveis compactis floccis ſplendidas & artificioſiſſimas formabat ſtatuas, valde ſpectabiles praegrandesque coloſſos in variis urbis locis tam publicis quam privatis ſpectatorum curioſis oculis patentes, proſtantes. Quae admirabilia, nive candida & gelu indurata ſplendida ſculptilia ſimulacra ob magnam copiam, ſingularitatem & excellentiam variis carminibus impreſſis & in aere exſculptis libellis & tabellis celebrata & poſterûm memoriae tradita fuerunt &c. Interim dum cives curioſitate ducti haec circumviſendi causâ indies urbem obambulabant, & ſic variis aëris injuriis brumalibus ſe exponebant, nobiles & divites ſplendidiſſimo apparatu in deauratis & ſuperbis trahis adornatis & reſonantibus equis rapidiſſimis profectis per praecipuas ſpatioſas urbanas & rurales vias nive ſuperſtratas & applanatas frequentes curſus inſtituebant, & in altas tenebras facibus fulgentibus illuminati hos protrahebant quibus tripudia & coenae dapales ſumptuoſae ſuccedabant&c. Sed inter*

Labente jam menſe Februario & huic proximo apparente qui à Marte nominatur, blandior aura ſuperveniebat, ita ut dies ſereniores & tepidiores evaderent, lenibus auſtris mollibusque favoniis ac zephyris exortis & interpolatis; niſi quod illo tempore, quo aequinoctium vernale ingruit, malis auguriis per aliquos

haec incolarum diverticula in aëre aprico frigido vel ſub humido indies inſtituta frequentes erant catharri, & ex his neglectis varia ut ſolent naſcebantur incommoda pulmonibus haud raro labem purulentam inducentia &c. hacque hieme & inſequente vere prius brumali frigore, glaciali vento, aſperis & mox in magna copia prolapſa nive diu inconcuſſa ſuper terram morante, & tandem multis pluviis profluentibus in undas reſoluta, gratis & ſalutaribus oleribus in cellis collectis & depoſitis, ſub terra conſervatis, vel in hortis proſtantibus labefactatis & deperditis, civibus ſolito frequentior erat diaeta animali ex regno deſumpta, & pauperioribus ob annonae caritatem multa incongrua ſemicorrupta pro cibo erant, inter quae eminebat oriza aquâ marinâ inquinata olida, quae tunc temporis vili pretio in magna copia in hac urbe venalis proſtabat & divendebatur; poſtea vero ingruente & perſeverante calore aeſtivo fervido urente fructus horrei, grati, ſalubres, aciduli, ſaponacei, laxantes, ſolito rarioros & cariores erant quam ut inferioris ſortis homines hos emere & modico pretio ſibi comparare poſſent, quos aliàs his anni temporibus & autumnalibus diebus inſtinctu quaſi naturae adpetunt & devorant, quibus non admodum maturis ingurgitatis non mode cum bile acriore putridum fomitem in primis viis depoſitum & congeſtum corrigunt, ſed jam maturis diarhaeâ his excitata per anum hunc evacuant, hosque ſic eludunt & ſpernunt, qui ab his fructibus peſſima praedicant & timent &c. inſuper & rata ſilentibus negotiis merces, damnis & ex his oriundis animi paſſionibus mactabat incolas triſtes, ſic quidem; ut nunquam tot fortunae vitia ad aeris aheni per fraudem vel infortunium decoctoribus vel conſumptoribus commiſſa vel occaſionata, quam hoc infauſto & morboſo noſtris civibus anno viderim.

quos dies continuos frigoribus cum glacialibus pruinis, grandinibus niveisve floccis rigidisque Borealibus ac aquiloneis procellarum ventis exortis, noſtris in oris triſtis quaſi ruminaret hiems, arborum gemmas & plantarum reliquarum protuberantia & germinantia folia laedens vel deſtruens: menſes vernantes Aprilis & Majus, ſi aliquos dies ſerenos calidos interpolatos exceperis, nimboſis ventis, pratis & agris utilibus perflati ſubfrigido - humidi exſtiterunt, ſic tamen ut ultimis Maji primiſque Iunii diebus flabris Boreis immiſſis, tam acre denuò recrudeſceret frigus floribus & generatis jam fructuum faetibus adverſum & peſtiferum, utque jam diu ſopiti ignes reſuſcitandi ad corpora calefacienba, veſtesque hieme uſuales reſumendae eſſent. Sed poſt primos Iunii dies reliquoque hoc menſe, quo ſolis equi peragrant ſidera cancri, ſole ſub ardente ſaeviit tunc maximus aeſtus, diu perennans, & non niſi per vices & quosdam dies continuos inductis nubibus atros nimboſos, vel ſubito exorto procellarum vento cum tonitruis fulminibus è nubibus colliſis & eliſis pluviis ac grandine mixtis ſociatis interruptus & alteratus: quae tempeſtas calida nimbis ſubitaneis refrigeriis ſubortis & interpolatis per totam aeſtatem cerere fertilem faecundam perduravit, ſic tamen ut ſplendente ſole calor meridianus aeſtuaret, & corpora quaſi exureret, manè verò, veſperi & cum ſol tellure ſub alta lateret, frigus acre ſaepius ſuperveniret, uti autumnali tempore, quo modo frigoribus premimur, modo ſolvimur aeſtu, hoc experiri conſuevimus. Hancque æſtatem ſolito magis morboſus inſecutus fuit autumnus, quo temporis ſpatio terra noſtra intempeſtivis pluviis & ſolibus icta, atmoſphaera opacis olidisque nebulis impraegnata, Urbs cum plurimis Belgii Civitatibus aegrota plebe febre bilioſo - putrida labefactata, & ſaturata fuit. Tandem hoc anni tempus tardo pede, tremulis paſſibus preſſit

preſſit canis hirſuta capillis triſtis, rigidis aquilonibus horrens Hiems, Anno 1773 viam pandens, cujus primordia multis harum febrium notis erant inquinata. *h*)

h) Annus 1772 plerisque vegetabilibus graminibus & ſpeciatim fructibus ceralibus valde deſideratis neceſſariis favens, faecundus, ferax, animalibus praeſertim hominibus morboſus ſterilis & fatalis exſtitit; quippe hoc ipſo anno meſſe promiſcue valde fertili abundante per totam ferè Europam noſtram ex ephemeridibus hujus anni & gazulis majorum Urbium natorum & demortuorum numerum collectum exhibentibus, poſterior numerus valde ſuperaſſe priorem conſtitit, quod tamen alienum & adverſum eſt legi, qua genus humanum propagari conſuevit, dum dirae fames, ſaeva bella aut teterrimae peſtilentiae non intercedunt, & ſi loca inſalubriora paludoſa exceperis, in quibus aër variis effluviis gravis & inquinatus quaſi ſtagnans eſt, plures ex incolis ſuccumbunt, dum ſemper in his locis pauciores enaſcuntur homines quam occidunt, uti necrologia in illis annotata docent, in illis tamen locis veſperi & nocte ubi ſol occidit, magis denſa & ſubſidentia haec effluvia hominibus infeſta ſunt, quam de die aeſtu ſolis in ſublime rapta, & in frigidis proportione minus quam in calidis Regionibus graves ſunt noxae effluviorum paluſtrium: quippe in Belgio noſtro & Germania febres intermittentes, quae facile in continuas degenerant, aut comites ſibi adſciſcunt viſcerum obſtructiones, in Hungaria pejoris notae febres petechiales, in Italia ſemi-tertianas & in Aegypto ipſam peſtem. Demum ex loci ſitu vel ſuppoſita atmoſphaerae conſtitutionem ſucceſſione certè orituram epidemiam praeſagire velle imprudens & ſaepe fallax foret, cum ſub diverſis locorum ſituationibus vel aëris conſtitutionibus iidem morbi vigeant ſaepius aut verſis vicibus populares, nec mirum quoniam ad morborum communium generationem occurrunt praeter labem aëris & locorum, etiam & aquarum, ciborum, vitae rationis, aliarumque circumſtantiarum

Tandem paucis perpenſis & exhibitis aëribus, aquis, locis & incolis noſtris & rudi modo commemoratis praecipuis Anni 1772. temporibus & conſtitutionibus, neglectis tamen ſingulis ventorum mutationibus promiſcuis ſucceſſivis per varias globi terraquei oras & reliquis quotidianis obſervationibus meteoro--logicis ut v. g. variis agitationibus in tubis Barometri à preſſionibus aëris gravioribus vel levioribus ortis &c. A cauſis ſaepius manifeſtis in atmoſphaerâ inferiori excitatis vel quandoque à cauſis minus apparentibus & ſic nobis quaſi occultis v. g. procellis cietis in ſummo oceani aërei occaſionatis, in cujus fundo tum pacato verſamur &c. Neque atmoſphaerae noſtrae caloribus vel frigoribus indies in thermometris gradibus annotatis, praecifisve aurae humiditatibus vel ſiccitatibus in Hygrometris obſervatis &c.

Illud denique & inſuper annotandum eſt, quod ab Anno frigidiſſimo 1740, quem meminiſſe horret & cujus damna rigido diuque protracto gelu inducta &

tiarum varietates: de quibus legantur Ramazzini, Sydinham, Hofmann, Huxam, Zimmermann, Grant &c.

Attamen pluribus conditionibus & rerum circumſtantiis variis hoc anno 1772 & praeterito huic proximo occurrentibus ſimul ſumptis & inter ſe collatis ac conſideratis facile à poſteriori concipiet & concludet Phyſico-medicus diſpoſitionem humorum in putredinem, bilis exaltationem, tranſpirationem ſaepius perturbatam et impeditam, et regreſſum materiae acris et ſepticae indolis ad primas vias et praepeditas gaſtricas excretiones in primis viis et adjacentibus viſceribus ſeu circa praecordia infra ſeptum transverſum congeſtum fuiſſe bilioſo-putridum fomitem, qui jam maturè ingruentibus caloribus motus exagitatus et in actum ductus ſtimulo ſuo febrem bilioſo-putridam inter inferioris ſortis homines valde popularem et epidemicam generavit, induxit et intertinuit.

& mox ſubſequente ſaeviſſimo bello in noſtro belgio à gallo tunc temporis hoſte excitato & tandem poſt multas pugnas, obſidiones & praedas ab illo ſubacto per totamque ferè Europam geſto & novem per annos continuato & poſtea in Germania & ulterioribus provinciis reſumpto, & usque hodiernum ferè diem inter turcas & ruſſos continuato, hic & alibi ad aucta ac perſeverata hucusque irreparata lugemus & perſentimus. Ventus noſtris in oris ſaepè varius & valde mutabilis, tamen praedominans & longe frequentior fuit ventus ſeptentrionalis ſeu Boreas gelidus, qui tamen ab Anno 1771. jam adulto in hunc usque 1774. annum quo haec ſcribimus gyrante flatu ſuo ſolemniori ex frigido-humidis apud nos plagis variato, ſaepius & diutius ex calidioribus oris noſtras provincias perflavit, ſicut hiſſe annis frequentior & praevalens ventus meridionalis vel lenis ſubhumido-calidus auſter, vel ex his confiniis ſpiravit Annusque 1772. praeſertim variis ventorum gyrationibus & ſubitaneis aëris variationibus ex calido-humidis in frigido-ſiccos eodem die ſaepe contingentibus inquinatus & perturbatus exſtitit, & revera frequentiſſimè caeteris paribus incidunt morbi epidemici cum repentinis aëris mutationibus ex calido in frigidum, ex humido in ſiccum, aut viciſſim; cum adverſi ſtatus ſi paulatim invaleſcant facilius & absque noxa ſenſibili tollerentur. Ex dictis quidem vix dubitari poteſt, quin morborum popularium initiis & progreſſibus faveat aër ſecundum vitiatas qualitates ſenſibus obvias. Num ideo evidens eſt morbis epidemicis praecipuè obnoxios eſſe annos humido-calidos, quod maxime promoveant vermiculationem, corruptelam fructuum & ſeminum (unde annonae pravitas vel caries) nec non indolem bilioſo-putrefactivam variarum aegritudinum, quibus quandoque accedit illud *to Thcion* divinum ab Hippocrate nuncupatum, quod compre-

 hendere

hendere videtur omnes obſcuros affectus principii vitalis, à quibus pendent morborum periodi, criſes, variaeque permutationes &c. *i*)

Sed ecce hujus noſtri ſpeciminis, quod contractum deſideravi, exorſa in longum deducta, quae vel ideo ampla & diffuſa eſſe volui, cum haud parum ad rem noſtram enucleandam faciant, cumque nullum volverim legerimve noſtris ex Auctoribus Medicis Antverpienſibus numero quam plurimis, quos vel ideo ſingulos hic inſerere & nominare nimis longum & taedioſum foret, qui de his rebus ex profeſſo verba fecerit, neque me omnem rem in his abſolviſſe arbitror, cum circa haec argumenta peramplus pateſcat campus. Aſt ne diutius in hoc verſando inquirendo & exhibendo veſtibulum jam modo improportionatum mole ſua exſuperet parvum apollinis artis tyronibus extruendum & toti humanitati dedicandum ſacrarium, ſeu ne prologus longior evadat quam totum opuſculum, de his jam ſatis & propius ad rem accedamus oportet, adeoque ſit.

FEBRIS

i) Interim illud divinum quod in morbis ineſſe *Hippocrates* edixit, varii varium in ſe crediderunt, ſic *Mercurialis* ſequens Interpretes antiquiores credidit illud fuiſſe non ſimpliciter quamlibet conſtitutionem aëris, ſed conſtitutionem et qualitatem ſecretam, quae à caelo inducitur. *Baglivus* quoque hac voce percelebri nihil aliud intellexit, quam occultam ac omnino reconditam ſuperiorum cum inferioribus connexionem et univerſi in ſublunaria poteſtatem etc.

Inſuper latentes aëris vires in morbis epidemicis contagioſis et malignis vulgo agnoſcimus quidem, ſed praetervidemus in aliis morbis communiter vagantibus. Attamen frequentius occurrit, quod olim pluries obſervavit P. *Martianus* in lib. prognoſt. pag. 439. dari morbos epidemicos cum ſignis omninò lethalibus, qui ob conſtitutionis clementiam omnes ad ſalutem brevi terminantur; è contra verò alios derepente malignos fieri, ita ut nullo ſalutari ſigno fidendum ſit propter conſtitutionis vigentis pravitatem.

FEBRIS BILIOSO - PUTRIDAE

Antverpiae Anno 1772. epidemicè inter popellum graſſantis.

SECTIO PRIMA.

Morbi hiſtoriam & eventum ſeu Diagnoſim ac Prognoſim &c., exhibens.

§. 1.

Febris noſtrae inter pauperes & infimae ſortis homines valde popularis, inter commodiores & ditiores plus ſolito ſporadicae, ac inter primae claſſis nobiles & ditiſſimos raró contigentis ecce genuinam invadendi faciem, ac generalem affligendi normam &c.

Non nulli aliquibus diebus ante ſenſibilem Febris inſultum flatulenti languidique ex primis viis ortis cruditatis Bilioſo - putridae incommodis laborabant. Pleri-que veró abſque eo, quod ante imbecilles, dejecti infirmive viſi fuiſſent, ſubito corripiebantur Febre, quae ut omnis à cauſa validiore interna orta ingruebat à frigoris vel horroris ſenſu, reliquis exacerbationibus non ita ſenſibili, ſub quo praecordiorum anxietas, nauſea, vomituritio vel actualis vomitus Bilioſo - putridus cum amaritie oris ſe manifeſtabant, cum pulſu arteriarum plus minus contracto celeri, in aliis duriuſculo, in aliis vix à naturali niſi celeritate diſſimili; hiſſe ſuccedebat calor non ita vehemens ſed moleſtus; acris, mordax, cum morbo increſcens, medici pulſum aliquandiu

explorantis digitos quaſi urendo moleſtans, & calefaciens, cumque Febris haec ſic aliquamdiu exacerbata fuiſſet v. g. à veſpertinis horis per noctem in vigore perſeveraſſet, illa mane cum pulſus duritie, ſi quae adfuerat, ſenſibiliter, praeſertim primis morbi diebus remittebat, veſperi de novo vel alternis diebus exacerbatura; aſt licet ſenſibiliter in primo morbi ſtadio remitteret Febris, tamen calori non ſuccedebat blandus ſudor, uti in verè intermittentibus Febribus fieri conſuevit, & licèt in aliquibus laute prorumperet, tamen absque levamine vel euphoria, ſed potius cum malis aegri rebus increſcente morbo exprimebatur, neque ad plenam apyrexiam redibant aegroti, ſicque per aliquot dies exaſperare & remittere ſolebat haec Febris, non tamen fixo typo, neque ſemper eodem modo; ita ut aliqui gravius, aliqui levius ab initio febricitarent, plerique poſt aliquot dies, pauci verò ab ipſo morbi incremento (quod tamen rarius) promiſcuè absque aliqua determinata periodo ſic febricitarent, ut ſaepius tempore vigintiquatuor horarum nunc frigore nunc calore moleſtarentur, ita ut hi aegri ſeſe ſaepius de die febricitaſſe promulgarent; huic Febri quandoque praecedebat, ſed ut plurimum cum hac ſimul ingruebat & ut individuus ſocius in vigore comitabatur dirus capitis dolor gravativus, ſed quam maximè in exacerbatione Febris atrox, lancinans quandoque totum caput, ſed praeſertim ſinciput orbitarum oculi utriusque partem profundiſſimam, ſinuum locum, diductas oſſis frontis laminas intermediorum, naſi radicem, aut medium calvariae fundum occupans, qui cum reliquis junctus quaſi ſignum pathognomicum morbi conſtituebat, cum promiſcuè aegri de hoc tempore hujus Febris conquererentur, niſi ſopore vel delirio preſſi, ſub quo tamen hi manus frequenter capiti adplicantes, partem male-affectam adſtantibus digito quaſi monſtrabant

ſtrabant & indicabant miſeri. Huic acerbo vel ſaltem obtuſo capitis dolori ſub continuis ferè vigiliis apud plures ſerius vel citius, haud rarò undoſus, temulentus vel vertiginoſus in cerebro ſenſus accedebat, cum aurium ſuſurro vel tinnitu perdifficili, ut plurimum delirii, alti ſoporis vel gravioris convulſionis prodromus, hocque delirium, in quod aegri admodum proni erant vix ferox, uti in aegroto quinto obſervabatur, ſed ordinariè placidum nimia garrulitate vel praeter morem taciturnitate ſe prodiens in initio ſub turbulento ſomno de nocte, vel in exacerbatione ac in vigore Febris, deinde ferè continuò affligens.

Ingruente morbo, uti diximus, nauſea aderat vel actualis vomitus, & quae aegri vomitu ſpontaneo vel arte procreato ejiciebant ut plurimum bilioſa erant, pinguia, flava vel viridis äeris adinſtar tincturae aeruginoſa, quandoque variegata, nauſeoſa faetida, putridi & adverſi odoris ac ſaporis; appetitus toto morbi decurſu non modo proſtratus erat, ſed horror à cibo quam maximè ex regno animali deſumpto, ut v. g. carnibus, ex illis extractis juſculis, ovis aliisque facile in putredinem vergentibus pronis aderat &c. amaritie & faetore oris guſtûs organum depravatum erat, hinc provido quaſi naturae inſtinctu non niſi acida vel aceſcentia, uti lac ebutiratum, fructus horreos &c. appetebant, de ſiti primis morbi diebus non multum conquerebantur, ita ut potum ſubfrigidum acidulum libenter quidem ſorbilarent, ſed tamen illum non ſaepe nec affatim expoſcerent. Lingua licet ordinariè albo, flavo, ſubfuſco vel nigro muco maximè in illius dorſo obvelata erat, ut plurimum humida explorabatur, non niſi in ultimo gravioris morbi ſtadio, valde tremula, arida, ſicca, rimis fiſſa dolens erat, tumque haud rarò accedebant oris aphtae: alvus ordinariè in morbo recente, dum nauſea vel vomitus moleſtabant, adſtri-

ćta erat, quandoque tamen naturalis & mox magis liquida adinſtar cereviſiae faecum bruna, Bilioſa ſatis copioſe excernebatur, quam maxime laxantibus adjuta, quibus neglećtis materiâ morboſâ inferiora verſus praecipitatâ traćtu temporis cum borborigmis & quandoque torminibus ventris ſaepius in parca copia prodibat alvi excretio Bilioſo-mucoſa liquido putrilamine mixta, naribus admodum averſa cum magno plura egerendi conatu, ut in dyſentaria interpolato frequenti per anum crepitu admodum ſoetido alkalino. Tandem & promiſcuè morbo jam inveterato, & neglećtis praeſertim in initio vel progreſſu medicamentis primas vias evacuantibus indicatis, quaſi colliquativa admodum foetida profluebat alvus. Uroſcopus ex urina ab aegris depoſita nil certi vel ſolidi praedicere poterat, quia illa toto morbi decurſu admodum colore, conſiſtentiâ & contentis varia emittebatur & conſpiciebatur, nunc clara, limpida, ſpaſmodica in magna copia quaſi in hyſtericis prodibat, nunc rutilans, altè rubra, valde tinćta, vel non nihil turbata ut in phlogoſticis vel ićtericis, nunc craſſa, turbida, opaca, bruna, ut à jumentis emiſſa, apparebat, nunc refrigerata cum vel absque nubecula, vel & ſedimento quaſi lateritio, vel roſeo ut in Febribus intermittentibus vel catharalibus conſpiciebatur, nunc denuò ex rubro flaveſcens, ut in Bilioſis, nunc denique citrina ſanorum ſimillima erat, adeò ut urina, quae hodie valde tinćta, craſſa vel ſedimentoſa erat, cras denuò alba, limpida, cruda appareret & contra equidem lotium promiſcuè in vigore Febris paucum & magis tinćtum in remiſſione lautius & magis dilutum, & in declinatione morbi cum caeteris bonis avibus jumentoſum valde ſaturatum, craſſum, turbidum & tandem ſedimentoſum, haud rarò albo levi ſubrubro vel lateritio ſedimento praeditum obſervabatur; & uti nec *Hippocrati* ſic nec nobis placebant pingue-

pinguedines vel nubeculae ſuperius in urina continuò innatantes, neque illa praeſente mente involuntariè emiſſa &c.

Uti promiſcuè ferè omnes de dolore capitis intolerabili, ſic plerique quam maximè ſub exacerbatione & vigore Febris de totius corporis ponderatione & praeſertim de dorſi artuumque laſſitudine ac de lumborum dolore, uti febricitantes ſolent conquerebantur; qui dolor in lumbis tam vehemens ac lancinans in quibusdam erat uti in lumbagine rheumatica obſervatur, ita ut ob hunc aegri in cubili quieſcere ac dormire haud poſſent nec niſi in remiſſione Febris ac ſuborto ſudore remitteret. Haud pauci ſerius vel citius de vagis doloribus quaſi Rheumaticis nunc collum, nunc pectus, nunc corporis extremitates occupantibus querelas edebant; aliqui, miteſcente licet ac deſinente Febre, de dolore in artuum extremitatibus & articulis uti in arthritide tam acuto ſenſibili, ut attactum vel leviſſimum perferre haud poſſent conquerebantur, obque hunc prae aucto dolore altè clamabant, horumque manus vel pedes haud raro in tumorem ut in podagricis attollebantur.

Multi hujus morbi decurſu & frequentius ſub autumno colore icterico tingebantur, prius magis & quandoque ſolummodo in albo oculorum vel & pectoris vel ſub oculorum palpebris ac genis conſpicuo, deinde haud raro ſenſim vel ſimul & ſemel totus corporis habitus colore plus minus flavo croceo perfuſus erat ita intenſo, ut indè virideſceret, & ſic ad icterum nigrum ab antiquis nuncupatum accederet aeger ut aegrotus octavus. Auriginem ſeu ictericum hunc colorem in quibusdam diſparere & poſt aliquot dies quandoque recrudeſcere, & in omnibus non niſi alvo & urinis Bilioſis vel & aucta tranſpiratione evaneſcere illumque cum vel absque levamine aegri evenire obſervavi.

vavi. In aliis oculi ſplendentes, vividi, ſcintillantes apparebant, albumque illorum venulis rubris variegatum conſpiciebatur; dum in aliis oculi dejecti, aquoſi, quaſi lacrymis perfuſi mucovè maximè in magno illorum limbo faedati obſervabantur &c.

Pauci ab initio vel in vigore, ſed plures ſub finem morbi ſurdaſtri facti graviter & vix audiebant, plusque ſolito in ſomnum propenſi erant cum bonis aegri rebus, in declinatione morbi. Inſuper illi, qui vermes in primis viis alebant ob illos independenter à morbo varia patiebantur, ut dolores & angores ventriculi vel inteſtinorum &c. Hosque vi morbi vel medicamentorum facile vivos vel mortuos ejiciebant, rariores tamen erant in noſtra conſtitutione hi hoſpites. Ex plurimis pauci tantum petechiis, puſtulis â milii ſemine dictis & coloris varietate diſtinctis aliisve papulis ſtriisve in cute effloreſcentibus in hoc morbo graviore haud raro conſpicuis, familiaribus, ſymptomaticis deturpati & inquinati fuerunt, niſi dum morbus in funeſtiorem tranſiviſſet. Haemorrhagias funeſtas in hoc morbo rarius obſervavi hasque â diſſolutione ſanguinis natas ſemper ſuſpectas habui, uti ventris inflationem praeſertim circa hypocondriam indies increſcentem ſeu meteoriſmum ex putredine naſcentem, ut graviſſima mala in hac morbi ſpecie formidavi. &c.

§. 2.

Expoſitis familiaribus, praecipuis magisque conſuetis vel pathognomonicis ſymptomatibus cum hoc morbo ingruere vel hunc comitari ſolitis, nunc illa indicia, quibus ſecunda valetudo ſive artis ſive naturae benificio contingere conſuevit exhibere haud inutile erit; igitur aliqui, in quibus morbi fomes ſimplex, levior, minus

minus acris ſatisque mobilis ſolummodo peccabat in initio bene tractati medicamentis corrigentibus & evacuantibus, mineram morbi caſtrantibus & per loca convenientia ſubducentibus, hi poſtquam multa bilioſa vel putrida vel utraque ſimul per unum alterumve os ſurſum vel deorſum vel utrumque dejeciſſent, cum congruâ diaetâ cruditati ſeu fomiti morboſo oppoſitâ haud raró intra paucos dies ſatis cito priſtinam ſanitatem recuperabant, ſic tamen, ut ob minimum vitium commiſſum, vel in corpore reliquum facile de novo aegrotarent. Plurimi hoc morbo vel & alio complicato magis labefactati, in quibus in majori copia acrior magis commixta, altius intricata vel minus mobilis haerebat materia peccans morboſa gravius ab hoc morbo aegri decumbebant, nec citius quam poſt aliquot ſeptimanas convaleſcebant; hi plurimis ſymptomatibus enarratis gravius vel levius preſſi per vices naturae molimine & artis ope multa bilioſo - putrida per vomitum & alvum, vel & urinas prius absque ſenſibili, poſtea inſigni cum levamine emittebant; ita ut febris & cephalalgia, cum illa digitos tangentis quaſi urente caloris acris ſenſatione, indies miteſcerent poſtque unum alterumve diem minus ferirent, vel protinus diſparerent, pluresque ex his aegris ſurdaſtri facti graviter vel vix audiebant, & aliqui ante vigiliâ vel delirio detenti, tunc magis ſomnolenti, animo pacatiores, quieti, quaſi morbo ſoporoſo preſſi feré continuo ut lethargici comatoſi dormiebant; ex his aliqui ſaepius autumnali vel hiemali tempore tunc magis, vel ſubito colore icterico tincti vel acribus doloribus Rheumatico - arthriticis vexati mitius febricitabant & profluentibus lapite urinis ſaturatis ſedimentoſis, ac tandem oborto univerſali cutis madore ſeu tranſpiratione ſenſibiliter aucta blandove ſuccedente ſudore proſperam recuperabant

bant ſanitatem, ſicque ſub finem morbi, vel deſinente jam febre, laute ſponte prorumpens inſenſibilis tranſpirationis humor, vel & aequalis quaſi criticus ſudor in initio, vel vigore morbi numquam deſiderandi, & ut plurimum ſymptomatici morbum minimè allevantes ex his pauciores viribus fractis diutius decumbentes, quaſi hydropici, aedematoſi praecipue ad crura & pedes facti paulatim alvo laxata, urinis ritè profluentibus vel tranſpiratione aucta, redeuntibus ſenſim viribus in gratiam redibant: inſuper alii quorum oculi quaſi telâ rubrà perfuſi erant, quod vernali tempore haud infrequens, qui & valde in delirium proni erant, miteſcente jam morbo, delirium in his, ſi quod adfuerit, miteſcit vel deſinit, oculorum colorem rubrum amittere incipiunt, oculosque ſanis ſimiles ac naturales denuò accipiunt, quorundam quoque oculi ſub hoc tempore ſordeſcunt & in externo palpebrarum limbo ſordidae cruſtae coeunt palpebras conglutinantes: non nulli tamen neque oculos flavos vel rubros acceperunt, neque ſurdi vel ſoporoſi facti fuerunt & facilius convaluerunt: inſuper qui evaſuri ſunt cruſtas è lingua orisque concameratione ſpurcities ſi quae adfuerint, ejiciunt, pituitam coctam è naribus emungunt, lautè dormiunt, ſanaé mentis fiunt, & ſic ad ſanitatem revertuntur; atque ſic alii citius, alii ſerius, incerto ſemper termino convaleſcunt, multum curati eſuriunt, cibisque adverſis difficilisve digeſtionis, ſi nimis indulgeant, facile relabuntur &c. Sed hi vitio in diaeta commiſſo noto, & cruditate correcta vel evacuata facilius & absque magno negotio à morbo quaſi recidivante curantur & reſurgunt, atque tali ferè ratione convaleſunt, qui ab hoc morbo eveniunt; vel methaſticè novo à natura quaſi excitato organo in parte minus nobili ſaepius ad clunes vel os ſacrum, materia pec-

peccans, morbum intertinens, deponitur & evacuatur per ignotas huc usque vias translata.

§. 3.

Cum in proximo paragrapho praecipua exhibuerim ſigna quae leviorem morbum indicant vel valetudinis priſtinae ſpem erigunt, proſperamque integritatem praecedere vel comitari vel ſequi conſueſcunt, nunc & illa enarrabo quae in morbo graviori, neglecto, ſibi relicto, male arte tractato, vel remediis utut appropriatis rebelli ſeu vi ſua artem ſuperante contingunt, ſuperveniunt vel ſuccedunt ſymptomata ſiniſtra, gravia, terribilia, peſſima, lethalia. Itaque omnes evacuationes largiores in hoc morbo ſponte vel arte contingentes, quae non juvant ut plurimum plus minus nocêre obſervantur, quia fomitem morboſum non diminuunt vel tollunt, ſed aegrum debilitant & enervant, ſic malo cum omine in initio vel ſtatu exacerbationis morbi ſudores in larga copia profluebant, uti & urinae multae limpidae, ſic & alvi fluxus ſeroſus profuſus numquam in hoc morbo deſiderandus ſemper nocebat aegrosque dejiciebat dum ſemper & praeſertim in declinatione morbi alvi profluvium Bilioſo-putridum proderat ac aegrum probe à ſua labe purgabat, ſiniſtrum quoque in hac Febre erat indicium, delirium continuum maxime, ſi cum hoc pulſus celerior, frequentior & durior cum Febre increſceret, uti & ille indies increſcens abdominis tumor ſeu meteorismus à flatibus ex putredine natus. Grandem terrorem incutiebant crebrae illae Febrium exacerbationes nullum amplius ordinem ſervantes cum jactatione & anxietatè continua, pervigilio &c. Nec placebat aurigo ante vel poſt ſeptimum diem absque levamine vel cum duro hepatis tumore invadens, ſemperque mala, ut ſignum erat,

erat, quia bilis acrimoniam & in maſſam refluxum vel praecordiarum infarctum vel hepatis obſtructionem denotabat. Terrebant quoque oculi multis venulis rubris perfuſi, valde dejecti, torvi, limoſi, cum facie dejecta, contracta, lurida &c. Inſuper petechias in hoc morbo quandoque prorumpentes numquam criticas ſed ſemper ſymptomaticas adeoque malae notae, praeſertim ſubfuſcas, lividas, nigras, diffuſas obſervavi. Peſſimi ominis quoque erant enormes haemorrhagiae ex diſſolutione ſanguinis ortae, uti & tales alvi fluxus colliquativi ſubcruenti ſeroſo-ſpumoſi, omnesque peſſimae erant in hoc morbo methaſtaſes ex translatione materiae morboſae in partibus nobilioribus depoſitae. Porrò uti in morbo leviori viſo, aegri mens valde anxia, inquieta deſperabunda aliquid ſiniſtri, ſic in morbo gravioribus ſymptomatibus ſtipato aliquid funeſti aegroti, non ſui conſcii tranquilla & placida mens circa proprium ſtatum praeſagiebat. Hinc uti triſte & durum erat, dum ille continuò deſperans langueo, fatiſcor, morior, aiebat, ſic magis artuum & funeſtum erat, dum hic graviſſimis ſymptomatibus preſſus de morbo, quem non amplius ſentiebat interrogatus alta voce ac laeto quaſi animo ſe jam optimè valere, nec amplius aegrotare reſponderet, talisque ſaepe immobilis, ſopitus ſemi-clauſis oculis jacet, vel varia ſubmiſſa voce murmurat, vel anxie reſpirans erectus in lecto ſedere cupit, continuò manibus tremulis vel convulſionibus maximè in faciei muſculis agitatur ſollicitèque reſpicit & circumſpicit quaſi aliquid metuens, tegumenta frequenter rejicit, corpusque nudat quaſi è lecto ſurgere intenderet, tandem morte magis properante pectus oppletur, reſpiratio breviſſima tuſſiculoſa & difficillima cum ſtrepitu vel ſonoro prolapſu fit, ſitis nulla amplius urget, utut lingua ſicca, arida, aphtoſa,

toſa, rimis ſciſſa, tremula, ſcabra ac faeda, cruſtâ obducta ſit, neque linguam ad extrema labia porrigere poteſt, ſed tremulam eandem intus in ore non admodum patulo continuò agitat & quaſi retrahit; faeces inſciè cadaveroſi odoris profluunt, totus tremulus aeger ſubmiſſa ſtridula voce orat vel inconcinna muſcitat, & in dorſo proſtratus decumbens ad pedes in lecto prolabitur, pulſus celerrimus eſt nec amplius illius ictus numerari poſſunt, tendines ſaepius ſubſultiunt vel tremunt, manibus continuò agitat & palpat tamquam aut floccos collecturus aut feſtucas vel muſcas capturus & ubi caſu, aut veſtimentum, aut aliquod tegumentum accepit illud tremulis manibus & digitis tractat quemadmodum nodum explicaturus. Denique poſtquam aliquamdiu ſic aegrotatum eſt omnia in pejus ruunt, & mors jam oſtia pulſat, tunc extremae corporis partes inalgeſcunt, tempora collabeſcunt, retrahuntur oculi, illique cavi quaſi pulverulenti triſtes fiunt, naſus frigidus acuminatur, oris labia liveſcuut, praecordia ſummis anguſtiis premuntur, arteriarum pulſus valde tremulus, exilis, inaequalis & intermittens, vix vel non amplius percipitur, palleſcit univerſum corpus, ab eodemque ſudor frigidus ſubpinguis profluit atque incerto ſic temporis termino aeger, ut omnis ſphaceloſus ex quacumque cauſa factus, extinguitur.

§. 4

Poſtquam genuina eſſentialia, vel accidentalia ſaepius in hac febre obvia ſymptomata & ſigna quae hunc morbum diagnoſcere ab aliis diſtinguere vel in illo ſpe animum erigere vel metu terrêre conſueſcunt in praecedentibus paragraphis exſpoſuerim, nunc ex illis in hac noſtra conſtitutione rarioribus, minus con-

ſuetis & ſingularibus quae obſervatione conſecutus fui non nulla referre & communicare haud ſupervacaneum erit. Igitur uti vermes in noſtro morbo rarius excretos, nec niſi in uno alterove in magna copia conſpexi k) ſic ſingultus in morbo recentiori ſatis rarus erat, qui quandoque tam frequens & moleſtus viſus fuit, ut haec ipſa Febris ab illo nomen acceperit. Interim ſingultus ille rarius noſtros aegros in morbo recentiori moleſtans non multum erat formidandus ex ventriculi puta cruditatibus, vel ex morboſis circa praecordiis haerentibus congeſtionibus variis Bilioſo-putridis aëris &c. progenitus conſuetis & indicatis Medicamentis facilè miteſcens, ſilens, obediens &c. ſed frequenter ſub finem morbi cum reliquis peſſimis ſignis, ut ventriculi vel inteſtini inflammati vel ſphacelati nuntium, ſicque lethalem obortum ſingultum obſervavimus. Porrò uti in hoc morbo graviori haud rarò convul-

k) Vermes qui toties in his Febribus individui hoſpites obſervati fuerunt & promiſcuè in tanta copia ſub quibusdam conſtitutionibus ab aegris quandoque per utrumque os excernentur, ut non modo hujus Febris cauſae propago, ſed efficiens hujus Febris cauſa quibusdam viſi fuerint, Febrisque ſimillima noſtri, nec de caetero niſi majori vermium foecunditate à noſtra differens ab his animalculis nomen acceperit. Interim vermes praeſentes has Febres, aliosque morbos haud raro aggravant, dolores ventriculi & inteſtinorum illorumque difficiles titillationes etc. excitando ſaepiusque imbecillos & pueros ſequioris ſexus homines cum vel absque Febre vexare & in illis ſponte vel ex primis viis purgati prodire ſolent vermesque in corpore nidulantes ſaepius horum morborum cauſas augent, ſed raro, ſi unquam, illorum primarias ponunt, ſic quandoque in quibusdam conſtitutionibus frequenter, tam ab adultis quàm pueris in morbis, ut Febribus bilioſis, putridis, inflammatoriis, variolis dyſenteriis promiſcue & in magna copia excernuntur vermes &c.

vulſiones particulares, praeſertim muſculos faciei vel brachiorum exagitantes, ſic in morbi huius decurſu ut in aegroto quinto & nono binisque aliis convulſiones univerſales, inſultum epilepticum aemulantes comperi, hasque convulſiones in hujus familiae Febribus jam dudum annotavit Galenus: quippe qui de affectorum locorum notitia lib. V. cap. V. tom. IV. paginâ 125. *Per febres quosdam inquit conſpeximus de repente convulſione prehendi, nullo, quod eam praeſagiret, praecedente indicio, qui bilioſo ſuperveniente vomitu, protinus ab omni noxa liberati fuerunt, atque hoc modo affectorum non nulli res quasdam fuſcas vomendo rejecerunt, alii humorem porri ſucco ſimilem.*

Quin imo dum circa praecordia fluctuans, turgens & irritans copioſior vel acrior humor Bilioſoputridus veneni ad adinſtar actiones cerebri vario modo turbabat, non modo nervos convulſivè exagitando, ſed & eosdem comprimendo, ſicque inutiles ac paraliticos reddendo &c. ſic robuſtiſſimum hominem in flore aetatis conſtitutum, poſtquam ex hac febre aliquamdiu per plures dies quaſi phreniticus deliraſſet, poſteà hemiplegia detentum fuiſſe Inſulis annotavit clariſſimus ibidem Medicus M. *Boucherus. l*) Similem ferè caſum cum expertiſſimis Dominis Collegis *Vadder* & *Bom* obſervavi in probo hujus Urbis pharmacopola in vigore aetatis, qui cum à primis diebus menſis Septembris Anno 1772, hac Febre detentus, graviter decubuiſſet, undecimo hujus die oborta magna animi commotione non modo ſubitò hemiplegia latus ſiniſtrum occupante ac diu perſeverante, cum ſopore apoplexiam minante,

l) Journal de Medicine, Chirurgie, Pharmacie &c. par M. A. Roux tom. XXXVI. mois Decembre. Maladies qui ont regné à Lille, au mois de Septembre 1771, par M. Boucher.

cum ſingultu pertinaciſſimo, moleſtiſſimo, vix interrupto correptus fuit, ſed & poſteà variis gravioribus vel levioribus inſultibus convulſivis exagitatus fuit &c. Porrò inter rariora in hoc morbo obvia, in tribus aegris paucos ante mortem dies ſymptomata ſatis rarum & arduum obſervavi, quod omnimodam degluti-endi impotentiam exhibebat, bini ex his aegris diarrheâ ſymptomaticâ & quaſi colliquativâ macerati ad extremum redacti erant, tertius valde plethoricus hac Febre correptus & ſimul diarrheâ bilioſâ laborans, quae malo conſilio & incongrua arte bolo opiato ſupreſſa fuerat, undè mox Febris major, abdominis protuberans flatulentia, pectoris oppreſſio & magnus ad caput ſanguinis raptus, quae mala ſymptomata nullis remediis, ut v. g. alvum laxantibus refrigerantibus acidis, ſanguinis miſſione, vel ſinapiſmis ex fermento panis acido & aceto paratis poſteà adhibitis domare potuimus, ſed ſomno quaſi lethargico indies aucto & tandem convulſionibus perturbato obiit, qui fortè adhuc viveret, ni alvus opio clauſa fuiſſet hocque inconſuetum accidens deglutionem impediens per tres ante mortem dies binis in aegris dyſenteriâ detentis magnus annotavit *Tiſſotus.*

Denique de cephalalgiis moleſtiſſimis ferè continuò, de pectoris oppreſſione, reſpiratione difficili tuſſiculoſa, ut in peripneumoniacis, de lateris doloribus punctoriis cum tuſſi divexantibus noſtra in conſtitutione ab aegris hac Febre decumbentibus raro querelas audivi, quibus tamen ſymptomatibus pleuro-peripneumoniacis Febris haec quaſi larvata quandoque debacchari & furere comperitur, incautos haud raro decipiens nubem pro junone amplectentes, dum Febrem hanc his larvis obumbratam quidem, ſed ex eodem fomite Bilioſo-putrido natam & nutritam, ut merè inflammatoriam ſalutant & tractant, licet ex natura ſua ab omni phlo-goſi

goſi immunis & aliquando cum ſtaſi quoque inflammatoria combinata & maritata pro varia tempeſtatum vel corporum conſtitutione vel diſpoſitione ingruat & incedat, quod ritè in praxi diſtinguendum & reflectendum eſt; nam, uti miſerum foret aegrum Febre Bilioſo-putrida inquinatum largis ac repetitis v. s. debilitare & peſſumdare, ſic piaculum eſſet aegrum vero morbo inflammatorio aeſtuantem primas vias evacuantibus medicamentis ſolummodo laceſſere & perturbare. *m*)

m) Hujus indolis & genii Febres ſymptomatibus ſtipatas pleuritidem vel peripneumoniam veram mentientes epidemicas cum plurimis aliis obſervavit Tiſſotus, & in binis epiſtolis charo ſuo Zimmermanno ſcriptis ac typis editis expoſuit anno 1765. Lauſannae & in variis Helvetiae locis ut Bernae Soladuri &c. populariter graſſantes, praeſertim pectus, praecordia vel regionem hepatis infeſtantes, dum hae Febres Bilioſo-putridae indolis & genii, peripneumoniaco-pleuriticis ſymptomatibus ſtipatae Anno 1763. latè in Helvetia populabantur, eodem hoc Anno verno tempore in pago noſtro natali *Loenboùdtio* in Brabantia Hollandiam verſus ſito, tales Febres ejusdem indolis cum ſymptomatibus pleuritidem ſpuriam referentibus populares erant, multos ibidem pagicolas pauco temporis ſpatio occupantes & inquinantes, & occaſionaliter licet, omnibus ferè lethales, ita ut rumor vulgaris ſpargeretur, illo in pago & illius in vicis quoddam inquinans peſtilentiale & deleterium miaſma nidulari &c. Interim Chyrurgi ad hos aegros medicandos vocati, hos pro more largis venae ſectionibus debilitabant, & ad tuſſim cum dolore punctorio leniendam expectorationemque facilitandam cum fomentis multa oleoſa dulcia pro linctu adhibebant, & ad hos aegros de anxietate & debilitate circa praecordia & inappetentia conquerentes refocillandos juſcula ex carnibus praeparata pinguia cum ovis vario modo paratis pro diaeta praeſcribebant, quibus medicationibus, cum indies gravius decumberent aegrotantes, tandem uti ſolent

§. 5.

Aegri noſtri, ut dixi ab initio morbi cibos faſtidiebant, ſpeciatim ex regno animali deſumptos facilè putreſcentes

lent urinas ad medicos transmittebant, ex quarum inſpectione ruricolae ab illis infallibile morbi indicium prognoſticum, vel remedium quaſi ab oraculo prolatum exſpectant & requirunt. Tumque temporis in oppido non procul diſſito famoſus erat. Medicus euroſcopus, hunc omnes cum urinis ab his aegrotis depoſitis adibant & conſultabant: qui, qua indicatione neſcio, pro hujus Febris cum dolore lateris & tuſſi divexantis remedio generaliter praeſcribebat Balſamum ſulphuris aniſatum ad plures guttulas indies bis terve in ſpiritum vini hydromelle vel ſaccharo inſtillatas aſſumendas, quibus medicationibus non ritè ſuccedentibus, omnes hi commiſeratione digni aegroti ad plures abibant & ad tumulum deducebantur, quibus ex fatis generalis & terribilis incolarum metus & terrifica quaſi peſtilentialis fama illo in loco & in vicinia excitabatur, augebatur et profluebat. Interea temporis undecimo die menſis May ad Secretarium hujus pagi ibidem hac Febre periculoſè decumbentem accerſitus, illumque ritè examinans illum largis & repetitis quidem venaeſectionibus maceratum, ſed minimè allevatum de nauſea ferè continua & ab introſumptione ferculorum, maximé juſculorum ex carnibus decoctorum vomituritione difficili, pectoris anguſtia ac dolore lateris ſiniſtri ad ſingulas tuſſes exortas valde ſenſibili ad regionem ventriculi ſub coſtisque ſpuriis fixo conquerentem, cum pulſu debili digitos hunc explorantes aliquamdiu calore acri feriente oculisque valde dejectis ſubflavis mucagine conſpurcatis, cum linguâ humidâ quidem, ſed in ſuperficie cruſtâ faedâ flava obducta inveni; hinc huic mox interdicto omni cibo ex regno animali deſumpto alvum laxantia per utrumque os introducere juſſi, et ſepoſitis oleoſis dulcibus facile ranceſcentibus medicamentis vaporem aceti pro anxia & tuſſiculoſa reſpiratione, ut ſaepius hauriret inſpirando hiante ore, & decoctum hordei cum ſucco citri vel ſerum

tes, & hi primis morbi diebus cibos nauſeabant, in horrorem habebant, vel à primo frigore febrili, actualiter vomebant materiam Bilioſo-putridam, flavam, virideſcentem, variegatam &c. Hocque vomendi deſiderium, cum ipſo actuali vomitu tempore diminuebat, vel evaneſcebat, dum materia morboſa Bilioſo-putrida, ad ventriculum praecordia haerens vel reſumebatur, vel magis inferiora verſus praecipitabatur, in priori caſu aegri ſubflavi magis indeſinenter febricitabant, acriusque incaleſcentes gravius decumbebant, in ſecundo caſu alvus, quae anteà valde adſtricta fuerat cum ventris flatibus borborigmis vel

ſerum lactis frequenter ſorbillaret ſuaſor fui, lateri dolenti anglorum more cum vis vitae valde langueret, emplaſtrum epiſpaſticum applicui, quibus remediis per loca convenientia probè evacuatus quaſi ex orci faucibus ereptus fuit hic valde languidus aeger: cumque plures aegri hac Febre detenti hoc in pago illo tempore decumberent, omnibus his verè eadem cum eodem optato effectu praeſcripſi remedia acida & medicamenta praeſertim primas vias à morboſo fomite liberantia, Chyrurgoque homini valde docili nomine Haenegraef hanc ut aliis impoſterum aegris hoc morbo decumbentibus adhiberet medendi methodum ſuaſi, medicamina alvum laxantia & materiam Bilioſo-putridam breviſſimâ viâ evacuentia & fomiti morboſo contraria aceſcentia acida & diluentia ſaponaceis acidis impraegnata commendavi. V. S. niſi ſub pulſu duro, ſtaſi inflammatoriae juncto, vel ob aliquod ſymptoma inconſuetum valde urgens largiorem vel reiteratam prohibui, quibus probé obſervatis nullum poſteà quod ſciam, ex hoc morbo aegrum perdidit, ſicque famam haud mediocrem ſibi comparavit, ac pro bono publico hoc noſtrum Chyrurgo datum ceſſit conſilium, licet ardua nec ſemper tuta res ſit artis myſteria revelare illis, quia rudiores in morbis diſtinguere & judicare neſciunt, quod praeceptis ſalutaribus moniti et aegrorum experientia formati optimè noſcunt.

lenioribus quandoque torminibus materiam quandoque variegatam ſpumoſo-ſeroſam, pinguem, liquidam, quaſi colliquativam, vel Bilioſo-olidam, quae ſola cum bonis aegri rebus in magna copia, ejecta quaſi critica obſervabatur, ita ut generaliter, dum dejectiones Bilioſo-putridae ſuccedebant in morbi hujus decurſu, tum ſolummodo de Febris hujus ſolutione ſperandum erat, ſed reliquus omnis alvi fluxus nocebat & ſymptomaticus erat, qui quocumque morbi tempore ſuccedens intactam morbi cauſam relinquebat, hinc ſub tali alvi profluvio morbum increſcere, haud raro rudiores admirabantur &c.

Uti mitiſſima ſymptomata morbum in initio quaſi larvantia ſiniſtri ac ſopiti quid ſubalere ac ſubumbrare mihi exhibebant pulſus parvus & valde celer, reſpiratio difficilis crebra, halitus valde olens, levis quidem, ſed univerſalis tremor, ſitus erectus difficilis, continua in animi ſubdeliquia pronitas, & corporis jactatio, ſubita faciei mutatio & ejusdem absque praeviis evacuationibus contractio &c. ſic gravia aliqua ſymptomata in ipſo morbi initio vel progreſſu conſpicua ac terrorem incutientia, ut deliria, dolores capitis & lumborum atrociſſimi, pervigilia; alti ſopores, vel cophoſes &c. non ita in his aegris timenda erant, utpote, per ſympathiam ſolummodo occaſionata, quae ut plurimum vomitu & alvi fluxu Bilioſo-putrido cito & facile ope naturae, vel artis excitatis &c. ſatis cito miteſcere vel evaneſcere obſervavi. Igitur illi, qui ab initio morbi ſponte, vel arte facile vomitu materiam bilioſam, cum levamine ejecerunt facilius morbum ferebant & citius curabantur, neque poſtea pravo colore v. g. icterico foedi, vel diarrheis quaſi colliquativis putridis conſpurcati & debilitati fuerunt &c.

Inſuper, uti album oculorum valde flaveſcens ab initio in hoc morbo nobis haud arridebat, quia bilis refluae

refluae & per maſſan ſanguinem raptae rationem exhibebat, ſic album hoc ſubrubrum apparens, colorem florum paeoniae maris referens, venulisve rubris variegatum & infectum minimè nobis placebat, quia hos aegros magis febricitantes in delirium quaſi phreniticum proniores, & quandoque exanthematibus variis praeſertim petechiis inquinatos, vel diarrheis ſeroſis, vel ſudoribus continuis valde debilitatos obſervavi.

Denique qui ab initio delirabant, vel qui Materiam virideſcentem, quam bilem aeruginoſam vocant vomitu vel alvifluxu evacuabant, gravius quidem, ſed tamen non longius ab hoc morbo detinêri obſervatione conſecutus fui, longè pejoris notae erat delirium cum reliquis malis ſymptomatibus paulatim increſcens, vel vomitus, vel alvi ſeceſſus valde variegatus cadaveroſi odoris, ſpumoſus, fractis aegri viribus ſub finem morbi recrudeſcens, vel tandem ſingultus ſuperveniens &c.

§. 6.

Uti morbi ſunt febriles meri & veri inflammatorii, qui in curſu ſuo non turbati, ſed à prudenti medico in exceſſu, vel defectu non nihil moderati, adjuti, materiam morboſam evacuationi praeparant & ſponte quaſi coquunt; & hanc coctam naturali criſi praefixo temporis ſpatio naturali organo, vel quaſi novo à provida natura excitato expellunt. Sic & morbi quoque Febriles ſunt & obſervantur, in quibus haec non ita contingunt, licet non turbati Medicus, in his quieſcat & aeger: talesque Febres & Bilioſo-putridae ſunt ex multiformi colluvie ventriculum, inteſtina aut viſcera adjacentia occupante, vel in maſſam communem tandem reſorptâ procreatae, in quibus uti Romae, ſic apud nos certis & ſtatutis diebus ma-

teriae morboſae coctio & excretio fieri haud obſervantur, ſic & ego cum Baglivio in *harum* ab illo *Meſentericarum* dictarum *Febrium curatione ſaepè vidi, inutile eſſe dies criticos, eorum vim & poteſtatem obſervare.* *n*) Quae interim ſalutares in his noſtris Febribus obſervabantur evacuationes praeſertim ſponte, vel arte evenientes, erant vomitus primo Bilioſo-putridi, deinde tales alvifluxus cum urinis ſaturatis turbidis bilioſis; & tandem univerſalis & aequalis mador ſeu aucta tranſpiratio ſub forma ſudoris totum corporis habitum relaxans & humectans cum aliis bonis ſignis evenientes; illudque in hoc morbo obſervandum interdum uſu venit, ut non uno ſolutionis genere ſed alio atque alio finiatur; eſt, ut pluribus ſolvatur ſimul quod & in aliis Febribus complicatis vel malignis ſaepius contingit.

§. 7.

In noſtro morbo quandoque lente incedere vel miteſcere videbatur Febris, mox acrius cum ſaeviſſimis ſymptomatibus inſurgens, etiam in illis aegris optimis remediis ab initio tractatis, & quorum uſu aegritudo compeſci videbatur. Porrò frequens hac in noſtra conſtitutione obſervabatur morbi recrudeſcentia, ita ut Febris per unum alterumve diem ſilens, absque manifeſta cauſa de novo ingrueret, aegrum exaeſtuaret, & conſuetis ſuis ſymptomatibus iterum hunc torqueret.

Inſuper haud pauci aegri per plures dies convaleſcentes, quaſi integri facti, ad conſueta munia redeuntes morbum aliquoties recidivum, aſt primario ut

pluri-

n) Bagliv. prax. med. lib. 1. de Febri mal. et meſenteric. pag. 25.

plurimùm mitiorem paſſi ſunt, quod ſaepius accidebat ob diaetam neglectam, haud raro ob frigus imprudenter ſuſceptum, quandoque ob morboſi fomitis reliquias ſuperſtites, purgatione procraſtinata vel neglecta, vel & gravius, ob enorme animi pathema perpeſſum, cum hoc ſemper à quacumque cauſa excitatum in debilibus ſpirituum ataxia laborantibus noceat, & ſic celſiſſimus *Tiſſotus* in diſſertatione de Febribus bilioſis pag. 83. ſenem memorat, qui ab hac Febre convaleſcens, irâ excandeſcens in ſoporem verè apoplecticum incidit, cujus comes erat hemiplegia ſiniſtrum corpus per plures hebdomadas paraliticum detinens, talemque caſum magis horrendum & combinatum à nobis obſervatum in paragrapho quarto annotavimus &c.

§. 8.

Vis morbi maxima vel aegrorum major frequentia hujus Febris Bilioſo-putridae popularis, ab initio menſis Junii ad finem Anni 1772. apud nos obſervata fuit, ſic ut morbus noſter vernali tempore increſcere aeſtivo autumnalique vigere, & hiemali decreſcere obſervatus fuerit, ita tamen ut usque ad menſem Martii ſequentis anni 1773. non interruptus perſeveraverit, namque autumno hujus Anni 1772. ſubſequens hiems pluvioſa, mitis, ſaepius ſubcalido-humida multum huic epidemiae genio favebat, cui menſis Martius Anni 1473. praeter morem ſerenus, frigido-ſiccus, contrarius finem imponere videbatur, ſi aliquibus; ſaltem morbis inflammatoriis locum & occaſionem ceſſurus, *o*) licet

o) Licet hominibus valde placens, corpori noſtro amicus et ſanitati congruus eſſe videatur aër ſiccus et elaſticus unà corporis et animi vires incitando; at idem ubi fri-

gidi: r

licet hoc verno tempore paucos merè inflammatorio morbo decumbentes, ſed & hoc & aeſtivo & autumnali morbo Bilioſo-putrido ſolito plures detentos, inter quos nonnullos cum morbo inflammatorio complicatos tractaverim, nam uti dixi nullus apud nos tam fauſtus eſt annus, qui ab hujus Bilioſo-putridae indolis Febre intaminatus & immunis exiſtit. Igitur praeter illos aegros haud paucos hoc morbo implicitos, quos ego Anni 1773. decurſu tractavi, aegrotorum numerus à me Anno 1772. tractatus ex adverſariis collectus praeter haud paucos alios anterioribus menſibus obvios fuit ſequens; menſe Junii 16., Julii 28., Auguſti 37., Septembris 42., Octobris 36., Novembris 29., Decembris 24. & ſic totalis ex hoc morbo aegrorum numerus à me ſeptem menſium tractatorum 212. complectitur, qui catalogus ſatis numeroſus videtur, ſed tamen quisque facile concipiet, hunc cito augeri, dum raro unus vel alter, ſed ſaepius tres quatuor quandoque quinque, ſex vel plures aegros in eadem domo hoc morbo decumbentes inveni, obſervavi, tractavi.

§. 9.

Tandem ſub hac conſtitutione epidemicâ per annuum ferè tempus continuata primae claſſis incolae Urbis noſtrae nobiles & opulanti, divitiis diffluentes, congruam

gidior eſt, ſanguinis ſpiſſitudinem inducit, et circuitum urget, ſic diſponens ad morbos inflammatorios, aliosque affines. Noxas peculiares habet aër quatenus ſiccior, cum ea de cauſa ſit potentius menſtruum vaporis, tum è pulmone, tum ex reliqua corporis ſuperficie exhalantis: undè partes rapidè ſiccatae intimio refrigério laeduntur. Porrò tempeſtas ſicca et aquilonia potiſſimum offendit homines juniores, temperamenti ſanguinei aduſtos etc.

congruam diaetam obſervantes, morbis chronicis haud inquinati, firmâ ac proſperâ valetudine fruebantur ac à Febre praedominante ferè intacti permanebant: reliquique cives nitidi ſecundae claſſis, vitaeque commoditate gaudentes etiam rectè valebant, niſi ex his unus vel alter hic & ibi ſub iisdem tectis ſporaticé hac Febre populari laborare deprehenderetur: tertiae verò claſſis ſcopae diſſolutae tenuesque pauperes homines ob varias cauſas recenſitas & commemorandas, hac Febre Bilioſo-putridâ epidemico plane impetu in hos graſſante, vel ſaltem variis morboſis affectubus, licet absque Febre ingruentibus, equidem de hujus indole & fomite participantibus vitiabantur, quales erant v. g. inappetentiae, ventriculi languores, nauſeae, vomitus vel alvi conſtipationes cum inteſtinorum borborigmis, flatibus vel doloribus ab inteſtino colo vel ileo dictis, vel alvi fluxus difficiles Bilioſo-putridi, vel viſcerum quam maximè hepatis obſtructiones ab infarctu natae, vel colores icterici regurgitatione bilis in maſſam communem orti corporis habitum deturpantes, vel acutiſſimae cholerae ſeu per utrumque os ſimul prorumpentes Bilioſo-putridae ac ſeroſo-liquidae materiae fluxus enormes, cum capitis dolore crudeliſſimo ſaepius comite, quae omnes eadem ferè ſecure, licet non ſemper eodem modo acuatâ ac modificatâ aegritudines reſcindendae erant &c. Multiplices primo intuitu varias ac graves poenas fomite morboſo inter hos communi plus minusve inquinati ac labefactati luebant. Interim pueri voraces, optimo victu & amictu proſpecti, potius ſubacida, dulcia, inſipida lacticinia farinoſa, mollia & aquoſa legumina ſuccoſosque fructus horreos, quam ſopore exaltatos acriores cibos ex regno animali petitos, aromate conditos Gallicè *de haut gout* dictos, ut & carnes nigras, vetuſtas, fumo vel ſale induratas vel ſemi corruptas, talesve piſces &c. adaman-

adamantes, facilius frequentiusque cruditate acidâ vel viſcidâ, quam alkalinâ rancidâ vel Bilioſo-putridâ laborantes, procul à curis ſi ullis, ſaltem levioribus nec diu perſiſtentibus animi patematibus obnoxii (ſi terrorem tollas, à quo inconſideratè incuſſo toties hi graviſſima patiuntur & peſſima luunt, miſerè convelluntur ac pro toto vitae curriculo imbecilles fatuique evadunt, nervis valde debilibus mobilibusque praediti) corporis compage laxa, molles, agiles, facili negotio humores ſuperabundantes excrementitios plus minusve acres per colatoria convenientia, facillimè per tranſpirationem inſenſibilem, vel ſudores exhalant ac evaporant, vel per alvum laxam in his facile mobilem exonerant; hi inquam tenelli, licet tempore hujus conſtitutionis rarius leviusque hac Febre vulgari Bilioſo-putrida inquinati ac detenti forent, tamen ex his ſpecialiter ex aedicularum pauperumque tabernarum convictu & familia proles non modo his Febribus Bilioſo-putridis inquinatae, ſed & variis morbis particularibus intercurrentibus detentae & divexatae erant, quae haud dubia tranſpirationis digeſtionis vel chylificationis laeſae indicia exhibebant cum ex his ſolito plures affectionibus catarrhalibus caput fauces vel pectus occupantibus, doloribusve vagis artuum rheumaticis, vel diarrheis ſeroſis, quaſi colliquativis, vel alvi fluxu terribili lienterico nominato, vel alvi profluviò ſolito liquidiore chyloſo caeliaca paſſio dicto, ac ſaepius ex infarctis meſenterii glandulis orto, vel in primarum viarum tractu nidulante, germinante ac irritante verminoſa progenie, vel tuſſi his perfrequenti ferina ſtomachali convulſiva &c. per totum ferè hujus infauſti anni curriculum laborare deprehendebantur. Hique erant ferè ſoli morbi intercurrentes, reliquis exceptis chronicis ſub hac conſtitutione magis inter infimae claſſis familias obvii, quos vel ideò & annotare volui

eo

eo ſcilicet animo, ut ſingulorum horum inde natura focus & fomes innoteſcerent; ſequens in hoc utique magni praeceptoris *Hippocratis* veſtigia, qui in deſcribendis aëris & morborum conſtitutionibus hanc quoque tenuit rationem. *p*)

SECTIO

p) Uti in epidemiis ſub certis conditionibus particulares ac determinatae animalium ſpecies infeſtari & labefactari, ſic & in iis ſpeciales ſaepe hominum claſſes, aetates vel ſexus ob varias cauſas antecedentes & procatharticas affixi, vel infici comperiuntur; quippe omnes hi morbi ex cauſa plus vel minus communi orti dum populariter graſſantur, tum omnes ſeu reliqui morbi ſilere conſueſcunt, vel ſi aliqui intercurrere obſerventur, ſaltem hi de morbo praedominante participare ſolent uti obſervantiſſimus jam diu annotavit *Sydenhamus*; quia tum temporis omnes in morbos proni, hi quoque facili in morbum ex vitio communi ortum praediſpoſiti incurrent: quod ſi morbus epidemicus ſimul contagioſus ac malignus extiterit illis frequentius accidit, qui ſeſe imprudenter contagio exponunt, hocque ſenſu regnante peſte, omnes alii morbi ſilêre dixerunt veteres, vel ut peſtem Neomagenſem deſcribens *Dimerbrockius* pag. 10. ait: *ſi tum temporis quiſpiam alio morbo corriperetur, intra viginti quatuor horas peſtis illi morbo adjungebatur, ita ut toto anno vix ullus morbus peſte incomitatus fuerit &c.*

Demum ut id fuerit benè meminiſcor & pro caſu rariſſimo in adverſariis annotavi, me toto hoc anni ſpatio, quo Febris Bilioſo-putrida remittens continua populabatur, me ſolummodo unicum aegrotum vera Febre intermittenti laborantem tractaſſe, qui erat Sacerdos natione Hybernus temperamento atrabiliario praeditus hoc autumnali tempore aliquamdiu in poldris ſito & extructo munimento ad Scaldis ripam moratus, in quo degens cum variis obſtructionibus in infimo ventre generatis Febrem intermittentem quartanam contraxerat, more & genio admodum rebellem, contumacem ac remedia exquiſitiſſima deſobſtruentia tonica febrifuga diu

SECTIO SECUNDA.

Morbi genus, cauſas &c. inquirens.

§. 10.

Varii tam ex antiquis quam recentioribus Medici, variis nominibus hujus genii vel ſpeciei Febrem indigitarunt & deſcripſerunt, ut plurimum ex ſymptomatibus, locis praecipuè affectis &c. derivatis nominibus, & ſic neglecta cauſa primaria materiali, tot adoptarunt ſpecificas denominationes, quot paulo graviora vel magis urgentia ſymptomata in harum Febrium tractatione obſervabant; licet tamen quisque practiſans Medicus indies experiatur eandem morbi cauſam pro varia vi, ſede, aegroti idioſyncraſia, varia regione, varia tempeſtate, variaque medendi methodo, varia ſymptomata facie quidem diverſa, eadem tamen methodo, non nihil modificata medicanda producere poſſe: ſicque ex modo dictis quisque facile percipiet, hanc noſtram Febrem popularem non fuiſſe ex illis, quas ſimpliciter inflammatorias, vel intermittentes nuncupamus, ſed ex illis quas veteres typos, haemitriteas, lypyreas, aſodes, & quandoque ſynochos putridas, vel cauſus cholericas &c. Recentiores meſente-

diu eludentem &c. Haecque fuit ſola aegrotorum Febre intermittente detentorum raritas, quam à viginti quatuor annis, quibus praxin clinicam exercui in Urbe ut diximus in decliviori ſolo natura vel arte pro Mercurii vel Neptuni miniſtris faciliore aditu vel Martis filiis difficili acceſſu extructa, in qua & huic ſimilibus locis quam maximè ſub tempeſtatibus humidioribus perfrequentes eſſe inter incolas Febres intermittentes conſueſcunt.

ſentericas, gaſtricas, ſtomachales, ſtercoraceas, & recentiſſimi Bilioſas vel putridas nominarunt, & quam Febrem combinato nomine Bilioſo-putridam ab aliis inflammatoriis vel intermittentibus diverſam, cum quibus tamen quandoque complicatur, ſpecificavimus. *q*)

§. II.

Poſtquam clariſſimus Conſiliarius Aulicus & Profeſſor primarius *A. de Haen* Anno 1771. à vernali tempore in hiemem protracto, Febres continuas remittentes ab illo malignas dictas, quas intra moenia ſuburbiaque Vienna vidit, pertulit, luxit, in ſua annua ratione medendi continuatâ parte primâ, capite nono, paginâ 69. expoſuiſſet, relictis illis magis malignis, quas in Urbis Vindobonenſis viciniâ & Bohemiae Regno dira fames procreaverat, cui mox effiaciſſimum antitodum & remedium vigilans induſtria & larga miſericordia benignae Reginae Matris & vigilantiſſimi Imperatoris hujus auguſtiſſimae Genetricis Filii digniſſimi excogita-

q) Cum praeter neceſſitatem in Medicina numquam augenda ſint entia, optime nobis placet ſimpliciſſima generalis licet illa Febrium primaria diviſio à celſiſſimo *Tiſſoto* polita, quâ omnes Febres, ne una quidem excepta, eſſe intermittentes, inflammatorias, putridas, aut ex illis complicatas aſſeverat. Et magnus *G. Ballonius* in conſtitutione Anno 1575. animadvertit, alias Febres eſſe venoſas, alias eſſe gaſtricas, *id eſt*, inquit, *quaedam phlogoſim ſequuntur prius venoſi generis quam vitium humorum in praecordiis contentorum, quae venoſi ſunt generis, hae primo quoque tempore per phlebotomiam ceſſant, quae alterius ſunt generis non ſolvuntur v. s., contra potius cathartico egent; ut non mirum ſit, ſi quasdam Febres ut miraculo tollat phlebotomia aliae hac potius exacerbentur.* Oper. omn. tom. I. lib. II. pag. 78.

excogitarunt & poſuerunt, in cujus rei memoriam vel hoc ſolo titulo ſtatuas erigendas, perpetuò colendas, ſemper auguſta haec promerita eſt Auſtriaca & Caeſarea Familia &c.

Et poſteaquam Praeclarus *M. de Man* Neomagenſis egregius Medicus &c. Febrem putridam malignam pagum Maurick cum adjacentibus vicis, & anno 1770. & 1771. inquinantem & depopulantem claro ſtylo vernacule deſcripſerat & typis divulgaverat, quae Febris, ut ait, jam ab aliquibus annis civitatem Neomagenſem conſpurcaverat &c. Et cum in variis diariis medicis Febres putridae continuae jam à tribus elapſis annis annotatae fuiſſent, uti in Flandria Inſulis ac locis vicinis ab obſervantiſſimo Domino *Bouchero* &c. Tandemque poſtquam ego jam anno 1771. ſolito plures Febre Bilioſo-putrida decumbentes hac in Urbe noſtra Antverpienſi quam maximè autumnali tempore tractaſſem, quae Febres hiemali frigore quaſi in fugam ejectae ferè evaneſcentes, jam revertentibus hirundinibus, aeſtivisque caloribus maiori agmine reverſurae ſunt, ita ut haec Febris continua remittens Bilioſo-putrida à nobis dicta hoc Anno 1772. non modo noſtra in Urbe multisve Belgii Civitatibus, ſed & in variis Europae Regionibus & Provinciis populariter regnaverit.

Igitur Morbus noſter popularis ex fomite Bilioſo-putrido ſtimulum inducente, ortus & nutritus pauperum tabernas praeſertim frequentans, infeſtans & labefactans, uti talis ordinariè ob varias cauſas conſuevit, ab indocto vulgo nigerrimo Carbone notabatur, & promiſcuè, licet injurioſè, ut morbus atrox valde contagioſus ac malignus taxabatur, & malè ab indoctis cum peſſimis his qualitatibus confundebatur; undè peſſimus rumor divulgabatur & generaliter infimae ſortis homines garruli & timidi pluries horrenda & terri-

bilia

bilia potius falſa quam vera divulgantes, & tunc juxta Ovidium

Hi narrata ferunt aliò; menſuraque ficti
Creſcit; & auditis aliquid novus adjicit Author.

Cum tamen nemo medicorum neſciat, morbum epidemicum ſtricte dictum eſſe talem, qui in eadem civitate Provincia, vel Regione, cui non eſt proprius ſimul plures afficit ut apud nos peſtis, vel late ſumptum & talem dici, qui alicui civitati Regioni, vel mundi plagae quidem proprius, ſed ſaepius ſporadicus quandoque ſub certis conditionibus praeter morem valde popularis plures ſimul affligit, uti apud nos haud raro Febres re & intermittentes, variolae, morbilli &c. Morbum verò contagioſum eſſe, cujus virus tam atrox eſt, ut ſuo attactu, vel halitu volatili, mediante aëre communicato, in alio homine ſimilem morbum, producere valeat; morbumque tandem malignum nuncupari, qui ſymptomatibus periculoſiſſimis pariformi morbo gravioribus anomalis vel clandeſtinis ſubdoloſis ſtipatus, licet optima methodo tractatus, plurimos aegrotos ſummae vitae periculo exponit, vel ſubito necat &c.

§. 12.

Igitur morbus noſter per ſe non erat contagioſus, quia nec attactu nec exhalatione aegrotorum corpora in aliis ſimilem morbum excitabant, ita ut nulla pulla vel nigra ſoror fraterve Alexianus ex hoc morbo aegris noſtris tam de nocte quam de die continuo adſtans, inſerviens, famulans, nec ullus medicus hoc morbo detentos aegrotos indies viſitans, examinans, explorans, vel Sacerdos his aegris cum delirii vel vitae periculo decumbentibus SS. Eccleſiae Sacramenta adminiſtrans, quantum noverim ſimili

 morbo

morbo ab his aegris propullulante contaminatus fuerit. Et licet ex hiſſe unus vel alter ejusdem genii, morbo poſtquam cum his aegris converſatus, detentus fuiſſet, inde nodum ſequeretur, quod talis à miaſmate contagioſo infectus fuiſſet, quia vitium commune peccans & in hoc; vel illo latens ſimilem morbum popularem ab omni contagio immunem excubare & extricare poterat &c. Inſuper licet plures in una domo eodem morbo decumberent, quod haud raro apud nos obſervabatur, malumque praeconceptum contagii terrorem incutiebat, ideo necdum morbus noſter ut contagioſus taxandus erat; quia non ſimul & ſemel omnes hoc morbo neque extranei haec morboſa tecta ſubintrantes contaminabantur, & rarum fuiſſet quod ſolummodo unus vel alter in eadem familia à morbo inter popellum tam frequenti à communi vitio orto decubuiſſet, cum naturaliter plures eiusdem convictûs domeſtici familiares iisdem cauſis tam in quam externis expoſiti ſint, nam independenter à cauſa omnibus communi externa, cauſae internae non modo à variis temperamentis ſeu corporis conſtitutionibus, ſed & à vitae genere alimentis, locis inhabitatis & animi paſſionibus dependent. Hinc nil miri, ſi plures ſimul vel ſucceſſive iisdem cauſis expoſiti, & labefactati in eadem domo decumberent &c. dum in vicinio habitaculo nitido, ſpatioſo, novo aëre indies perluſtrato, in quo familiares ab aëris injuriis probè muniti & optimo victu nutriti proſpera valitudine fruebantur, & licet, quod raro, in tali domo unus vel alter hoc morbo decumberet, tamen rariſſimè vel nunquam malum hoc ulterius proſerpere obſervatum fuit. Sic in Urbis noſtrae nitidiſſimo ſpatioſiſſimo orphanotropio, in quo & ſuſcipiuntur pueri illi, quos relinqui & exponi barbara parens, tolli, nutriri miſericors reſpublica juſſit & curavit,

ravit, ex his nullos toto hujus Anni 1772. curriculo hac Febre laboraſſe, niſi illos, quorum hoc morbo laborantibus vel mortuis parentibus jam modò hac labe inquinatos in hujus domûs infirmariâ depoſitos, ac ibidem ab omnibus neceſſariis ritè proviſos tutè & citò curatos nullos alios cohabitantes & cum his commercium alentes infeciſſe ac contaminaſſe mihi inquirenti retulerunt reverendus admodum & probus Sacerdos & reliqui Curatores hanc domum inhabitantes, horum parvulorum tam quoad corpus, quam ad animam curam gerentes &c. Et ecce ſuperflua hujus Morbi ab omni ſuſpecta contagii labe excuſatio & abſolutio. r)

 Inſuper

r) Interim dum vanum nocuum & nimium infectionis contagioſae metum circa hunc Morbum praeconceptum diminuere vel deſtruere nitor, nimiam tamen in hoc Morbo ſecuritatem minimè laudo vel approbo: praeterquam enim, quod atmoſphaera aegros Morbo putrido detentos ambiens numquam ſalutaris, ſed ſemper plus minus conſpurcata & ſanis adverſa exiſtat, ſic illa pejor fit & longius ſeſe expandit in cubiculis depreſſioribus minus aëri novo puriori patulis & his aegris & his inſervientibus accumulatis infarctis, in quibus haud rarò aura maligna contagioſa excubatur, nutritur & propagatur. Et talem triſtem caſum, Anno 1773 menſe Martio, quo Morbus noſter quaſi ſopitus valde rarus devenerat, in domo anguſta à comatore famoſo (ſit verbo venia) inhabitata praedixi, vidi, obſervavi, in hac domo à patre & matre familias & oct prolibus inhabitata primis Martii diebus natu minima filia Febre Bilioſo-putrida laborabat, haec cum matre de nocte proli ſuppetias ferenti cauſa in eodem lecto dormiebat, omnes reliqui de die in hoc cubiculo depreſſo occluſo cibos praeparabant, & hos ibidem ſimul degentes manducabant imprudentes, praeſervationis conſilia à me data ſpernentes, negligentes vel flocci facientes; mox mater, obſequioſa natu maior filia & filius robuſtiſſimus juvenis cum peſſimis ſymptomatibus, anxietatibus, animi

§. 13.

Inſuper morbus noſter minimè malignus erat dicendus, utpote qui nullis anomalis clandeſtinis vel patulis ſignis gravioribus vel periculoſioribus incedebat & ſtipatus erat & licet in hoc morbo quandoque ſymptomata

mi ſubdeliquii, ſtupore, cutis exfloreſcentiis ex petechiarum familia, & tremoribus univerſalibus aliisque à morbo primo alienis decumbebant; & cum incautus hic adoleſcens exanthematibus ſcatens imprudenter ſubito ſeſe frigori expoſuiſſet, ſubito omnes diſparebant petechiales maculae, unde mox quaſi phreniticus factus cum furore delirabat, dein continuo ſurdo delirio, & ſtupore preſſus ſtridula voce varia obmurmurabat, ſubfuſcis & nigris maculis in pectore & brachiis denuò apparentibus variasque figuras & formas referentibus cum tendinum tremore & convulſivis motibus univerſalibus, et gangrenoſa cruſta os ſacrum occupante (quae his omnibus communis fuit) apparente et ulterius per totum dorſum proſerpente ad plures demigravit. Sub his aerumnis quatuor reliqui juvenes filii cum patre per unum alterumve diem vacillantes, titubantes et quaſi contra morbum reluctantes, ferè ſub eodem tempore graviſſimo morbo dubio periculoſo, plus minus maligno contagioſo omnes ſimul decubuerunt, nec niſi poſt urgentiſſima vitae pericula diu valetudinarii reſurrexerunt: tandem natu minimus puer nullis animi paſſionibus obnoxius indies in libero aëre ludens diu intaminatus hunc morbum contraxit, et omnibus reliquis multo mitius hunc pertulit et ex eo citius evaſit. Denique virago his omnibus aegris opem ferens et continuo adſtans domi ſuae hunc morbum ſubivit, etc. Sicque ne uno quidem excepto ex tota hac familia labem hanc totam domum conſpurcatam occupantem evaſit, inque hac quaſi victima minanti morti immolatus fuit robuſtiſſimus et natu maximus filius.

Talesque conſimiles caſus triſtes in ſimilibus domunculis tempore noſtrae epidemiae percepi, annotavi, doluí,

tomata ſatis gravia vel rarius obvia caput & quandoque totum facile irritabile genus nervoſum ut plurimum ſympaticè valde torquentia apparerent, attamen illa ſub recta Morbi Medicatione tutè & citò evaneſcebant & ſuperabantur, qualia v. g. erant ingruente & increſcente Morbo dolores capitis vel & lumborum atrociſſimi, pervigilia, deliria, anxietates, tremores & motus convulſivi &c. Et in morbi declinatione vel progreſſu absque aliis malis ſignis ſtupores, ſurditates & ſopores ferè continui lethargum aliumve Morbum ſoporoſum mentientes & prae ſe ferentes &c. Denique ex hoc Morbo aegri recta methodo tractati promiſcuè ſanitatem recuperabant, & absque ullis ferè reliquiis morboſis convaleſcebant, & licet morbus ob vitium in his tribus rebus non naturalibus commiſſum citò recidivaret & ſaepius recrudeſceret à Morbi fomite intus relicto ſuperſtite, novis viribus adjuto at-

lui, etc. Nec prodigiosè, ſed naturaliter, cum haec omni tempore, etiam absque ullo praevio Morbo, evenire obſerventur, cum et phyſicis notum ſit, peſſime ſe habere, quin imo cito perire animalia diutius detenta in aëre non renovato, maximè ubi plura eumdem aërem inſpirare coguntur, et corrumpunt cumulatis foedis exhalationibus, et triſtes caſus ſaepius docuerunt quam funeſta ſit multorum hominum ſtipatio in locis penitus occluſis, nam tunc, ut aiebat *Plinius*, ipſum quoque quo vivitur, aërem in perniciem vertimus, et ſanè praeterquam varia effluvia in locis paludoſis noxia et animalium cadavera in tabem effluentia, ſic et multorum hominum concurſus in eodem loco absque renovato aëre diu continuatus maleſanus, contagioſus et peſtiferus eſt: quinimo atmoſphaera ſtagnans, frequentiâ animalium infecta et polluta, mox valde rancet et putreſcit, et ad reſpirationem tandem inepta fit. Nec mirum, nam et aquae dulcis balneum ſorde humana maximè cutanea foedatum putreſcit et putet breviſſimè etc.

tamen ex his recrudeſcens vel recidivans Morbus mitior, ut plurimum & magis placidus mitiſſimis obediens remediis ſe exhibebat &c. *s*)

§. 14. Pre-

s) Equidem materia morboſa ſtimulans circa praecordia haerens non tam viſcida erat, nec tam lente procedebat Morbus, uti in illa Febre Bilioſa Lauſannenſi Anni 1755. à celſiſſimo *Tiſſoto* clariſſimè et exactiſſimè delineata, in qua magis lentè ſeu chronicè procedebat morbus, ita ut aegri, qui primum ſtatum exhibebant aliquamdiu pancreaticè valentes, è lecto quidem ſurgentes omnibus vere muneribus impares, torpidi, inertes è ſedili ad lectum et è lecto ad culinares focos ſeſe tranantes, nec niſi renuendo vel vacillando ambulantes per plures dies quaſi Febre intermittente anomala laborantes cum ſignis Bilioſo-putridi fomitis ſyſtema digeſtivum laceſſentis et aggravantis perpetuo obviis antequam omnia acerbiora fiebant, et Febre remittente continuâ ad integram apyrexiam non amplius redeuntes plecterentur; quod pathognomicum erat ſignum, quo ſecundum morbi ſtatum à primo diſtinguebat illuſtriſſimus Author. Quam plurimi verò et ferè omnes ex noſtris aegris mox absque eo, quod antea morboſi imbecillive viſi fuiſſent, ab ipſo ſubito ingruentis morbi initio gravioribus ſymptomatibus preſſi, Febre remittente continua plus minus valida prius à refrigerio vel horripilatione ingruente & poſtea magis alternis diebus praeſertim circa veſpertinum tempus ſaepius absque novo frigoris ſenſu recrudeſcente cum ciborum faſtidio nauſea vel ſpontaneo vomitu ac ſaeviſſimis capitis et quandoque lumborum &c. doloribus, non niſi miteſcente Febre diminuentibus vexabantur etc. Ita aegri noſtri in quibus aderat minor fomitis morboſi viſcoſitas et lentor vel ejusdem majòr mobilitas et acrimonia, ſecundum morbi ſtatum à celſiſſimo *Tiſſoto* expoſitum exhibebant, ſi licet morbus noſter minus chronicus in duos potiſſimum gradus diviſus gravius ingrueret, frequentius recrudeſceret vel recidivaret, tamen in eodem gradu conſideratus non erat malignior quam ille lauſannenſis à toties laudato viro expoſitus.

Tamen

§. 14.

Perquiſito Morbi noſtri genio, & deletis vel diminutis circa hunc contagii vel malignitatis erroribus & terroribus in Morbis epidemicis nocivis ſemperque arcendis, nunc in ſingulas hujus Morbi cauſas producendo examinando & exponendo quaſi ſponte vacillante calamo & tremula manu allicior rapior, vagor, in denſas & abſtruſas naturae latebras, in quibus profundus pateſcit hiatus ad impenetrabilia apollinis artis myſteria quaſi viam pandens, quem ſub intrare meditans, in illum introrſum video veſtigia, nulla retrorſum, quare & nos veſtigia terrent, hinc ſimpliciter conſideratis & rudi modo inquiſitis aëris & loci conſtitutionibus, vitae generibus cum genuina vera & quandoque variata Morbi facie &c. Absque multis ambagibus utiliſſime ad curam fomitis morboſi fons ſeu ſcaturigo inquirenda & detegenda eſt, & generaliter in ſingulis ex hoc Morbo aegrotis invenimus indicia & ſymptomata bilioſi & putridi fomitis plus minusve excedentis acuati,

Tamen certis ſub conditionibus morbus ex ſe minimè periculoſus vel malignus, talis fieri obſervatur, v. g. in aegri jam antea à vitio huic morbo ſtimulum addente graviori labefactatis, vel diu neglectis vel malis artibus tractatis vel accumulatis, in tali aëre & loco in nota exemplo claro ſub§. 12.&c.expoſitisdecubentibus etc. in quibus nonmodo miaſma contagioſum,ſed & malignum vel lethale oritur, excubatur, nutritur. Quod toties conſpurcata loca grege vel populo nimis repleta & occluſa docuerunt. Et mirum eſt quod in graveolentis, conſpurcatis, minus patentibus caſis ſqualidisque Pauperum tabernis non ſaepius enaſcantur, contaminent & profluant haec formidanda miaſmata, niſi fortè conſuetudine, quae quaſi altera natura eſſe obſervatur, infringatur & minus noceat aliquatenus deleteria vis horum effluviorum

ti, intricati vel mobilis &c. Triplexque hujus cacochiliae fons ſeu ſcaturigo eſt, puta primo humor perſpirabilis ſaepius perturbatus & interceptus ac aliquamdiu in corpore retentus, putreſcentis ſemper indolis, & inditis humanae machinae legibus ſaepius & pro maxima parte ad primas vias refluens, & per longam & anfractuoſam corporis cloacam ſeſe ordinariè evacuans; hinc toties bonis avibus ſub cutis denſitate fit alvi laxitas &c. ſecundo alimentorum praeſertim ex animali genere ſponte putreſcente reliquiae, tertio ipſa bilis acrior omnium corporis noſtri humorum citiſſimè in corruptionem vergens & corrupta putreſcens quae ſimul ac putruit omnes reliquos humores, cum quibus confluit, mox corrumpit & putrefacit. Interim paetermiſſis brevitatis cauſa, aureis divi *Hippocratis*, illuſtriſſimi *Gorteri*, exactiſſimi *Huxami*, amantiſſimi *B. Tralleſii*, optimi *F. Hofmanni*, ſummi *Boerhavii*, elegantiſſimique illius commentatoris *Switenii* & feliciſſimi quondam cremonenſis medici practici *Walcarenghi* &c. verbis & ſententiis, rem noſtram annotantibus approbantibus, confirmantibus â clariſſimo S. A. V. *Tiſſoto* exactiſſimè allatis & citatis, jam ſatis ſuperque conſtare videtur, veram Morbi noſtri endemici & ſaepius maxime tempore autumnali ſporadici & toto hujus Anni 1772. decurſu popularis, cauſſam fuiſſe humorem Bilio-

rum, ſed heus! aſſueti longè majorem cujuscumque veneni v. g. narcotici doſin ſufferre poſſunt: & referente *Lanciſio* ſic mexicani impunè devorare poſſunt ipſam muſcorum & ejectamentorum putridam congeriem, quae aquis paluſtribus innatat nobisque pro veneno eſt &c. ſicque in aquis cenoſis ſtagnantibus, pollutis, graveolentibus vivere piſces in illis aſſueti vel progenerati deprehenduntur, ubi alii ejusdem ſpeciei in aquis limpidis continuo fluxu motis indigenae & progeniti, dum in illa aquarum ſtagna apponuntur mox languent & emoriuntur &c.

Bilioſo-putridum alcaleſcentem, minus majusve acrem, turgentem, ſtimulantem, ventriculum inteſtina duodenum praeſertim & huic proxima, hepar, veſiculam felleam, ductus biliarios, pancreas, aliasque partes in abdomine contentas obſidentem vel occupantem, illas idiopaticè, & alias licet valde diſſitas ſympaticè irritantem, & lapſu temporis, vi Morbi, prava medelâ, perverſâ dieta, omnem tandem humorum maſſam inficientem & depravantem, ut ex modo dictis ſatis ſuperque patuit. *t*)

§. 15. Tan-

t) Plures curioſiores hac rudiori praeſertim ad curam accommodata cauſarum morbificarum expoſitione non erunt contenti, ulteriorem cauſarum hujus Morbi procatharticarum externarum praeparantium & antecedentium praedisponentium &c. exactam enumerationem et inquiſitionem deſiderabunt, & ſcrupuloſiores inquirent, & à me ſcire cupient, quare praeciſe ſub hac anni conſtitutione tam populariter per urbem noſtram totumque ferè belgium &c. Febres Bilioſo putridae graſſatae fuerint, & ſpecialiter communes fuerint illis hominibus quibus res anguſta domi curtaque ſupellex qui ob annonae caritatem, inopiam durumve vitae genus ſaepius ob varias cauſas tranſpirationem inſenſibilem ſuppreſſam ſuſtinuerunt, & ilia incongruo cibo impleverunt, quare in his non potius Febres rheumaticae inflammatoriae continuae vel intermittentes noſtris familiares excitatae fuerint? cujusve figurae &c. fuerint ſpicula acuata ſtimulum ſeu cauſam Morbi proximam excitantia, ponentia? & quoad Morbi hujus ſymptomata, quare aegri noſtri magis ex ſupremo quam ex infimo ventre doluerint: quare haec acrimonia Bilioſo-putrida ad inteſtinalem canalem confluens, non potius in inteſtinis tormina cum teneſmo ſeu dyſenteriam, quam ventris flatus liquamina, & diarrham Seroſo-bilioſo-putridam induxerit? etc. Sed revera in Morbis praeſertim popularibus ex vitio communi ſaepius complicato natis dum detegere, determinare vel potius ſupponere indolem mias-

§. 15.

Tandem hac ſimplici cauſae materialis internae & efficientis expoſitione contentus, denegatisque nobis cadaverum ſectionibus & inſpectionibus, quibus haec & varius illius effectus ulterius patuiſſent, *u*) antequam rationes auxiliaque proponam, per quae huic morbo ſuccurri tutiſſimè poſſit, prius repetenda & recolligenda ſunt illa, per quae ſecunda valetudo hiſſe aegris naturae

miasmatis epidemici ſpecifici molimur, theoreticè ſomniantes, vel ſuaviter quaſi delirantes

Sed fruſtra certis diſponere ſingula cauſis
Tentamus. . . . .

Hinc numquid et illud quod hucusque latet in obſcuritate naturae involutum potius ſincera humilitate cum ſacrae Theologiae Doctoribus & Profeſſoribus, dum ſacra fidei Myſteria tractat v. g. dum agitur de explicando et deumbrando altum et incomprehenſibile SS. Trinitatis et Unitatis Myſterium elatis in Coelum oculis Deum in ſe & operibus ſuis adorando admiraremur cernui dicendo ò Altitudo! homines ſumus, hinc quanta ſunt quae neſcimus etc. Hocque modo cum plurimis magnis et ſinceris viris confeſſus eſt divus Medicinae parens *Hippocrates*, dum aliquid *To-heion* divinum his Morbis ineſſe agnovit protulit. etc.

u) Noſtri cives rariſſimè nobis concedunt illorum cadaverum ſectiones et inſpectiones, niſi violenta morte occiſis, demortuis, Magiſtratus authoritate coacti, vel in illis hydrope extinctis, quorum cadaverum aperturam et inſpectionem ſollicitare ſolent praejudicio imbuti, quod alias dirus hydrops in alium ex familia transmigraret. Vellem quidem et optarem pro horum utilitate, ut hoc praejugium in ſingulis illorum Morbis, praeſertim epidemicis, in illis praedominaretur.

rae beneficio contingere conſuevit, omnes etenim aegri qui ab hoc morbo ſponte ſeu ferè ſolo molimine naturae ſanabantur primis praeſertim Morbi diebus vomitu cum euphoria ejiciebant materiam Bilioſam, vel Bilioſo-putridam variegatam, & providae quaſi naturae inſtinctu in putredinem prona & in horrorem habebant adverſabantur, ſed è contra diluentia, acida & aceſcentia, ut ſerum lactis, acidum ſuccum citri, fructusque horreos acidulos non admodum maturos avide deſiderabant & ſaepius introſumebant, vel & tandem alvi fluxu lauto Bilioſo-putrido ſuperveniente ſanati fuerunt, profluentibus interim urinis valde ſaturatis, turbidis, quandoque ſedimentoſis, & tandem denuo naturaliter colore citrino tinctis ac tranſpiratione antea toties turbata, ac intercepta denuo reſtituta, & ſenſibiliter ſaepius per totum corporis habitum profluente, ſanitas confirmata fuit &c. Sicque omnes ex hoc Morbo benigniori aegri, ſuccedente naturae molimine quaſi critico, ſaepius absque Medico quidem, ſed numquam absque medicina integram ſanitatem recuperarunt, obque hanc rationem aceſcentibus, aceto, lacte ebutyrato, eius ſero acido, cremore tartari &c. ſaepius aſſumptis miteſcere, juſculis vero ex carnibus vel ovis &c. praeparatis increſcere Morbum rudior gens obſtupeſcebat. Interim ſaepius in hoc Morbo graviori imperfectum nec ſatis efficax eſt naturae conamen, cum diëta fomiti morboſo contraria, acidula leviter evacuante aegrumque ideo vel ſubito cum peſſimis ſymptomatibus preſſum praecipitat, vel ſi intus quidquam morboſi fomitis remanſerit mutata morbi facie aegrum diu languidum intertinet vel lente jugulat &c.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

Methodum medendi ſeu Morbi curam &c. declarans & exponens. &c.

§. 16.

VErâ Bilioſae ſeu Bilioſo - putridae Febris noſtrae, continuae remittentis, quam maximè inter popellum graſſantis, depicta, examinata & expoſita facie, cum indole ſua, mox patet & illuceſcit recta hujus medendi methodus, cujus utilitatem conſtanter approbavit & affirmavit uſus, quae binas monſtrabat indicationes, puta, aut fomitem Bilioſo - putridum intus latentem ſtimulantem &c. corrigere, ſive tali modo diſponere, ſeu alterare, ut amplius nocere nequeat &c. aut illum per convenientia loca evacuare & ſic corrigere ut ablata cauſa tuto & cito tollatur Morbus, & licet genuina Bilioſo - putrida Morbi facies quandoque non nihil mutaretur, vel complicaretur adventitiis aëris qualitatibus, vel variis ſeminiis morboſis in atmoſphaera aegri, vel in ipſo aegro latitantibus, ſemper tamen ſerius vel citius artis vel naturae molimine, fomes Morbi primarius deſtruendus vel evacuandus erat; *nam in Morbo noſtro corrupta bilis circa praecordia haerens, enormes Febres accendit, nunquam curabiles, niſi putridus ille fomes tolli poſſit.* Van Swieten §. 99. tom. 1. pag. 141.

§. 17.

Sola alterans methodus quandoque ſufficit & pulchra efficit, ubi pauca ſolummodo eſt materia in primas vias effuſa; & ſic medicamentis vix alteratis ob-

via

via & ſimplici acrimoniâ tantum nocens, ut in infantilibus Morbis ex acido optimè curat abſorbens, acidum caſtrans & infringens medela, aſt non huic ſimilis erat caſus noſter; acrimonia enim bilioſa vel putrida mox complicata quandoque valde viſcida, ſaepius valde activa, acris, mobilis non omninò effuſa, ſed altius in viſceribus propè primas vias circa praecordia, in hepate, pancreate, meſenterio ipſisque ventriculi & inteſtinorum tunicis reliquisque glandularum corporibus in infimo ventre impacta, intricata haerens, copia majori nocebat morbidus humor plus minus acris, mobilis &c. ſenſim ob varias cauſas antecedentes accumulatus & ad has partes depoſitus continuò adfluens & indies magis accreſcens &c. Hinc non totaliter corrigi vel aſſimulari, neque ſimul & ſemel ejici poterat Bilioſo-putrida materia peccans &c. Hinc indicatio curativa (non admodum facilis) in noſtro Morbo perficiebatur; materiam morboſam ſtimulantem acrem ſic alterare, ut ejus deleteriam, ſi non prorſus caſtraret, multum ſaltem infringeret & ſimul ac mobilis evaſerat illam, quo citius eo melius evacuare, vel haec dum nimia acrimonia & mobilitate acquiſita & agitata ultra modum furebat draſtici veneni adinſtar, tunc acrimoniam mitigare & nimiam mobilitatem fraenare & ſic modificare conveniebat, ut neque in corpore remanendo, neque ſuperpurgando aegrum malè afficeret, nimis citò debilitaret, convelleret vel morti traderet &c.

§. 18.

Igitur humores vitiati in hoc Morbo peccantes prius mobiles & ad evacuationem idonei reddendi erant, niſi valde turgêrent; tum enim, quo citius eo melius breviſſima via hos evacuare conveniebat; nam longiori mora nulla Febris citius artem ſuperare obſervabatur,

batur, quam haec: hinc mox illud peragendum erat, quod quandoque poſteà nimis ſerò, & ſic minus efficaciter efficiebatur. *x*) Aſt non numquam provida natura ut cum Sthalianis loquar, opus ſuum optimè perficiens, ſtimulum ſibi impoſitum blandè evacuando, lenibus ſolummodò adjuvanda erat, & non niſi nimis ſegnis & otioſa imperanda & exſtimulanda erat, ſed haec quandoque nimis impatiens & activa absque mora ferè continuò choleram, vel enormes vomitus & diarrheas excitans mitiganda & infraenanda erat à prudenti Medico convenienti modo &c.

§. 19.

Humores Bilioſo-putridi acres, crudi, viſcoſi, &c. minus nocivi & magis fluidi, innocentiores & mobiliores reddebantur remediis diluentibus acidis & aceſcentibus

x) Aegri noſtri quandoque ſponte in initio & certius vomitorio adjuti frequenter magnam materiae Bilioſo-putridae viridis, variegatae tenuis vel craſſioris & olei ad inſtar tenacis flavae emittebant copiam, ad quam materiam Morboſam eliminandam non ſemper ſufficiebat hanc ſemel evomere, vel per alvum deponere, vel unicum vomitorium vel per alvum laxans exhibere, ſed in quam plurimis ſaepius & per vices haec repetenda erant: quia non omne Bilioſo-putridum magna tam mobile vel coctum erat, ut unica vice expelli poſſet. Inſuper, & quod inexpertis mirum et in praxi magni momenti eſt, tam magnus eſt in hoc Morbo noſtro Bilioſo putridus fomes & proventus, ut unica vice vomere vel alvum deponere ſatis non ſit; poſt parvum enim temporis ſpatium nova hujus prodibat copia ut iterum concitato vomitu vel alvi fluxu nihil de eo detractum videatur, quibus evacuationibus neglectis vel non ſufficienter adhibitis, vitium alitur & indies magis increſcit, uti docebant peſſima ſymptomata putrilamina &c. inde exorta & ſuperius enarrata. &c.

tibus ſaponaceis, in hoc Morbo digeſtivis dictis, v.g. decoctis aquoſis acidulatis ſaponaceis, ſaepius parvis hauſtibus ſorbillatis ex decocto hordei diluti & rad graminis taraxi &c. vel ſeri lactis, aceto, vel ſucco citri impraegnatis & ſi opus ſpiritu minerali acido potentiori acidulatis melle, vel ex fructibus horreis rob. v. g. ribeſiorum, vel extracto taraxici &c. gratis vel ſaponaceis factis &c. Materia verò morboſa ſimulac minus viſcoſa magis mobilis & ſic evacuationi apta, vel ab initio Morbi circa praecordia turgens obſervabatur, mox, ſi nihil obſtaret vomitorio breviſſimâ viâ educenda erat, cujus actione reliqua magis intricata & in viſceribus abdomininalibus intimis impacta & abſcondita per collatoria propellebatur &c. Sic ulteriori excretioni apta & prona reddebatur, quae interpolatis appropriatis ſic dictis remediis digeſtivis de novo eodem remedio ſi opus provocanda & ejicienda erat, quod optimè ſortiri ſuum effectum obſervabatur, ſi aeger non modo ſurſum per os ſed & deorſum per anum Bilioſo-putridam excerneret materiam faeculentam, virideſcentem vel flaveſcentem liquidam Bilioſam vel variegatam Bilioſo-putridam, naribus valde adverſam olidam &c. Sic & morbos hos *non niſi per Choleram effuſa bile ſolvi* monuit *Hippocrates.* coac. praen. §. 120. *y*)

Si

y) Igitur fomitem morboſum circa praecordia haerentem mobilem vel, turgentem evacuabant & reliquum magis impactum ex viſceribus prope ventriculum & canalem inteſtinalem vicinis extra circulum ſtangnantem variis preſſionibus & concuſſionibus excitatis proritabant, attenuabant, in motum ducebant, & ad excretionem promovebant, excitati vomitus validis ſic dictis vomitoriis horumque efficacitatem nobis ulterius confirmavit frequentiſſimus uſus, eoque efficacior illorum obſervabatur effectus, ſi non modo ut dixi per os, ſed & per alvum ejicerent humorem Bilioſo-putridum jam prope ven,

Si jam tractu temporis & inteſtinorum morboſa materia magis inferiora verſus praecipitata eſſet, ſilentibus jam ructibus nidroſis, amaris nauſeis, vel vomituri-

ventriculum nidulantem, vel in inteſtinis inferioribus delatum, & ibidem cum reliquis in illis hoſpitantibus putridis peſſimum connubium ineuntem, ex quo commercio nocivo, morâ, teterrima putrilamina naſcebantur &c. Ergo emeto-cathartica methodus in hoc Morbo convenienti tempore celebrata primarium locum obtinuit, & qua datâ porta ruentem furioſum hoſtem expellendo duplicem palmam praeripuit.

Verum enim vero, ut cum toties laudato nec ſatis laudando magni *Boerhavii* commentatore & nuper Archiatro Auſtriaco defuncto loquar. § 661. tom. 2. pag. 271. in his & ſimilibus Morbis *haeret aliquando aliquid circa praecordia, quod venenata quaſi vi, omnes vires uno momento proſternit; & quamdiu ibi haeret, ſummam debilitatem facit, quamvis nulla jactura liquidorum praegreſſa fuerit, neque obſervabilis ulla mutatio in liquidis ſolidisve corporis partibus reliquis inveniatur, cui ſubito nata debilitas attribui poſſit.* Aphor. 713. p. 359. *dum circa praecordia fluctuans acrior & copioſior bilis actiones cerebri turbat vomitorium datum talem convulſionis &c. Febrilis cauſam cito tollet. Et à bile, circa praecordia haerente, non tantum convulſiones; ſed & ſyncopen ortam fuiſſe, obſervavit* Galenus; *excuſſa hac ſaburra per vomitum, illico ceſſarunt omnia haec mala. In Febribus continuis, quae epidemicè graſſabantur, mirabatur* Sydenhamus, *praeter alia mala ſymptomata, adeſſe ingentem ac ſubitaneam virium conſternationem; emetico vero dato omnia ſaeva illa ſymptomata, quae & aegros excruciabant & adſtantes perterrefaciebant, mitigabantur.* Et ego cum optimo *Sydenhamo* l. c. pag. 56. in his Febribus *ſaepe miratus ſum, dum forte materiam vomitu rejectam curioſe contemplabar, eamque neque mole valde ſpectabilem, nec pravis qualitatibus inſignem, qui factum fuerit, ut aegri exindè tantum levaminis ſenſerint.*

Porro

ritionibus ſed coaxantibus jam inteſtinis craſſis flatus & borborigmos & faeces frequenter in parca copia edentibus, tum reliqua cura abſolvenda erat potibus antiſepticis & alvum quantum ſatis evacuantibus quotidie in uſum ductis, ubi verò humores majori mobilitate donati erant ſponte & in ſat magna copia prodeuntes, tunc non tam rudis cura eſſe decebat, ſed ſo-

Porrò inappetentia, ciborum faſtidium, nauſea, vomituritio, ructus nidroſi, os amarum & conſpurcatum ſat ſuperque in noſtris aegris ventriculi labem teſtabantur, quae in ipſo ventriculi cavo, vel in illius vicinia nidulari obſervabatur: hinc tunc vomitum illiusque actionem cum *Huxamo* praeſtantiſſimi laudaverunt Medici, & inſtar omnium pulcherrima ſunt & optime in in noſtro caſu quadrant quae *Fernelius* de Morbis eorumque cauſis, lib. 3. cap. 3. p. 210. docet ibidem inſinuans, quod *facilis & moderata vomitio ſaluberrima. & purgationum omnium praeſtantiſſima ſit. Noxios quippe humores ex ipſis fontibus ſinceros elicit & evacuat omnem, quae in ventriculi capacitate in ejusve tunicis haeret illuviem imprimis expurgat; ex praecordiorum membranis, è cavis iecoris ac lienis & ex pancreate, omnis generis ſupervacuos humores ſinceros elicit, quos plerumque nec hiera, nec aliud vehementiſſimum ullum etiam frequens pharmacum in alvum exturbare poteſt.*

Et clariſſimus *Glaſs* comment. de Febribus comm. 7. 116. *non poſſum non mirari,* inquit, *quo Malpighi & Borelli bilem à veſica (cum intra bilem totum Morbum ſiſti vidiſſent) emetico exprimere & ex ventriculo educere minime ſenſerint, certè aequum eſt ex hiſtoria Morbi cenſere ob neglectum emeticum plures interiiſſe.* Cum praecipuum auxilium in his Febribus ſit tempeſtiva bilis exorbitantis acris & putreſcentis indolis valido niſu excuſſio; exinde enim contingit, ut Febris ſuis cum ſymptomatibus utut ſaepius enormibus & formidatis multum mitigetur, ubi haud raro longè magis periculum involvit, ob cauſas modo recenſitas hujus excretionis cunctatio, vel neglectio &c.

ſummodo lenitivis & enematibus adjuvandi & ſollicitandi erant, ne mora pejores evaderent vel intra corpus reſorberentur &c.

Dum ex inquinata indole ſua ſeu innata acrimonia ab ipſis incunabulis vel quod ſaepius mora longiori in corpore effuſa, vel retenta materia morboſa tam mobilis & acris notabatur ut effraenis & exorbitantibus per utrumque, vel per unum alterumve os evacuationibus aegrum laceſſeret & exhauriret tunc, vel leviſſimum ſtimulum ſtimulo addere, ſeu ulterius hunc evacuantibus primarum viarum medicamentis dictis debilitare ſeu peſſumdare piaculum erat Medico & ut plurimum irreparabile aegro damnum; ſed tum ſolummodo appropriatis mitiganda erat acrimonia & cohibenda nimia illa tenuis ſepticè indolis mobilitas, adeoque tunc, quae efficaciſſimè acrimoniae Bilioſo-putridae nimis diſſolutae reſiſtunt & contrariantur conveniebant & indicabantur, ut ſunt omnes ſpiritus minerales acidi, in aquam frigidam, vel decoctum ex hordeo factum vel ſyrupum involventem in ſufficiente quantitate inſtillati, qui humores noſtros ulterius non exagitant & diſſolvunt, ſed hos potius pacant & incraſſant & in nimia doſi quaſi coagulant, ſic ut nulla praeſtantiora in hoc caſu digeſtiva, vel ſic dicta carminativa ac ſedativa remedia excogitari, vel inveniri potuiſſent, ſicque in ſimili caſu *ad nimiam alvum curandam acetum, mel & aquam exhibenda* praecepit *Hippocrates* foes pag. 518. *de affectionibus* & idem medicinae oraculum 4. de acut. textu 43. *ſi venter nimis liquidans ſi & colliquans ſorbitiones frigidiores craſſioresque exhibendas eſſe jubet potusque qui ſiſtunt.*

§. 20. Ex:

§. 20.

Ex dictis conſtat, quod in hac Febre tota medela â fomitis morboſi correctione vel eiusdem evacuatione expectanda ſit, & cum magis operoſum & longius ſi poſſibile ſit lenimen acrimoniae peccantis, quam ejusdem expulſio, ſi tuto & totaliter illa fieri poſſit, omnium efficaciſſima hujus Febris curatio obtinebitur, ſi id ſatis mobile, vel admodum turgens, quod ſtimulo ſuo Morbum fecit, quo citius eo melius breviſſimâ viâ expelli poſſit, cumque hujus fomitis morboſi nati & excubati incunabula ventriculum praeprimis cum adjacentibus viſceribus eſſe indicaverimus, hinc inter evacuantia & primas vias purgantia medicamenta in his morbis primatum tenent quae per vomitum operantur, hinc uſum emeſis in his & ſimilibus efficacem uno ore laudaverunt tam veteres quam recentiores praeſtantiſſimi Medici, inter quos praecipuos nominaſſe ſufficiet, ut ſunt *Hippocrates*, *Galenus*, *Tralianus*, *Fernelius*, *Riverius*, *Freindius*, *Boerhavius*, *Hofmannus*, *Glaſſius*, *Gorterus*, *Wagnerus*, *Heiſterus Pringlius*, *Graingerus*, *Tiſſotus*, *Colinus*, *Storkius*, *Zimmermannus*, *de Mannus*, *Grantius* &c.

Inſuper quod vomitorii effectus multo potentior & & efficacior in his Febribus domandis & ſuperandis comperiatur, ſi ſimul per alvum operetur, uti modo inſinuavimus, monuit *Pringlius* z) & obſervavit *Tiſſotus* &c. hinc & in noſtro caſu ad hunc ſcopum, praereliquis aliis *tartarum emeticum* cum amantiſſimo *Tiſſoto*

z) Les vomitifs qui occaſionent auſſi des ſelles, ſont les plus utiles, ſurtout s'ils ont aſſèz de vertu pour procurer une abondante evacuation de Bile putride, par le haut

ſoto binis ulnis denuo amplexus ſum, quod nobis ita arriſit & ſatisfecit, ut illud poſtea (quoties hoc opus habebam) numquam deſeruerim, hujus gr. IV. VI. vel VII in aquae communis uncias ſex, octo vel libe-ram diſſolvere curabam, quam potionem aliquo ſyru-po palato grato, ſaepius de althea ad unam alteramve unciam, ſapori blandam efficiebam, cui & ſyrupum la-xantem, vel mannam quandoque addidi, tum & alvum ſimul ſtimulare intentio erat, licet haud raro & haec ſimplex *tartari emetici* ſolutio ſimul ſedes moveret, quod mihi ſemper valde arridebat & placebat, cum ſic longè major copia materiae peccantis ſurſum & deor-ſum expurgari poſſit, hucusque remedii doſim aetati, robori aegri aliisque indicationibus conformem exhibe-bam v. g. ad cochlearia duo, tria vel quatuor ſeu ad unam alteramve unciam hujusque liquidi introſumpti talis ſuccedat effectus, ut poſt paucum temporis ſpa-tium circa praecordia angores, nauſeae & mox vomi-tus excitarentur, quibus haud raro ſuccedebant ventris borborigmi & alvi excretio liquida bilioſo-putrida, ſi vo-mitus hâc potione excitatus ſufficiens videretur, quod ejecta materia, diminutio Febris ejusdemque ſympto-matum luculenter docebant, reliqua portio ſeponeba-tur, ſi non, altera hujus doſis poſt unum alterumve diem repetebatur, non neglectis in hoc Morbo reme-diis alterantibus & ſi dictis digeſtivis, interim ſi vomi-tus haud facile ſuccederet hunc ſaepius aquâ theanâ te-pidâ repetito & largiori hauſtu adjuvi, vomituque hiſ-ſe procreato, ſi alvus poſtea non correſponderet, ſed praeter ſpem occluſa permaneret, hanc prius enemate per anum injecto aperui & deinde hanc unum alte-rumve cochlear ex potione emeto-chatartica in vehi-culo

haut & par le bas, par ce moyen ils operent ſouvent la gueriſon ſans qu'on ait beſoin à d'autres remedes, *Pringle* malad, des Armées lart. III. ch. IV. §. 5.

culo aquoſo, v. g. ad liberam ſemis miſtum & manna, vel tamarindis &c. adjutam vel aliis laxantibus interpoſitis digeſtivis remediis ſollicitavi &c.

 Tan-

a) Cum plures aegri modo ab aliquibus diebus aegrotarent antequam vocatus fueram, his ſaepius, ſi res urgeret à primâ viſitatione emeſin praeſcripſi, aliàs per vigintiquatuor horas materiam morboſam alterando & mobiliorem reddendo expectavi, tumque ut plurimum; rectè operabatur exhibitum emeticum & ſi necdum pro votis ſuccederet hujus operatio, ita ut ſolummodo parcâ copiâ vomitu ejiceretur materia peccans nimis viſcida, cruda, neque tum evaneſcerent nauſeae vomituritiones & anxietates &c. Ulterius tum per unum alterumve diem remediis appropriatis, ut ſero lactis citrato, decocto hordei diluto rob ribeſiorum, oximellite &c. pergendum erat, tumque ſponte vel eodem remedio repetito ut plurimum facile & magno cum emolumento expellebatur materia morboſa evacuationi idonea, mobilis facta, quae tartaro emetico in aquoſo latice diſſoluto & diluto, per epicraſim propinato et exhibito proritata, mota & eliminata Febrim deprimebat, gravia ſymptomata mitigabat vel diſſipabat, aegrum, à fomite morboſo liberando, totam ferè paginam abſolvebat: equidem haud pauci ex collegis in harum Febrium medela multum à tartaro emetico, licet valde diluto, & per vices in parca doſi exhibito, ut à draſtico & valde acri medicamento timebant, abque hoc valde activo & ſtimulante remedio abſtinebant, in his aegris tractandis levius eſſe omiſſionis, quam commiſſionis peccatum rati: attamen in his Febribus non admodum protractis actis peragendis, ſi nihil obſtet, v. g. hernia vel vitioſa pectoris conformatio, pulmonum teneritudo vel labes vel cum hac Febre nulla phlogoſis mixta vel proximus inflammationis metus adſit noſtra methodo, conveniente tempore in remiſſione Febris, et congrua indicatione ab hoc remedio utut emeto-cathartico exhibito, & ſaepiſſimè in quam plurimis aegris in uſum vocato, me ne vel minimum malum obſer- vaſſe

Tandem ſiquis quaerit quo tempore in hac Febre vomitorium exhiberi velim, cum Sydenhamo. *Febr. contin. an* 1661. actis peragendis reſpondeo, *in ipſo plane Febris initio, ſiquidem optio daretur, emeticum propinarem; ita enim fiet, ut ab horrendis illis ſymptomatibus ex humorum in ventriculo locisque vicinis deliteſcentium illuvie ortum ducentibus aegrum praemuniamus. b)*

Praeterea

vaſſe, hoc in quam plurimis valde profuiſſe, in paucioribus non ita quidem, ſed in nullis nocuiſſe ſanctè proteſtor & confiteor.

b) Licet ſummum auxilium in hoc morbo ſubigendo in tempeſtiva & valida fomitis morboſi in ſyſtemate gaſtrico depoſiti, nidulantis & fluctuantis evacuatione conſiſteret, tamen uti periculoſum erat juſto citius has evacutiones deſerere, ſic periculo non carebat inconſideratus et protractior illarum uſus; hinc evacuato & ſubacto morboſo fomite, miteſcente cum ſuis ſymptomatibus Febre ex illo natâ non amplius his pharmacis aegrum, vi morbi et remediorum debilitatum ulterius dejicientibus & enervantibus inſiſtendum erat, ſed è contra talis languidus non ulterius debilitandus, ſed appropriatis blandis nutrientibus ſenſim reficiendus et refocillandus erat, hinc modicum vini uti Timotheo, pe dilecto Doctoris Gentium Diſcipulo, propter ſtomachum debilem concedendum etc. erat; nam hic ut alibi

Temporibus Medicina juvat, data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Et optimè hic quadrat monitum *Sydenhami* in morbo à noſtro non multum abludente de novo Febris ingreſſu tom. I. pag. 367. *In morbis quam plurimis, quorum curatio ſolis evacuantibus abſolvitur ſi dictis evacuationibus pertinaciter inſiſtamus, usque dum ſymptomata omnia prorſus ablegaverimus, ſaepius aegro non niſi morte medebimur &c.* Et revera quoad ſingula remedia quam maximè evacuantia Morbis adaptanda & aegrotis adhibenda, uti in omnibus:

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Praeterea jam ſatis ſuperque indicatis & expoſitis remediis ſic dictis digeſtivis & emeto-catharticis primariis, quo citius eo melius, ſi nihil obſit, in curatione hujus Febris interpolandis, adhibendis & quoties opus fuerit repetendis &c. Si in hujus Morbi initio, vel decurſu ex quacumqne cauſa multum putridi fomitis adeſſe obſervetur, cum humorum circulantium nimia diſſolutione jam praeſente, vel ſi brevi haec metuitur tunc cum dictis remediis potentiora acida, ut in primis ſunt ſpiritus minerales acidi, vi ignis expreſſi ſalis marini, nitri, vitrioli in primis & ſulphuris dulcificati, vel aquoſo laticè valde diluti ſummum uſum habere dixi, dummodo in gratum rob vel ſyrupum ſaponaceum vel in appropriatum decoctum aquoſum, inſtillati, ſi in ſufficienti copia adhibeantur, qui non modo omni putredini reſiſtunt, ſed validè meteorismum in hoc Morbo ſaepius obvium ex putredine natum caput & pectus opprimentem & ſic delirium continuum & reſpirationem valde difficilem varias ob cauſas efficientem reprimunt & diſſipant, hujus cauſam diminuendo, vel totaliter caſtrando & ſic Morbi cauſam infringendo, pneumatoſi, delirio & reliquis ex illis natis moleſtiis medebantur.

§. 21.

A ratione loquendo in Morbis Bilioſo-putridis, ut v. g. in Febribus ſic dictis bilioſis, putridis, gaſtricis, meſentericis, ſtomachalibus, inteſtinalibus hujusque corruptae Bilioſo-putridae familiae genuinis filiis, nepotibusve ſub quacumque denominatione in hiſtoria medica notis, tam particularibus quam univerſalibus venae ſectio qua talis ſemper nocet; quia hac nihil de hoc morboſo fomite tollitur, diminuitur vel detrahitur, ſicque in hoc caſu prodeſſe non poteſt; nam re-

medium activum & heroicum, quam maximè ſanguinem evacuans ac vires dejiciens quod in Morbis non juvat, hoc nocet: ſpeciatim & magis in Morbis longioribus & gravioribus, non niſi validis primas vias evacuantibus ac alterantibus, corrigentibus & ſic dictis digeſtivis remediis debellandis ac percurandis. Aſt duplex ab Authoribus & Obſervatoribus Medicis Febrium biliofarum vel putridarum dictarum claſſis obſervatur & ponitur, in una locantur particulares meſentericae vel gaſtricae, vel univerſales à fomite ſuo ſimplici peccante putridae nuncupatae, in quibus à prima fronte contraindicatur, & ſaepius nocet inconſiderata ſanguinis detractio, in altera verò claſſe diſtribuuntur Febres ex genio ſuo quidem Bilioſo-putridae, ſed ſimul cum deatheſi phlogoſtica complicatae, quae ideo mixtae dicuntur in quibus phlebotomia & reliqua curâ antiphlogoſticâ remediis primas vias evacuantibus aliisque in mere putridis indicatis praecedere debent. Inſuper ipſe Morbus vel & aeger ſanguinis per venas detractionem, haud rarò ſibi volunt & à Medico quaſi extorquent vel exigunt, ut v. g. Morbus cum phlogoſi exortus vel aegrotus hac Febre detentus, ſi ſimul valde plethoricus & in phlogoſin pronus exiſtat, quod pulſus plenus duriuſculus, venae tumentes, ruber corporis calor, diëta opipara valde nutriens praegreſſa, vitae genus, aëris praevii vel corporis praeſentis conſtitutio &c. denotant & indicant, venae ſectio in tali minimè negligenda eſt, ut hâc phlogoſis praeveniatur, ac primas vias evacuantia &c. remedia mox adhibenda deſideratum & felicem ſortiantur effectum. Tandem qui hiſſe Febribus tam ſimplicibus quam complicatis plectuntur ſunt quacumque de cauſa valde emaciati & enervati homines numquam intempeſtivis venae ſectionibus laceſſendi & debilitandi &c. vel qui his Febribus inquinantur,

quinantur, ſunt plethorici valde robuſti in flore ae-
tatis conſtituti, in quibus independenter ab hac Fe-
bre ſimplici vel complicata ſaepe ſaepius indicatur
ſanguinis detractio ob gravius aliquod ſymptoma ut
v. g. plethorâ commotâ ſuperveniens &c. c)

§. 22.

Sane quam plurima poſſem hic adferre argumen-
ta & ratiocinia pro vel contra venae ſectionem in
his Febribus variisque harum circumſtantiis & ſub-
jectis &c. Militantia: ſed miſſis ſingulis & omnibus
hiſſe utut ſubtilibus ratiociniis ex phiſiologicis prin-
cipiis & propoſitionibus depromptis & ex illis pul-
chrè deductis & ſubtiliter concinnatis ſologismis &c.
ſed

c) Igitur in his Febribus inquinatis valde plethoricis ſub-
jectis in inflammationem pronis tempeſtive venae ſectio
inſtituenda eſt, quam repetere haud raro convenit, ni-
mirum quoties inflammatio graſſatur; quod quam oc-
cultè id fieri poſſit in nonnullis hujus Febris epidemiis
teſtantur pulchrae obſervationes à Medico-practicis an-
notatae &c. Porrò ſi huic Febri Bilioſo-putridae, ga-
ſtricae, meſentericae particulari vel univerſali alterius
genii combinatur Febris, tunc & ad hanc in curatio-
ne reſpiciendum eſt, ſi v. g. de genere intermittentium
fuerit cum reliquis indicatis remediis corticè peruviano
carêre vix poſſumus; ſed hunc cum ſolventibus &
aperientibus & reliquis indicatis remediis conſociare
neceſſum eſt, vel ſi genio ſuo malignior fuerit, in
locis & circumſtantiis modo citatis & annotatis orta &
excubata, tum cum congruis pro varia indicatione
remediis potiſſimum tollitur haec veſicantibus & ki-
nakinà, ut ſuaſit *Lanciſius*, hinc etiam utile videtur
corticem dare nuptum ſalibus volatilibus, camphora,
decoctis amaris cum radicibus calidioribus, ut ſerpen-
tariae virginianae &c. acuatis, & aceto tali v. g. the-
riacali accommodatis, vel interpoſitis, neque nefas eſt
quandoque in his vino, vel opio uti, ſed caute &c.

ſed cum in Medicina dum experientia loquitur ratio mox taceat & quaſi obſtupeſcat, hinc pauca ſolummodo ex recentioribus optimis & clariſſimis Medico-practicis de hiſſe Febribus tractantibus, quoad venae ſectionem in his inſtituendam vel omittendam monita & praecepta exhibendo conſiderabimus, igitur praeclarus & inſtar omnium ferè S. A. D. *Tiſſotus* qui Febris Lauſannis Anno 1755. epidemicae Bilioſae promiſcuè gaſtrice hiſtoriam claro exacto & maſculo ſtylo conſcriptam edidit, ille inquam ſua in diſſertatione ſub titulo ſpecifico de venae ſectione in Febribus Bilioſis pag. 121. mox illos medicos aimatophilos vocat & increpat, qui omnem Morbum ſanguini tribuentes indeſinenterque de plethora & ſthaſi loquentes in nullo Morbo venae ſectionem omittunt, ſed vae illis, quorum Medici de cauſa nihil ſciſcitantes, omnem Febrim vehementem ſanguinis miſſione jugulare ſatagunt: illi ait ſtupebunt, cum ne verbum quidem protulerit de venae ſectione, utut calor, ariditas, cephalalgia, vehemens delirium, acuta Febris, quae ſaepe aderant, talem evacuationem ſollicitare viderentur. Deinde ſequentibus paginis varias cautelas & annotationes de venae ſectionis uſu & abuſu in Febribus inflammatoriis, Bilioſis, putridisque exponit & ſanguinis miſſionem in Febribus bilioſis gaſtricis putridis &c. Variis argumentis arguit & improbat, ſiniſtrosque eventus ex illa natos funeſtaque exempla memorat, exhibet & deſcribit pagina vero 130. & ſequente *ſaeviebant hic* puta *Lauſannae Anno* 1753. *peripneumoniae bilioſae, omnes illi quibus ſanguis detractus fuerat perierunt: plures curavi, ſemper omiſſa venae ſectione omnes ſanavi; alii quorum aliquos ſub finem Morbi vidi, poſt venae ſectiones difficilius reſpirabant & deliri fiebant; memini, quod illos invenerim citiſſima & breviſſima vexatos reſpiratione;*

ne; vivido delirio, pulſu parvo, celerrimo, frequentiſſimo & duro. Deinde haec documenta contra venae ſectionem in his Morbis militantia ſanguinisque miſſionem vetantia hiſſe in Febribus & contra indicantia tam veterum quam recentiorum ratiocinio & autoritate fretus confirmat, & tandem quae ipſemet à venae ſectione in his Febribus imprudenter celebrata infortunia & eventus ſiniſtros vidit, enarrat, eadem & ſimilia poſtea in litteris *Zimmermanno* datis ſimilem ex indole ſua Febrem exhibentibus repetit *d*) & hanc circa venae ſectionem ſententiam & doctrinam in hujus genii Febribus in utili ſua ſaepius reimpreſſa, & in variis linguis translata populo vel plebi quo ad ſanitatem ſuam admonitione ſub variis capitulis de his Morbis tractantibus tuetur & confirmat *e*) &c. ex quibus patet Febres illas epidemicas bilioſas, peripneumonias & pleuritides ſpurias fuiſſe ex claſſe ſimpliciter putrida ab origine omni à ſtaſi inflammatoria immunes &c. Nam poſtea monet providus & candidus vir artisque decus, quod Morbi putridi tam graſtici quam univerſales, ſint vel ſimpliciter tales, aut ſimul putridi & phlogoſtici, quodque in ſecunda ſpecie venae ſectio quandoque adhibenda ſit, & in hac procraſtinandae ſint primarum viarum evacuationes, donec phlogoſis evanuerit, quae cito in hoc caſu venae ſectione & reliqua cura antiphlogoſtica evaneſcere ſolet &c.

Pariter & praeclarus *Maximilianus de Man e*) medicinae Doctor & Archiater urbis Neomagenſis &c. qui

c) Lettre à Monſieur *Zimmermann*, ſur l'épidemie courante par M. *Tiſſot* 1765. etc.

d) Avis au peuple ſur ſa ſanté, par M. *Tiſſot*.

e) Verhandeling over de kwaadaardige Rotkoorts ofte beſchryving der ziekte welke in het laaſt van 1770. en

&c. qui in lingua noſtra vernacula pulcherrimam conſcripſit diſſertationem de Febre putrida, quam malignam nominat quae Anno 1770. & ſequenti in pago Maurik & vicis urbi Neomagenſi vicinis epidemico impetu regnabat, & quae ibidem nata mox contagio inficiebat &c. quaeque de caetero quoad indolem & ſymptomata non multum à noſtrâ abludebat, quam & in ipſo Morbi initio gaſtricam, bilioſam particularem, in infimo ventre nidulantem & morâ, vel perverſa curâ putridam univerſalem evaſiſſe continuam de genere intermittentium fuiſſe aſſerit, & variis probat laudatus Author, interque cauſas remotas praediſponentes & occaſionales loca depreſſa paludoſa fluvii rheni aquis inundata, quibus calore ſolis poſtea exſiccantibus caenoſa facta cum re anguſta domi, ex qua varia vitia in diaeta commiſſa & peſſima animi pathemata promanant &c. *f*) pag 128. & ſequenti venae

en den volgenden jaare 1771. gegraſſert heeft te Maurick in den ampte der Nederbetuwe, door *Maximiliaan Jacob de Man*, gedrukt by A. van Goor te Nymegen.

f) Revera in locis depreſſioribus paludoſis coenoſis &c. ut modo notavimus, ſaepius graſſantur Morbi putridi & Febres intermittentes mali moris, qui facile in continuas degenerant & comites ſibi adſciſcunt viſcerum obſtructiones, de quibus ulterius, vide aurea opuſcula in variis linguis edita *Hermanni van der Heyden* Medici quondam Gandavenſis, qui optimè ſcripſit de illis Morbis endemicis in locis depreſſis paludoſis à mari ut plurimum acquiſitis & à Belgis *Polders* nominatis: quinimo ſaepius malignam & peſtiferam luem naſci viderunt *Sylvius de le Boe*, aliique in aeſtuariis Belgarum, inſuper dantur Morbi maligni locorum paludoſorum, quos *Puiati* magna veri ſpecie retulit, non ſolum ad humorum putrefactionem, ſed ad alterationem ſingularem, quam patiuntur humores infecti effluviis naturae viſcoſae,

venae ſectionem aliquibus adhuc uſualem in his Febribus tam plurimorum clariſſimorum Medicorum authoritate quam propria experientia initiatus improbat & condemnat, cum hac corrupta bilis facilius in maſſam ſanguineam reſumatur, diſſolutio & degeneratio humorum cum debilitate partium ſolidarum, ſicque cum ſequela maioris corruptionis facilitetur & increſcat, vires mox dejiciantur & collabeſcant deliriumque haud parum acceleretur vel augeatur &c.

Aſt inquit pagina 133. & ſequentibus hic candidus Vir, quam nocivae optimo jure exiſtimentur in his Febribus venae ſectiones, equidem poſſumus & debemus in objectis ſanguineis plethoricis, vel reſpiratione admodum difficili preſſis, vel ſi aegri ab ipſo Febris initio feroci delirio exagitentur, uti in aliis his concomitantibus acutis & notis inflammationibus cum pulſu pleno & celeri (miror, quare non etiam duro) venae ſectionem inſtituere, & in ſummo periculo reiterare, quod alias fieri numquam licet, quam-

ſae, quod ulterius inquirendum; quippe hic ingenioſus Scriptor obſervando putrefactionem paludis arte factae, ſive mixturae ex aqua ſtagnante, caeno herbisque in vas aliquod collectae, deprehendit aquam paluſtrem putreſcendo condenſari, & vapores emittere, qui ſenſibilem viſcoſitatem obtinent, quantumvis calore difflentur & aëris admixtione fiant leviores. Idem Author memorat Venetiis, dum canales excavantur, in domibus adſitis caenoſo halitu, faedari vaſa argentea; ſpeculorum cryſtallos et quaecumque levi auro obducta ſunt, niſi obtegantur aut recondantur etc.

Utut ſit certum fixumque manet, quod effluvia paludum caenoſa faveant propagationi cauſae frequentiſſimae Morborum, quae poſita eſt in ſubitis et ſaepe iteratis atmoſphaerae alterationibus, ubi ventus abeſt; nam e contra temperatis ventorum viciſſitudinibus natura humana videtur recreari etc.

quamquam dolor levior in uno alterove latere obortus primo intuitu hoc requirere videretur &c. Nec mirum, quod providus Vir tum temporis & loci in his Febribus ſanguinis detractionem damnaverit & improbaverit, quia rem habebat cum hominibus depauperatis & delaſſatis, utpote fame emaciatis, continuis laboribus defatigatis, in terris declivioribus, aëre caenoſo corrupto, & caſis ſquallidis detentis &c.

Porrò praenobilis & expertiſſimus *Pringle* Protomedicorum Jubar de Militum, tam caſtra metantium quam Praeſidiariorum Morbis ſaepius obviis perutilem generi humano, & valde neceſſarium ac ſalutarem Militibus tractatum jam ſaepius reimpreſſum edidit. *g*) In capitulo, in quo Febres autumnali tempore in caſtris & in terris declivioribus paludoſis frequentiores re & intermittentes locat, quas ab antiqua denominatione bilioſas vocat, & libentibus putridas nominaſſet. Ille poſtquam harum Febrium cauſas generales remotas immediatas & proximas noſtris Febribus ferè conſimiles conſideraverit & expoſuerit, & has Febres remittentes cum aliis hujus genii Febribus ſub variis denominationibus notis comparaverit, tandem propria experientia confirmatus harum Febrium curam à venae ſectione incipere, hanc propter urgentia gravia ſymptomata reiterare aliquoties neceſſarium invenit, moxque à venae ſectione ad emeto-cathartica & digeſtiva ſic dicta remedia corrigentia acido-ſaponacea confugit &c. Et poſtquam in his Febribus hanc medendi methodum adoptaverat, hanc mox *Huckius* confirmaſſe ait, qui tam in Amerika Septentrionali, quam in Indiis Occidentali-

bus

g) Obſervations ſur les Maladies des Armées dans les camps et dans les garniſons, par M. *Pringle* Docteur en Médecine, et Médecin général des Armeés de Sa Majeſté pendant la Guerre etc.

bus ſemper curam harum Febrium à ſanguinis per venam detractionem inchoavit, quique ſimulac in his Febribus poſt venae ſectionem remiſſionem obſervabat, mox ad vomitorium &c. procedebat, quodque per alvum ſimul bilem ejiceret, medicamen adamabat &c. Interim noſter *Pringlius* medicam praxim exercebat inter Milites ſuos Anglos robuſtos juvenes & in flore aetatis conſtitutos, lauto nummorum ſtipendio proviſos, aëris injuriis noctuque diuque ſaepius expoſitos, adeoque nunc frigore preſſos, nunc denuò calore ſolutos potibusque inebriatos exaeſtuatos, ſicque omnibus tranſpirationi perturbatae ſtaſique ſanguineae vel ſeroſae cum impetu à tergo cauſam praebentibus circumſtantiis expoſitos &c. Hinc candidè monet expertus Author, quod in his Febribus venae ſectio magis neceſſaria fuerit Militibus quam indigenis Belgis ſub craſſo aëre natis & terram decliviorem paludoſam pro magna parte inhabitantibus, quorum temperamentum, vitae genus & Morbus multum à prioribus Martis filiis Bacchique Miniſtris, juvenibus, robuſtis, ſanguineis differebant &c. Tandem ſincerè memorat & ſuperaddit, quae M. *Monchyus* Medicus Roterodamenſis & tempore belli poſt mortem Caroli ſexti Imperatoris excitati Statûs Hollandiae & Confederati Exercitûs Proto-medicus &c. illi communicavit, puta quod illae Febres bilioſae dictae ſaepius & gravius in Hollandia, quam in Anglia ſingulis annis maximè ſub autumno obviae & quaſi indigenae eſſent, quodque in illis curandis venae ſectionem non vel ſaltem rariſſimè neceſſariam invenerit, ſed has quam plurimas tam in Urbe quam in caſtris tractaverit, & tam tempore belli quam ante & poſt illud citò & tutè illas curaverit absque venae ſectione, ſed mox vomitu excitato & prout materia peccans ſuperius circa praecordia perſiſtens quandoque repetito, & deinde hanc in-

feriora verſus praecipitatam lenioribus alvum laxantibus ex cremore tartari decoctis cum tamarindis enematibus adjutis per alvum ſubducebat &c. Et revera Hollandi promiſcuè ſobrii ſunt homines ſedentarii, ſpeculabundi phlegmatici, diaeta parca nec admodum nutriente leguminibus & piſcibus pro cibo & ſorbillationibus aquoſis ex foliis theae vel baccis caffé pro potu nutriti & haud rarò ſcorbutica labe infecti, vix plethora, vel Morbis cum ſthaſi phlogoſtica combinatis laborant, adeoque vix ſanguinis detractionibus pro cura Febrium opus habent &c.

Inſuper factis practicis à ratione & experientia ortis praeclarus ſcriptisque praeſertim veterum authoritate confirmatis famoſus *C. A. Kloehof* genuinus *Hippocratis* filius, qui eleganter & magiſtraliter de venae ſectionis termino in Morbis acutis, de ſtrepitu in pectore inter potandum, de prolapſu ad pedes, & ſimilibus acutorum ſymptomatibus, de criſibus, de Morbis acutis recidivis &c. ſcripſit & ſua haec opuſcula cum aliis edidit Trajectique ad Rhenum apud *N. van Vucht* imprimere fecit, prae primis hiſtoriam Febris epidemicae, anno 1741. inter Cives Culenburgenſes populares facile recidivantis prius vix alios praeter incolarum tenuiſſimos affligentis, deinde latius ſerpentis, & melioris ſortis homines inquinantis, altioris conditiones divites intactos relinquentis, quo ad cauſas, ſubjecta ingruendi modum & ſymptomata, niſi graviſſima pectoris apud illos oppreſſione vix à noſtra conſtitutione febrili, quam deſcribimus, diſcrepantis expoſuit & typis edidit *g*) in cujus conſtitutionis initio Febribus apud Culenburgenſes solummodo ex primarum viarum Bilioſo-putrida cacochilia vermium-

g) *Corn. Alb. Kloekhof* Medicinae Doctoris hiſtoria Febris epidemiae Culenburgenſium anni 1741.

vermiumque progenieex citatis rarior fuit venae ſectionis opportunitas, ſed primas vias evacuantium digeſtivorum & antihelminticorum remediorum neceſſitas, ſed ab his rudimentis orta haec conſtitutio febrilis indies increſcens & magis proſerpens, calore ſuperveniente, febres hae ex indole ſua ſolummodo putridae gaſtricae aeſtivo tempore magis inflammatoriae & acutae evadebant, ita ut cauſum veterum ſeu Febrem bilioſam ardentem referrent, in his inquit laudatus Author remediorum princeps fuit venae ſectio, curationis initium & fundamentum, maximè opportunè in ipſo morbi initio inſtituta; ſanguis enim, venâ magnâ amplo vulnere pertusâ citò miſſus longè efficaciorem medicinam praeſtitit, quam is, qui lentus à venis minoribus ſtillavit venae ſectionemque pro variis rerum circumſtantiis ſaepius haud rarò reiterandam voluit: primarumque viarum purgatio venae ſectioni praemiſſa non fuit, niſi qua forte ſaburra earum aquae tepidae hauſtae ſtatim & facile cederet &c. Tandem obſervantiſſimus *Guilielmus Grant* Medicinae Doctor, qui uti quondam divus *Hippocrates* in Inſula Cos, etiam his temporibus in Inſula ſua à Brittannis dicta & ſpeciatim in Urbe Londinenſi jam à viginti annis obſervationes medicas & inquiſitiones, maximè circa febriles conſtitutiones & transmutationes invicem inter ſe ſuccedentes, quatenus illae dependent à variis anni conſtitutionibus, inſtituit & edidit *h*) Ille poſtquam has annuas conſtitutiones, quas in Febres intermittentes catharrales inflammatorias ſynochus ſimplices putridas & Febres bilioſas & atrabilioſas diviſas expoſuerit, dum de conſtitutione bilioſa tractat, Febremque

h) Recherches ſur les Fievres ſelon qu'elles dépendent des variations des ſaiſons et telles qu'on les a obſervées à Londres, ces vingt dernieres années-ci par G. *Grant* M. D.

que quam communiter bilioſam nuncupamus, conſiderat & exponit, ille in ipſis his Febribus prius expoſitis indicationibus curativis etiam experientia teſte venae ſectionis utilitatem comprobavit; ſic tamen ut ſanguis in majori vel minori copia mittendus ſit, juxta illum; & gradatim ac cautè cum venae ſectione procedendum eſt, priusque conſiderari oportet ipſum aegrum v. g. robuſtum, juvenem, plethoricum &c. & ipſius pulſum arteriarum v. g. tenſum, durum &c. cum venae ſectio nihil in his Morbis è cauſis tollat, ſed tantum ut palliativum remedium vim exerceat ſuam, qua ſanguinis abundantia, ſpasmodica affectio & ipſa inflammatio praevenitur & diſſipatur, hasque Febres poſtea ad tres claſſes reducit in prima ſimpliciter bilioſam ponit, in ſecunda bilioſam & ſimul inflammatoriam, in tertia bilioſo-inflammatoriam & peripneumoniacam & ſecundam hanc diviſionem venae ſectiones regulat, quibus valde favet praedictus & perdoctus vir qui Londini ſcribit & inter Londinenſes cives praxim exercet &c.

§. 23.

In praevio paragrapho perampio conſideratis adductis & exhibitis variis obſervationibus clinicis & factis practicis pro, vel contra phlebotomiam in hujus familiae Febribus militantibus ex praecipuis nuperrimis authoribus allatis, qui in his Morbis exponendis, obſervandis & curandis praeſtiterunt, nunc ſupereſt, ut ſincero animo & illa ſubjungam hiſſe, quae ego ipſe de venae ſectionis uſu apud nos & in noſtris aegrotis praeſertim tempore hujus conſtitutionis epidemicae obſervatione conſecutus fui.

Itaque cum quam plurimi tenuioris ſortis cives modo ab aliquibus diebus hac Febre labefactati laborarent, antequam Medicos conſulerent, cumque hi febrici-

ſebricitantes diro capitis praeſertim, vel lumborum, vel artuum dolore vexati, Chyrurgi, pharmacopolae, vel alterius medicaſtri conſilio venae ſectione quandoque repetita jam modo ante Medici acceſſum evacuati eſſent; (nam in omni Morbo graviori promiſcuè ut primarium efficaciſſimum & ferè infallibile remedium reputatur & ab indoctis praeſcribitur venae ſectio, hanc inconſiderato Morbi genio, caelo, vel aegro, omni Morbi tempore ſibi volunt & inſtituunt imprudentes.) *i*)

i) Quam plurima adducenda et aphoriſticè docenda hic eſſent venae ſectionis et reliquorum remediorum uſum in Febribus quam maximè epidemicis illucidantia, ſub varia caeli conſtitutione, in variis aegris ex variis medicorum authoritatibus et ſententiis prolata collecta etc. v. g. in Febribus inflammatoriis cum ſudum eſt caelum, et alta barometri ſtatio, largior deſideratur ſanguinis detractio et facilius fertur, quam regnante uda tempeſtate ut monuit *Huxam*.

Sanguinis miſſio vix non eſt admodum periculoſa iis qui recens emergentes ex Morbo putri epidemico pluviae conſtitutionis, per acre frigus inflammatione corripiuntur ut docuit *Short*.

Sub jove diu pluvio inflammationibus ſolvendis utiliora ſunt cathartica et refracta doſi feliciter exhibentur. Tunc quidem pronior eſt humorum directio ad alvum, ut expertus fuit *Wintringham*. Hoc etiam tempore alia remediorum genera aeque efficacia ſunt ſatis imminuta doſi teſtis eſt *Berryat*, qui tamen in variis Morbis majores adhibuit doſes medicamentorum juxta liquoris barometrici evectionem aut deſcenſum, prout huic vel illi augmenta eorum Morborum reſpondere obſervabat.

In Morbis à ſeroſa colluvie collecta per tempeſtatem pluviam et auſtralem nocere venae ſectiones et cathartica (quorum tanta eſt utilitas in catharris ab aëris ſiccitate) tumque prodeſſe veſicantia promulgavit *Short* qui

Equidem in noſtris aegrotis tempore hujus conſtitutionis à matura & modica licet inconſiderata neque praeciſe indicata ſanguinis per venas detractione, modo non in nimia copia, vel repetita vel nimis ſero inſtituta fuiſſet, neque in aegrotis ſanguine depauperatis, debilibus, cachecticis, ſcorbuticis, à praevio vitae genere, vel Morbo emaciatis exhauſtis vel labe à diſſolutione ſanguinis inquinatis, celebrata fuiſſet, tanta mala totque ſiniſtros effectus annotare & obſervare haud potui, quanta quidem & quot aliqui ab illa timent & proclamant, modo poſt hanc ſatis cito ad indicata & appropriata digeſtiva & emeto-chatartica remedia recurrerent diaetamque congruam &c. obſervarent aegroti, ſed hic denuo cum *Baglivo* loquor: Antverpiae ſcribo in aëre Antverpiano praxim exerceo, hinc his non nego illa, quae alii in aliis locis & Morbi hujus conſtitutionibus non nihil variatis, aliis temporibus obſervarunt & annotarunt, nec noſtrum eſt inter hos tantas componere lites, cum non modo, quae legerim ſed quae ipſe viderim hic exponere mens ſit.

Igitur cum à modica & tempeſtiva venae ſectione in noſtra conſtitutione Febrem Bilioſo-putridam prius ut plurimum gaſtricam, tractu temporis univerſalem ſaepius ſimpliciter putridam, haud raro complicatam exhibente, licet aeger, vel Morbus hanc non expoſcere vel urgere videretur, modo aegri vires ſufficerent isque in flore aetatis conſtitutus eſſet vegetusque exiſteret hos infauſtos eventus & nigro carbone annotatos effectus obſervare numquam potuerim, quos rationes ex phiſiologia deductae, vel conſtitutiones

qui in Febribus nervoſis & petechialibus, quas longa frigora induxerant flante borea perſicco; aliquando perniciofam fuiſſe veſicantium appoſitionem in Anglia obſervavit &c.

nes epidemicae particulares timere fecerunt vel aliquoties exhibuerunt. *k*) Hinc mox audacior factus non ita amplius in his Febribus à venae ſectione extimui, dumque aliquae

k) In hac quippe Febre noſtra licet ut plurimum gaſtrica ex Bilioſo-putrido fomite excitata à venae ſectione, in firmis de caetero ſanis & in flore aetatis conſtitutis, limitate mature & crudo adhuc exiſtente Morbo inſtituta, materia peccans cruda viſcida tenax extra ſanguinis circulum in infimo ventre ventriculo, inteſtinis, vel intimius in meſenterio vel in viſceribus circa praecordia ſitis depoſita nidulans & ſtimulans non tam facile in communem maſſam circulantem reſumi obſervabatur, vel tam cito universalis humorum putrefactio ex illa facilitari, vel excitari videbatur, neque ex illa in his anxietates auctas, lipothymias, ſpasmos flatulentos, tremores, convulſiones particulares vel univerſales frequentiores annotare potui, utpote quae tremenda Morbi ſymptomata & infortunia aeque in his aegris, qui absque praevia venae ſectione, quam in illis qui matura venae ſectione medicati fuerant, inveniebantur. Quin imo dum laetus recordor mulieris in platea à foſſa bufonum hac Febre decumbentis caſum in aegrotorum noſtrorum graviorum hiſtoria expoſitum, quae annoſa faemina ſeptimo Morbi die graviſſimis univerſalibus convulſionibus & motibus epilepticis exagitata & conquaſſata & ſummo cum ſtertore quaſi apoplectico obruta quam, dubio licet eventu, larga venae ſectione inſtituta ex orci faucibus quaſi eripui & ſalvam reddidi; ſimul maeſtus optimae matronae fatum doleo, quae Anno 1773 vigeſima quinta die menſis Auguſti Febre Bilioſo-putrida correpta valde laxa, pinguis, mobilis, ſcorbutica labe inquinata cum pulſu debili, molli, praecordiorum angore, & in vomitum propenſione, cui ob dictas rationes venae ſectionem ut minus congruam judicavi nec hinc inſtitui, cui & hernia laboranti indicatum validum emeticum exhibere vetitum erat; haec igitur ſolummodo alvum laxantibus medicamentis lenioribus & per epicraſim adhibitis & digeſtivis

aliquae indicationes ſanguinis detractionem ſuadentes, vel requirentes, apparebant quae pluries tempore, praecipuè

vis acido ſaponaceis tractata, tandem decima quarta Morbi die circa meridiem ſubito inſultu convulſivo quaſi epileptico exagitata ſuperveniente ſenſim paralyſi tota reſoluta ſequenti die circa diluculum obiit, licet latis emplaſtris cruribus & nuchae applicatis veſicatoriis & clyſteribus accerrimis ex dura muria &c. confectis et injectis exſtimulata &c.

Sed uti *Pringle* in Febribus bilioſis frequenter obſervavit Anno 1743. colores ictericos ſupervenientes, ſic et in noſtris maximè tempore autumnali perfrequentes fuerunt ictericae deſaedationes, et aeque icterico colore faedatos et coloratos vidi illos aegrotos, qui absque venae ſectione medicati fuerant ac illos quibus ingruente Morbo vena pertuſa fuerat, ſic menſe Debembri Anno 1772. in una domuncula ſex aegros pauperrimos diu hac Febre detentos et maceratos omnes ictero valde tinctos et colore perflavosl viſitavi et curavi, quibus venae ſectio inſtituta non fuerat.

Quinimo ſub eodem tempore, in una eademque familia cohabitente ſeptem tractavi aegros hac Febre detentos, ex quibus tres annotavi aurigine tinctos et flavo colore valde decoloratos diu et graviter languentes et laborantes, quibus vena ſecta non fuerat, quia hi ſenes debiles et ſanguine depauperati exiſterent: et quatuor alios in flore aetatis conſtitutos robuſtos ſanguine plenos, quibus ob has rationes primis Morbi diebus noſtro conſilio ſanguis lanceola per venam in ſatis magna copia detractus fuerat, qui tamen noviſſimì absq e eo quod flaveſcerent à bile reſorptâ aliave ab illa inductà graviora ſymptomata incurrerent cito et tute de caetero pari cum prioribus methodo tractati, curati fuerunt etc.

Denique juvenes noſtros aetate florentes tertium luſtrum adeptos, neque octavum transgreſſos, vegetiores, ſirmos et robuſtos hac Febre inquinatos maturè à ſuperabundante ſanguine venae ſectione evacuatos facilius

cipuè vernali & aeſtivo ſub aëre ſicco elaſtico in corporibus ſanguine turgidis plethoricis, exaeſtuatis, juvenibus, valde nutritis, in flore aetatis conſtitutis, pectore oppreſſis vel feroci delirio quaſi phrenitico exagitatis aderant, primis Morbi diebus hanc caeteris remediis praecedere curavi: neque hujus facti me umquam poenituit.

Inſuper in valde robuſtis aetate florentibus diëtae lautae, nutrienti & potui ſpirituoſo addictis, ſanguine turgidis, plethoricis exaeſtuatis ſub pulſu duro valido & arteriarum renitentiâ vel non modo Febre Bilioſo-putrida, ſed & ſimul ſtaſi inflammatoria inquinatis ſanguinis per venas detractio in ipſis mali incunabulis ſeu valde maturè puta primis Morbi diebus inſtituenda, obque graviores has rationes perſiſtentes quandoque reiteranda valde neceſſaria erat, reliquisque indicatis quam maximò emeto-catharticis praemittenda erat & ab hac cura, ut tutius ſuccederet, quaſi inchoare conſultum erat, ſed tamen uti venae ſectio in valde debilibus, languidis, emaciatis ſcorbuticis vel alia labe ex diſſoluto ſanguine &c. inquinatis non conveniebat, ſed nocebat, ſi haec in hoc Morbo jam adulto, inveterato & valde protracto; licet aliqua tum adeſſe viderentur ſymptomata hanc poſtulantia uti v. g. delirium ferox quaſi phreniticum, raptus ſanguinis ad caput &c. ut minus proſperum, valde dubium, ſàepius inefficax, incongruum & noxium medicamentum tum temporis maximè, dum vires aegri valde dejectae ſanguisque jam diſſolutus exiſterent,

cilius hunc Mórbum ferentes et cito ab hoc emergentes mox convenientibus remediis tractatos, neque ex his ullum ab hoc Morbo defunctum, vel poſt hunc valde languidum vix ullum annotavi licet tamen *in medico non ſit, ſemper relevetur ut aeger*: quia *interdum docta plus valet arte malum etc.*

rent, comperi: hinc venae ſectionem tardivam in Morbo noſtro inveterato, experientia teſte vix inſtitui; quia ex illa periculo facta non optatum ſed potius ſiniſtrum effectum obſervavi, ideo hanc in hoc Morbo nimis protracto in horrorem habui, nec amplius adhibui, licet hoc Morbi ſtadio in aegro calores aeſtuantes, linguae ſiccitates, faucium ariditates anginoſae, dolores capitis lumborum, vel artuum acutiſſimi, motus exorbitantes, alti ſopores quaſi lethargici Febresque acutae continuae huic ſupervenientes hanc ſanguinis evacuationem ſollicitare inexpertis viderentur &c.

§. 24.

Interim, licet quam plurimos tam hujus conſtitutionis ſpatio quam aliis temporibus, ſimplici hac Febre Bilioſo-putridâ gaſtricâ laborantes ſola methodo emeto cathartica, digeſtivis ſic dictis in hac remediis, & dietâ morboſo vomiti oppoſitâ tractaverim, citò tutéque curaverim abſque eo, quod alia activa artis auxilia in particularibus ſubjectorum conſtitutionibus, Febris hujus complicationibus vel urgentibus Morbi ſymptomatibus ſupervenientibus appropriata, in uſum ducere coactus fuerim, attamen ipſe aeger, Febris cum alia complicata vel gravia Morbi tempore ſupervenientia ſymptomata, quandoque varia à Morbi genuini genio & indole aliena medicamina haud rarò ſibi voluerunt & à Medico extorſerunt. Aſt uti ſanguinis per venas detractionem numquam abſque aliqua indicatione manifeſta in aegrotis hoc Morbo detentis celebrare voluerim, illamque in hoc Morbo provectiore debilibus fractisve aegri viribus inſtituere formidaverim, ſic emplaſtra veſicantia acria, quae cantharides in ſe recipiunt & his acuata ſunt, quaeque partes

tes

tes corporis, quibus applicantur validè ſtimulant, irritant, rubrefaciunt & in illis veſiculas quaſi hydatides lympha vel ichore plenas excitant, cuticulam deſtruunt, ipſam cutim haud rarò exulcerant, & inquinant, & reſumptis ſubtiliſſimis particulis acribus ſepticis, quibus ſcatent, ſtimulo ſuo haud rarò diureſim vel diaphoreſim &c. excitant, numquam niſi forte in caſu urgentiſſimo in harum Febrium initio vel incremento vel in his aegris, in quibus omnia nimis tenſa & arida eſſent, uti in quibus pulſus magnus & vehemens, vel valde durus, lingua arida ſicca, magnus corporis aeſtus, ſanguis ſuperabundans vel valde inquinatus à putridis reſorptis particulis diſſolutus adeſſent, vel in quibus Bilioſa-putrida ſaburra circa praecordia accumulata vel in primis viis, ventriculo & inteſtinis inalterata vel necdum ſatis evacuata haereret, haec applicare volui, quia haec in his rerum circumſtantiis minimè prodeſſe queunt, Morbumque potius exaſperent quam diminuunt optimumque, quod ab illis tunc erit expectandum, eſt, ne ſaltem multum noceant. *l*)

Aſt

l) Praeter haec cantharidibus muſcis acuata et ſaturata et ab illis inſectis diacantharides dicta veſicantia, ab Arabibus olim et ab Anglis Medicis hodie valde famoſa adamata et uſitata, alia dantur et conficiuntur epiſpaſtica ex fermento panis veteri, aceto acerrimo et largiori ſeminis ſinapeos contuſi doſi praeparata jam veteribus nota et celebrata, quae externis corporis humani partibus applicata illas irritant, rubrefaciunt, et aliquamdiu continuata ſaepius in illis veſicas et quaſi phlyctaenas ſero ichoroſo plenas excitant, potentius ſi radicis raſae vel contuſae raphani ruſticani vel alterius acrioris miſcela exaltentur etc. quae ſaepius, citius et tutius in Morbis ex putrido fomite natis et intertentis adhibentur, applicantur et indicantur, quam quae cantharides recipiunt veſicatoria, cum partes acidæ ſinapiſmi continuò bibulis reſorptæ venu-

Aſt in his Morbis, ſi poſt indicata & ritè adminiſtrata digeſtiva, correctiva & evacuantia remedia Febris non diminuatur vel deſinat, ſed ut catharralis vel rheumatica jugiter perſeveret vel increſcat, cum pulſu debili, virium dejectione vel ſi cum hac Febre inſuper dolor quaſi pleuriticus vel rheumaticus valde vexet, excruciet & reſpirationem difficilem reddat ac valde laedat, vel ſi ſufficienter evacuato & correcto morboſo fomite per ſolum partium conſenſum ſenſorium commune male affectum eſſe perſeveret, ſicque motus exorbitantes, ſpaſmos, convulſiones, anxietates, deliria, ſtupores vel altos ſopores &c. excitet; tunc partes

venulis, vim putridi humores inficientes continuo caſtrent, ubi è contra cantharidum tenuiſſima pars ſepticæ indolis iisdem ſurculis reſorbentibus humoribus communicata ſanguinis putredinem et acrimoniam auget et adjuvat, et haud raro difficilem dyſuriam excitat et ulcera peſſimae indolis inducit etc.

Porrò praeter haec ſtimulantia excitantia et derivantia remedia externa pro intentionibus variis corporis partibus applicanda effectu ſaepe vario, inſuper diverſa alia indoctum vulgus, praeſertim capitis vertici et pedum plantis applicare et imponere magna ſed vana ſpe extollit et ſuadet, praeſertim in illis Febribus, quas malignas putat et appellat, ſpeciatim ex animalibus recenter mactatis petita v. columbis, neſcio quare praedilectis nigris plumis proſpectis, vel ex partibus animalium majorum muſcularibus illorumve viſceribus exemptis adhuc calidis & cruore madidis petita, quae in Febribus tam benignis quam malignis nil boni praeſtare valent, ſed partibus calido-humidis adplicata & fota citò & vehementer putent ac adverſum putridum cadaveroſum odorem exhalant, & ſic ſemper, praeſertim in Morbis putridis, ab inſpiratis & reſorptis peſſimis ſepticis halitibus valde nocent & inquinant. Hinc horum & ſimilium applicationes in his Morbis ſedulo

partes diſſitas vel male affectas dolentes pro varia intentione & indicatione emplaſtris valde activis veſicatoriis cum cantharidibus praeparatis & acuatis pro varia rerum circumſtantia ſtimulare, irritare, vellicare, & deinde, ſi opus ad ſuppurationem ducere licitum & ſaepius conſonum imo neceſſarium erat &c. quia ſic pro varia rei circumſtantia & indicatione, v. g. immediata applicatione dolores pleuritico-rheumatici ac concomitantes angores & inquietudines citò mitigabantur, partes dolentes ab omni cruciatu liberabant, vel in locis diſſitis, ut v. g. malè affecto encephalo curibus vel pedibus adpoſitis derivatione materiae peccantis ſuperſtitis vel contraria & oppoſita irritatione varia illa & terribilia mitigabant ſymptomata, quae partium ſympathia ſeu mirus nervorum conſenſus excitaverat; hinc ordinariè, dum pro votis agebant; citò ab horum operatione ſenſibiliter motus exotici, ſopores quaſi lethargici, inquietudines anxiae, jactationes ferè continuae, tendinum ſubſultus vel tremores remittebant, pacatius delirabant aegri & intra paucos dies denuò ſapiebant, nec malis avibus in ſomnum propenſi tranquillie dormiebant, in copia valde ſpectabili lotium craſſum ſedimentoſum emittebant, & tandem placido aequali ſuborto ſudore vel ſenſibiliter aucta inſenſibili tranſpiratione horum cuticula explorata, cum euphoria madeſcebat totusque corporis habitus lautè tranſpirabat, ſicque ſtimulo ſuo acri ſopitos ſuſcitando ignes dormientem quaſi naturam oppreſſosque ſpiritus animales vel exorbitantes

dulò prohibui & iniquo conſilio jam modo in uſum ducta & aegri corpori admota, renuentibus mulierculis & aliis hujus farinae conſiliariis, mox amovere juſſi & mala inde orta aceto ejusque vapore aliisve antiſepticis halitibus emendavi.

tes excitando vel in ordinem revocando curamfacilitabant vel abſolvebant.

§. 25.

Cortex Chinae Chinae vel Quinquinae hiſtoriâ notus & virtute in re medica famoſus à peruvianis ſpeciatim nominatus, quia illis praeſertim Americae Populis quondam notus & ad Febres debellandas ab illis uſitatus, & poſt detectam à Columbo Genuenſi hanc diu nobis latentem & ignotam valde ſpectabilem globi terraquei partem & poſteà ab America Florentino appellatam, ac ab Hiſpanis Luſitanisque Militibus illius ſubactos vel mactatos cum Regibus ſuis incolas verum Deum ignorantes, & hoc ſolo titulo ab Europaeis advenis pro populo barbaro habitos & tractatos, de caetero admodum manſuetos homines prius à Patribus Miſſionariis Societatis à dulciſſimo & venerabiliſſimo Nomine dictae nuper extinctae, Europaeis communicatus in Febribus re & intermittentibus utut contumacibus & quandoque malignis cohibendis domandis &c. toties efficaciſſimum, multo pretioſius auro ac ferè divinum ſe exhibens remedium, tamen ſub hac conſtitutione noſtris in hiſſe Febribus Bilioſo-putridis mitigandis, ſubflaminandis, vel ſubigendis, licet in initio ſatis diſtinguendis & reingruentibus paroxiſmis Febrium intermittentium ſaepius tertianarum normam, vel ſubitaneis virium dejectionibus, praecordiorum anxietatibus, animi ſubdeliquiis aliisve gravioribus ſymptomatibus in progreſſu Morbi ſupervenientibus & conſpicuis malignarum Febrium formam aemulantibus & quaſi repraeſentantibus, tamen cortex, licèt ſaepe, & in ſatis magna copia exhibitus nullius efficaciae fida & repetita experientia tam à me, quam aliis Medicis noſtris

ſtris integerrimis obſervabatur; quinimo crudo adhuc exiſtente Morbo, & aegro necdum ſatis ab inquiliniis per primas vias evacuato, plus mali quam aliquid boni efficere comprehendebatur (niſi fortuito per alvum laxaret, quod quandoque in laxis ſolet) atque bene perſpecto Morbi genio vel fomite noto potius nocere quam prodeſſe debebat, imo aliquamdiu celebratis digeſtivis corrigentibus & primas vias evacuantibus remediis perſiſtente vel increſcente Febre cortex exhibitus non amplius quidem nocere, ſed neque juvare in hac Febre cum ſuis ſymptomatibus mitiganda vel debellanda experiebamur, quia Febris haec non erat illius caracteris, indolis vel genii, cui cortex limites ponere vel ſemper imperare conſuevit, & ſi aliquod tempus in Febribus noſtris cortici & reliquis amaricantibus tonicis, numquam id in harum initio, incremento vel ſtatu aderat. Sed tandem correcto & ſimul evacuato ſufficienter morboſo fomite & Febre ab illo excitata & intertenta valde miteſcente, vel jam omnino deſinente; tum ſi opus tam diu ſepoſitus cortex absque ſcrupulo in uſum vocandus erat, qui ut tonicum roborans & ſedans remedium, dum à praegreſſis evacuationibus nimiis largioribus protractioribus arte vel ſponte procreatis in noſtris aegrotis languor vel atonia partium, teneritudo vel mobilitas nimia nervorum ſuperſtes remanebat, cum reliquis artis auxiliis, ut primarium & efficaciſſimum medicamentum ſe exhibebat: tandem ipſe cortex, principio ſuo antiſeptico amaro tonico ad viſcera chylopopaea nimis debilia, vel ex quacumque cauſa nimis delaſſata roboranda, & putredinem in illis arcendam, tam ante quam poſt Morbum, ut prophilacticum poterat haberi ſaepius remedium &c. *m*)

§. 26. Lar-

m) Equidem non ideo accuſandus vituperandus, vel vilipen-

§. 26.

Largus vaſtusque campus patuiſſet ſymptomatum Medicis in hujus Febris tractatione variis ſymptomatibus

lipendendus eſt cortex peruvianus toties febrifugus certus & eximius, quod hac vice in his Febribus noſtris moderandis figendis vel domandis minus habens inventus fuerit, in quibus ſola medela ab evacuantibus ritè ac per convenientia loca inſtitutis & à digeſtivis ſaponaceoacidis remediis expectanda erat, cum ne unicum quidem, utut decantatum excellens heroicum & potens remedium in arte ſalutari exiſtat, quod perpetuo bonum efficax vel infallibile deprehenditur & obſervatur, quod effatum licet ab ipſo apollinis ore prolatum indoctum vulgus capere non vult, ſemper arcana & catholica remedia in Morbis crepans. Interim, uti in praxi clinica Febres verè intermittentes vel remittentes ex illarum claſſe genuina compoſitae obſervantur, in quibus figendis cortex Chinae Chinae toties potens & infallax deprehenſus fuit, & verum ut ſpecificum ſeſe exhibuit, ſic occurrunt quandoque ejusdem ſpeciei & characteris Febres, in quibus tamen cortex, utut his dicatus, inefficax, quinimo noxius & ſic nigro carbone annotatus fuit. Igitur uti aliquando in praxi occurrent Febres, quae corticem ſibi non volunt, ſed huic rebelles & inobedientes reſiſtunt hujusque potentiam eludunt, ſic & haud raro in re medica obrepunt & furunt Febres noſtris Bilioſo putridis, de quibus agimus multo acutiores et maligniores, in quibus cortex opportuno tempore et ſufficienti doſi exhibitus optimè ſe gerit, et pro quarum curâ ad hunc, quaſi ad ſacram anchoram, confugiendum eſt. Sicque qui nihil in hac noſtra, de qua loquimur Febre, ut febrifugum, neque in illa bilioſa Lauſannenſi à celsiſſimo *Tiſſoto* expoſita efficiebat cortex; attamen in illa bilioſa Febre inter milites graſſante et malè tractata facile inflammationem ſibi adſciſcente à *Pringlio* obſervata et expoſita, poſt debitas evacuationes lanceola et emeto-cathar-

tibus ſtipatae, praeſertim & primariè per amplum conſenſum copioſorum nervorum horumque plexuum circa praecordia coëuntium & excurrentium procreatis & intertentis, non niſi morboſo fomite has partes obſidente & ſtimulante evacuato, vel correcto, pacandis & medicandis, atroces namque illi capitis dolores cum pervigiliis & inquietudinibus ſummis, de quibus apud omnes idem ferè planctus, non niſi probè expurgato & deleto bilioſo, vel putrido fomite pacabantur. Diarrhea

tharticis inſtitutas mox ſimul ac remitteret ad corticem feſtina manu properandum erat, et ad recidivas has Febres praeveniendas aliasque harum ſiniſtras ſequelas aliquamdiu corticis uſu continuandum erat etc. Porrò *M. de Man* in perdocta & adaequata ſua diſſertatione de Febre putrida malignâ contagioſâ, quae à tribus annis in pagis urbi Neomagenſi vicinis popularis erat, poſt primarum viarum evacuationes in his aegris ritè inſtitutas, vario titulo corticem ut antiſepticum ſummum & antifebrile in Febribus putridis malignis re & intermittentibus complicatis remedium mox copioſè et diu adhibêre voluit & injunxit &c.

Denique, uti taedioſum foret plures obſervationes in re medica recenſitas & annotationes in ſingularibus Febrium conſtitutionibus circa corticis peruviani virtutes & eventus expoſitas, ulterius hic adferre velle, ſic nimis longum foret, ſi ſingulas eminentes virtutes, quibus cortex in Morbis curandis praeditus eſt, hic apponerem; quippe ſic non ſcholion, ſed magnum volumen exarandum foret & inter reliqua quam plurima legenda, & relegenda ſunt, quae de hoc cortice ſcripſit, obſervavit, vidit, Vindobonæ *A. de Haen*, Laxenburgenſi in agro viciniſque in locis, *F. J. Lauter*, Moſchae, Petroburgi & in Ukrania *Clerc* etc. ex quibus conſtat, quod cortex convenienti tempore & doſi exhibitus in peſſimi moris Morbis & deſperatis aegris, in quibus devincendis nondum par ars viſa fuerat ſaepiſſimê moderator et victor exſtiterit etc.

hoea enormis leniter evacuantibus vel acidis & digeſtivis tandemque obvolventibus obediebat remediis. Surditates, ſtupores, ſopores, colores icterici, doloresve, Rheumatici ultimo Morbi ſtadio ſupervenientes, actis prius agendis ſolo naturae molimine, vel artis miniſterio largis profluentibus urinis, craſſis, ſedimentoſis, & aequali placido tandem quaſi critico ſudore ſuborto, vel humore tranſpirabili lauto profluente evaneſcebant &c. convulſivi motus tempore Febris exorti per conſenſum, cui originem praebet commercium, quod intertinetur inter par nervorum ſextum omnesque ſpinales vix ullam requirebant ſpecialem medendi methodum. Ingruente vel increſcente Morbo, necdum evacuato & correcto fomite morboſo nauſeam, vomiturितiones, vel actuales vomitus ſubamaris aliisque ventriculo gratis ſiſtere, & appetitum dejectum calidis elixiriis aliisve aromaticis ſtomachicis dictis erigere velle abſonum & ſtultum prorſus fuiſſet. Tandem petechiae aliave exanthemata ex acrimonia vel diſſolutione humorum nata & ſuborta, cum alvo laxa antiſeptica, ut acida potentiſſima mineralia modo laudata requirebant, quibus, dum vires valde proſtratae languebant, cum cortice peruviano, radice ſerpentariae, virginianae &c. camphoram addere licitum & congruum erat, quo caſu propter vires erigendas nec à modico vini generoſi abhorrendum erat &c. *n*)

§. 27. Tan-

n) Igitur in Morbis optimè notis, perſpectis, rectè tractatis, in aegris obedientibus, ritè locatis et de omnibus benè proſpectis vix umquam occurrunt ſymptomata ſpecialem medicationem à Morbo primario alienam ſibi requirentia, cum obtruncata arbore facile illius rami et ſurculi fatiſcant et auferantur; ſicque in famoſa hiſtoria Febris Bilioſae epidemicae Lauſannenſis unicam ſolummodo hujus ſymptomatum curationem, memoriae ut

§. 27.

Tandem opiophili in omnibus pervigiliis, largis alvi profluviis & doloribus excedentibus opium adamantes, omnem ferè Morbum cauſae immateriali tribuentes, continuo de ſpaſmo & generis nervoſi tenſione nimia vel exotica &c. cogitantes & loquentes, proinde qui in omni graviori morboſo affectu vigiliis

 ni-

ut tradatur dignam, refert et adfert celſiſſimus *Tiſſotus* pag. 115. aegrotum ſutorem Germanum ſiſtentem, decima Morbi die meteoriſmo tumidum valde abdomen exhibentem, cui frequenti aquae frigidae, linteis quadruplicatis hac madefactis applicatione, ejusdemque liquidi frigidi ſorbillatione ſingulis horae quadrantibus et ſic ſaepius repetendis mox levi oborta colica torminoſa cum alvi fluxu bilioſo brevi convaluit moroſus homo, quem ſolis his artis auxiliis, etiam veteribus notis in uſum revocatis, quaſi ex orci faucibus eripuit et priſtinae ſanitati reſtituit hic ſagax Medicus. Et nobis hoc experimentum in unico aegroto diu neglecto, et variis nocivis juſculis et carnibus decoctis calido-aromaticis aliisque futilibus abuſo, tentatum in Poldro extra portam à luto, vel coeno dictam vulgò *Slyk-poort*, Anno praeterito menſe Auguſti decumbente Meteoriſmo, ex Bilioſo putrido fomite progenito valde tumido, delirio, pulſu celerrimo et aliis ſymptomatibus ex hoc propullantibus preſſo et quaſi ad extrema redacto feliciter pro votis ſucceſſit. Aſt praxis haec ab aqua frigida deſumpta veteribus nota et ſaepius celebrata, diu obſoleta et neglecta, et hodie à quibusdam Gallis in Morbis nervorum curandis in uſum revocata, prudenter à Medico inſtituenda eſt; nam uti multum ſperarem ab aquae frigidae tam in quam externo uſu in fibrarum laxitate et atonia, ſic ab hoc multum timerem in fibrarum criſpatura nimia ab obſtructione vel ſpaſmo à phlogoſi nato et intertento: hinc uti Medici hydrophobi ſic et hydrophili incauti in Morbis curandis peccare poſſunt et formidandi ſunt.

nimiis, humorum evacuationibus, vel doloribus ſtipato abſque opio eſſe nolunt; ſed ad hoc tranquillo animo & ſumma cum fiducia, ut optimum & infallibile ſopiens, ſedans & liberans auxilium confugiunt, cum hic papaveris ſuccus (ſi nihil obſtet) vigiliis pertinacibus detentis, cum quadam voluptate placidum ſomnum conciliet & inducat: evacuationes omnes enormes, vomitus, diarrheas, ipſasque haemorrhagias, ſolis ſudoribus fortè exceptis, diminuat vel cohibeat, motus exorbitantes nervorum ſpasmadicos illorumque criſpaturas & ſpirituum ataxias modificet & placet, & permanente licet doloris cauſſa, tamen omnis doloris ideam in mente ſopiat & pro tempore quaſi obnebulet &c. Non admodum de me erunt contenti, cum in Morbi noſtri, hujusque ſymptomatum curâ de opio, utut ſaepius heroico remedio, ne verbum quidem protulerim, ſed noto morbi genio & ex illo procreatis ſymptomatibus nullus opio vacabat locus, utut pertinaces vigiliae, inquietudines & jactationes corporis continuae fere, vel convulſivae contractiones, anxietates, ſingultus & cruciatus ventriculi, borborigmi torminoſi & dolores colici vel illiaci inteſtinorum, alvi fluxus, vel atrociſſimi capitis, lumborum, & artuum dolores &c. in hac Febre adeſſent & vexarent primo intuitu & inconſiderato Morbi fomite pro opio ut remedio tranquillo & ſopiente militantes; aſt ritè conſiderato cum ſuis ſymptomatibus Morbo ex fonte ſuo Bilioſo-putrido profluente, haud raró ſtaſim inflammatoriam incurrente & ſibi combinante, in putrilaginem gangrenoſam & requiem aeternam deſinente, niſi providè tractato,, utpote quo citius eo melius correcto & eliminato materiali ſtimulo ſibi impoſito, hoc toties heroicum, ſed ſemper calidum ſopiens, laxitatem hic timendam inducens & evacuationes prae primis per vomi-

vomitum & alvum hic neceſſarias & quaſi criticas impediens & ſupprimens opium nihil boni, ſed multum mali exhibitum in hoc Morbo effeciſſet; hinc opium ex illove praeparatum laudanum in toto hujus Febris cum toto ſuo comitatu, decurſu quam minimè laudandum, ſed quam maximè vituperandum, ſeponendum & vetandum erat, neque hoc requirebant turbae à validis evacuationibus excitatae, optimè, ſi opus quod rarius, cardiacis, acidis, refrigerantibus & diluentibus leniter obvolventibus pacandae &c. *o*)

§. 28.

Praeterea, uti ſtahliani Medici facile Methodo noſtrae opium, quod promiſcuè implacabili odio perſequuntur, in hac Febre improbanti & proſcribendi ſubſcribent, ſic nec hi, nec infantum Medici ita nobiscum convenient, dum abſorbentia terrea remedia, quibus tamen in Morbis ſuis tractandis multa tribuunt, in hujus noſtrae Febris curatione improbo condemno & in exilium mitto. Et optimo quidem jure, cum in Morbo noſtro acidum abſorbendum non eſſet, quod, ſi in Morbis praeſens ſit, pulchra efficiunt haec abſorben-

o) Equidem in paucis caſibus ſupervenientibus ab ipſa Febre alienis v. g. correcto et evacuato morboſo fomite prodeſſe poterat lene narcoticum ſub finem Febris poſt purgantia adhibita ut mos fuit *Sydenhamio*; valde mobiles enim ſunt convaleſcentes et purgantia cient ataxiam, quam mox compeſcit opium, quod et prodeſt in illis ventriculi vel inteſtinorum doloribus ſpaſmisve, qui tandem decidua Febre nihil commune cum fomite Bilioſo-putrido habentes, oriuntur ex longo uſu acidorum et refrigerantium praemiſſo enemate dolores hos et ſpaſmos etc. valde ſopit vel omnino tollit papaveris uſus etc.

tia & quandoque totam paginam adimplent, ſi vero abſens id fuerit, nihil boni efficere queunt, è contra ventriculum inutili pondere ſuo obruunt, debilitant & labefactant, quinimo inter remedia haec abſorbentia terrea dicta quam plurima dantur, quae ſimul vi ſeptica praedita ſunt, quae exhibita, remedia acida hic toties neceſſaria non modo infrinxiſſent, ſed ſimul fomitem putridum adauxiſſent, ſicque duplici titulo nocuiſſent. Igitur uti opio, ſic & aliis inutilibus non indicatis vel nocivis, ut mere terreis abſorbentibus remediis, inutili pondere ventriculum prae primis labefactatum aggravantibus, carere potuimus in Febre noſtra, in qua Bilioſo-putridus fomes peccans primas vias evacuantibus & ſaponaceo-acidis validiſſimis evacuandus & corrigendus erat, acidum vero innocens hic minimè abſorbendum vel infrigendum erat. *p*)

§. 29. De-

p) *Quamvis, uti in obſeſſis munimentis ſaepius, noſtris in aegrotis multâ terrâ numquam, opus habeamus ad moeniorum labefactorum hiatum obturandum & reparandum, attamen in alvi fluxibus pertinacibus, valde protractis, torminoſis, ſeroſo-putridis, huic Febri neglectae vel male tractatae ſupervenientibus, reliqua remedia appropriata illudentibus, aegrumque valde dejicientibus tum fortè in magna doſi terrae bolares dictae in uſum vocari poſſent, cum referente celſiſſimo* van Swieten *bolus armena latente ſuo acido putredini reſiſtat, & innocua ſua lenitate omnia acria demulceat: unde in dyſenteriis putridis tantum nomen habet, modo in ſatis magna doſi exhibeatur, v. g. unciam integram emulgendo quaſi in unciis duodecim aquae dilutae & cochleatim ſaepius tunc ſumptam pulcherrimos praeſtare effectus: ubi vero ad pauca grana datur, nil efficere monet praefatus Author &c. & actis peragendis, ſi ſimul in hoc caſu ſumma laxitas peccaret, huic emulſioni pro varia indicatione corticem peruvianum, caſcarillae, ſimarubae, herbam lyſimachiam flore purpureo vulgarem noſtratem, lignum campeſcenſe vel ejus extra-ctum*

§. 29.

Denique uti modo vidimus, cum in hoc Morbo materia peccans primariè ventriculum laceſſens, in illius cavum effuſa, quo citius eo melius breviſſimè vomitorio exhibito eliminaretur, intimius intricata circa praecordia haerens valido vomendi conatu inferiora verſus protruderetur, in actum duceretur & coacta evacuationi apta redderetur, & profluens ad ventriculum regurgitans, vel inferiora verſus in inteſtinorum canalem praecipitata viâ regiâ remediis vomitum & alvum excitantibus eliminanda foret, & per intervalla ſaponaceo-acidis diluentibus minus nociva reddenda, ſubigenda & in quantum poſſibile corrigenda eſſet, abſonum & periculoſum fuiſſet mox Bilioſo-putridum fomitem mobilem; vel turgidum recto tramite & ſolo patulo ductu per longum primarum viarum canalem ſurſum deorſumve exhauriendum, per alia colatoria ſeu emunctoria ſubducere & evacuare velle, hinc diaphoretica & diuretica ſtrictè dicta, & qua talia devia, incongrua & pernicioſa in hjus Febris incremento & vigore erant medicamina; & ſudores, vel ſponte prorumpentes, vel artificialiter expreſſi in his noſtris aegrotis necdum evacuato & correcto intus latente & Febrem excitante, vel intertinente fomite morboſo Bilioſo-putrido nullius utilitatis, ſed ſiniſtri ominis (uti monui) erant indicia; quippe alvum laxam intertinendam ſiccam efficiebant, acrimoniam magis exaltabant & reſorptioni materiae peccantis extra circulum depoſitae anſam dabant, ſicque ob varias rationes no-

 cebant:

ctum, vel radicem lopeſianam ab inventore lopes dictam & à clariſſimo Gaubio nuperrime in adverſariis ſuis editis laudatam, vel radicem columbam, ab oppido columbo nominatam & à Percivalio approbatam jungere quadraret.

cebant: ſed tandem, eliminato & correcto morboſo fomite primario ſuis appropriatis remediis, ſi quid ulterius peccans attenuatum fluidum lateret in intimioribus corporis penetralibus, quod aſſimulari, vel è primis viis vel per alia colatoria evacuari haud potuerat, id tandem ſponte, jam declinante & ferè deſinente Morbo cum euphoria & quaſi criticè largiori transſpiratione valde ſenſibili univerſali ſeu ſudore placido blando, ſolo providae naturae molimine, uti diximus, in auras evolabat &c. ſimiliter urinae qualescumque emiſſaè, crudo adhuc exiſtente Morbo, nihil juvaminis, vel emolumenti adferebant, & in initio, vel ſtatu Morbi cum aliis malis ſignis valde diſplacebat lotium ſpasmodicè in magnâ copiâ limpidum, uti in hypochondriaco-hyſtericis ejectum, vel involontariè qualicumque Morbi tempore prolapſum, neque boni ominis erat increſcente Morbo valde ſaturatum, turbidum, craſſum, quaſi â jumento emiſſum, vel valde exaltatum rufum, vel rubicundum cereviſiam brunam antiquam referens, quaſi in ictericis, vel phlogoſi detentis obſervatur; ſed tandem congruis remediis ſuperata, vel ferè totaliter ſubacta Febre, ſeu in declinatione Morbi urinae craſſae, turbidae ſalibus acribus &c. exaltatae ſaturatae & tandem valde ſedimentoſae donec & usque naturales citrinae evaderent bonis avibus & magno cum levamine ac quaſi criticè excernebantur & profluebant; hiſſe namque materia morboſa ſuperflua per primas vias necdum eliminata reſumpta, vel altius protruſa ac ad artus extremos depoſita & alienigena vel craſſior, ut per ſudores totaliter eliminari potuiſſet, per tubulos uriniferos evehebatur, praeſertim, ſi Febris ſimul cum ſtaſi Rheumatico-inflammatoria combinata fuiſſet, quod tempore vernali & aeſtivo & in ſubjectis plethoricis, vel valde exaeſtuatis haud raro apud nos contingere

tingere obſervatum fuit. Igitur, uti Morbi merè Binoſo-putridi ſedibus terminantur & inflammatorii non abſcedentes urinis & ſudoribus ſolvuntur, ſic & hic combinati alvi fluxu urinis & ſudoribus deſinunt & expurgantur &c. q)

q) Non modo quo natura vergit, ſed & per convenientia loca ſeu appropriata colatoria aptasve vias materiam copiâ vel acrimoniâ peccantem, turgentem vel concoctam evacuandam eſſe injunxit fidelibus naturae miniſtris divus Praeceptor *Hippocrates*, qui & fida obſervatione conſecutus fuit & exhibuit quosdam Morbos ſimplices, modo quieverit aeger & Medicus, absque ſenſibili evacuatione ſolvi, ut v. g. inflammatorii *lyſi* ſeu reſolutione fixo tempore terminari, quosdam vero leviores unica evacuatione critica indigere, ſicque ephemera Febris transſpiratione aucta vel blando oborto ſudore deſinit, & ſynochus ſimplex quarta die larga haemorrhagia narium, vel ſeptima profuſo oborto ſudore ſolvitur, quosdam magis intricatos & complicatos Morbos non unica, ſed varia evacuatione critica ſuperveniente terminandos annotavit, ut haemorrhagiis & ſudoribus, urinis & ſudoribus, cholerâ &c. Igitur licet Febres Bilioſo-putridae ſimplices viâ patulâ adeoque regiâ dicendâ vomitu & alvi fluxu, vel ſolis ſedibus Bilioſo-putridis exterminentur & ſolvantur; tamen in his complicatis & intricatis aliquid morboſi in corpore remanet, tandem ſudoribus & urinis abigendum: ſic quidem, ut in omni Febre Bilioſo-putrida pertinaciori, licet ſedem fixam non habuerit intra vaſa, per quae humores circulant, ſemper tamen alteratur ſeroſo-ſanguinea maſſa, tum abſorptione particularum morbidarum, tum retentione materiae excernendae, quae Febre validiori ſemper turbatur vel ſaltem pro parte retinetur vel reſumitur: aſt lex eſt, à qua numquam diſcedit natura expellendo humores alienos & via particularis patula eſt, qua naturae molimen vergit & per quam hos eliminare conſuevit, ſic in Morbis malignis vel venenoſis, in quibus humor morboſus valde tenuis & mo-

§. 30.

Noto Morbi genio exIllioſo - putrido fomite conflato, procreato & intertento, facile conſtabit rationali phyſico - medico, quae & qualis diaeta, quae aërem & alimenta pro objecto habet, aegris vario Morbi tempore ordinanda & praeſcribenda eſſet.

Igitur aërem quantum poſſibile purum, elaſticum frigido - ſiccum in cubiculis aegrotorum ſaepius renovatum

& mobilis eſt, ſaepe ſudores ſoli ſufficiunt criſi; ubi verò hic magis craſſus et intricatus adeſt, ut v. g. materia purulenta, cui eliminando impares erant pori cutanei cum urinis evehitur, ſi verò materia morboſa magis craſſa vel extra circulum in abdominis viſceribus nidulans ſolummodò per primas vias haec evacuatur et neceſſario quidem congrua et ſpecialia requiruntur in corpore organa et colatoria ad humores coquendos, ſubducendos & eliminandos cum ſinguli hi habeant aliquid commune, puta principium aquoſum et aliquid diverſum ex ſale oleo vel terra plus minus exaltatum et ſui juris factum conſtans, quo inter ſe excedunt et quod illorum characteriſticum ponit principium, quo ab aliis ſe diſtinguunt colore, conſiſtentiâ, odore, ſapore etc. et ſic v. g. in *iſchuria*, tam renali quam veſicali, quacumque de cauſâ ortâ protractiori, niſi aeger intra ſeptem dies urinam emiſerit, licet aliae evacuationes hâc ſuppreſſâ intendantur, et hanc evacuationem quaſi ſuppleant, haecque poſteà liberè fluxerit, tamen talis homo non absque periculo eſt. quia ut plurimum eroſis minimis cerebri vel pulmonum vaſculis, talis poſteà lethargicus vel peripneumoniacus factus vel ſuppuratus empiacus vel gangraenatus moritur: quia in maſſa communi reſorptum illud acre ſalino - terreum principium, quod quam maximè ſui iuris in lotio exiſtit, eliminare haud potuerant, quod quam maximè in praxi conſiderandum eſt; hinc magni momenti inMedico res eſt, ex nota vitiati humoris genio et Morbi cauſſa, praenoſcere et eligere viam convenientem in primis, qua valde turgens vel tandem concocta fomitis morboſi ſaburra movenda et medicanda eſt etc.

tum ſemper deſideravi, & quantum in me fuit procuravi, aërem verò vappidum, occluſum, calido-humidum ſepticisve effluviis inquinatum, faetum & corruptum quam maximè in horrorem habui, huncque notis auxiliis & omnibus viribus, quantum potui, praeveni, correxi & arcui. Interim non admodum difficile erat ab adſtantibus requirere & obtinere, ut cubiculi januas vel feneſtras aperiendo continuò liberum novi aëris introitum facilitarent: cùm aegri noſtri alvum frequenter valde faetidam deponerent, ſaepe ſe conſpurcarent, obque id odorem naribus admodum adverſum & in locis occluſis ferè intolerabilem ſpargerent; variis è corporis emiſſariis exhalarent, & cum Morbus ardente ſyrio & tempeſtate calido-humida quam maximè feriret ac valde frequens exiſteret, aegrique inſtinctu quaſi naturali aërem puriorem elaſticum ſaepius renovatum valde deſiderarent, quo haud parum refocillabantur &c.

Dum quod ſaepius plures ſub iisdem tectis hac Febre detenti decumberent, illi in diverſis cubiculis ſeparati locandi erant, quod apud plebeios non tam facile perficiebatur, cum illis ut plurimum cubiculorum, vel aegrotis inſervientium pluralitas deficiat &c. Hinc quibus res anguſta domi, Urbis noſocomium ſpatioſum nitidum his praeferendum erat.

Si praeſertim tempore valde frigido & humido ignis, in aegrotorum cubiculis exſtruendus erat, ille non ita ad conclave calefaciendum & deſiccandum, quam ad aërem in hoc pigrum, vel variis exhalationibus faetum ventilandum & renovellandum apertis tum ſimul feneſtris, vel januis in aperto camino ex lignis extructus incendendus ac intertinendus erat. *r*) Aegrotusque

r) Ignium ope ventilatur aër, inprimis ſi ipſius fluxus arti-

que operculis non nimis obrutus indies è lecto eximendus erat, vel ſi ad hoc nimis debilis exiſteret ſaltem tum ſaepius in cubili renovato dimovendus, isque induſio vel linteis maximè conſpurcatis ſaepè mutatis purificandus erat &c.

Quoad alimenta ingruente Morbo (ſolo excepto potu diluente ſaponaceo acidulato) locus non erat: & ingruente, vel increſcente Morbo alta mente volvendus & reponendus erat aureus ille Aphoriſmus à Medicorum genuino parente & quaſi divino ac oraculo prolatus ſcilicet *quod corpora impura quo Magis nutriveris eo magis laedes.* Quod axioma in Morbis Bilioſo-putridis ſi aegri hoc non perſentiant, certè nimis obſequioſi his inſervientes hoc non capiunt nec obſervant, quippe qui ſemper ex qualicumque Morbo oppreſſum defatigatum & labefactatum aegrum per fas & nefas alimentis valde nutrientibus praeſertim juſculis & carnibus decoctis & conſummatis reficere, roborare & refocillare ſtulto plane impetu intendit & conatur, hoc enim in Morbis indoctum & damnoſum hominum genus, aliud eſſe aegrotum debilem appropriatis nutrire, & plane aliud eſſe hunc multis inquiliniis vitiatum labefactatum ac turgentem replere, diſtinguere non novit; aſt nihil nutrit quod non ſubigitur & digeritur, & quidquid non nutrit aegrum, id quod alias pro alimento eſſe conſuevit, id Morbum nutrit & aggravat &c. quâ hiſſe in rebus diſcernendis & diſtinguendis

artificioſè procuretur; alioquin imprudenter excitato aeſtu intentiſſimo corrupti aëris effectus accelerantur. Sicque *Mercurialis* obſervavit venetiis artifices aſſiduè ad ignem verſantes primos omnium peſte correptos fuiſſe. Quodque olim in peſte dedit conſilium divus *Hippocrates* nimirum ut plures in vicis lignorum ſtrues accenderentur, peſſimè in ultimis Angliae et Galliae peſtilentiis ceſſiſſe adnotarunt *Hogeſius & Meadius.*

guendis inadvertentiâ, vel ignorantiâ plures indies laeduntur, vel occiduntur homines quam ipſo gladio &c.: aſt uti ſaepius reflleximus, annotavimus ac inſinuavimus aegri noſtri Bilioſo-putrida cacochilia inquinati & hac plus vel minus ſaturi & turgidi, mox ab ipſo Morbi ingruentis exordio & incremento omnia alimenta valde nutrientia, ut ſolida craſſa difficilioris digeſtionis fercula, vel ex regno animali petita cibaria ac decocta juſcula, averſabantur in horrorem habebant & haec oblata introſumere pulchrè recuſabant, in his namque appetitus laeſus, vel abolitus, vis digeſtiva oppreſſa languens, os conſpurcatum amarum faetens Bilioſo-putridum in primis viis reconditum inquinamentum eructans ventriculus hoc labefactatus nauſeoſus potius ad incongrua alimenta deglutita mox vomitu reddenda quam ad haec trituranda & ſubigenda inclinatus & diſpoſitus, non facilem admittebant alimentorum in nimia copia ingurgitationem abuſivam, quae, ſi locum aliquoties obtineret, mox ſpontaneo ſuperveniente vomitu eliminabantur haec incongrua fercula, quae, ſi infauſto eventu aliquoties remanerent ventriculo & inteſtinis inutile pondus & Morbo increſcenti, vel recidivanti incitamentum & pabulum praebebant, & ſic anguſtiatis & onuſtis praecordiis mox remedium, quod vomitum excitaret, requirebant &c. Inſuper, uti in Morbis vires numquam ſuperare debeat alimentorum quantitas ſic alimenta aegrotis concedenda qualitate, qua praedita ſunt, Morbi cauſae materiali debent eſſe oppoſita, ut ſic non modo pro alimento, ſed ſimul pro medicamento eſſe queant, & hinc facile concipitur, cur plures aegri quidem absque medico, nulli vero absque medicina ab his & ſimilibus Morbis ſanentur &c.

Itaque alimenta, ſi quae in his aegris adhibenda, cauſae

cauſae Morbi contraria ſeligenda erunt; ut ſunt ſaponaceo-acida & aceſcentia &c. aſt abſint, quae facile putreſcere, ranceſcere, & ſic putredinem vel bilem augêre, obſervantur: hinc omnia pinguia, oleoſa utut mitia facile ranceſcentia ſeponenda erant, cum oleum hic quam minimè igni addendum eſſet, imo ipſa blandiſſima ova à mulierculis noſtris tam deamata, & in omni Morbo pro aegrotorum nutrimento uſualia in hoc noſtro Morbo nigro carbone notanda erant. neque haec cruda, cocta vel ex his vario modo praeparata juſcula vel liba, promatica utut palato obtuſo grata in uſum vocanda erant, quae in ventriculo famelico acido ſcatenti bene ſubiguntur inertes, viros excitant & ad mutuos amplexus amantes alliciunt & aptiores reddunt, in hac Febre fomiti morboſo incredibilem vim addebant, invitis & renitentibus mulierculis interdicenda erant, utpote, quae in horum aegrotorum ventriculo delata indigerendum putrido-rancidum farcimen ponebant, & quorum furtivus uſus in his Febribus toties anxietates, flatulentias putridas, ructus nidroſos, exacerbationes & lethales induxit eventus: hinc ab ovis & ex illis confectis juſculis vario aromate conditis & liquore ſpirituoſo exaltatis vulgo *ſuypens*, *eykelombars* &c. frequenter propinatis aegrorum vires decreſcere, hosque Morbos increſcere indoctum vulgus admiratur &c. Et uti emulſiones ex ſeminibus farinoſo-pinguibus conflatae, alias in Morbis merè inflammatoriis nimis ſtrictum laxantes & demulcentes & ipſa mitiſſima olea ex amygdalis preſſa, vel lini ſeminibus &c. contuſis acquiſita, ipſumque blandum lac: abque hoc ſeparatum butyrum, quae omnia toties acria venena vi obvolvente, qua praedita ſunt, obtundunt, nimisque ſtrictas fibras ultrà modum relaxant, ut in colicis ſpasmodicis, convulſivis doloribus toties obſervatur, haec ſingula, quia in loco calido-

do-humido depoſita & in primas vias Biloſo-putridâ ſaburrâ obſitas delata, cito rancecſcunt, acerrima & rodentia quaſi cauſtica fiunt, & ſic peſſimum cum hoc farcimine connubium ineunt, ſemper in his Febribus ſuſpecta habui, & quia haec ſtimulum hic peccantem non auferunt, vel diminuunt, ſed & partes, in quas agunt nimis relaxant, debilitant & dejiciunt, illa & ſimilia proſcripſi & in Morbis Bilioſo-putridis extimui &c. Sicque etiam in his Febribus nihil magis odi quam ſucculenta illa fercula, ex acuatis juſculis bovis gallorum gallinaceorum, columbarum pullorumqne vel cujuscumque demum animalis adeo decantata, promiſcuè aegris qualicumque Febre detentis à rudi hominum turbâ dicata & pro optimâ re cibariâ habita; quia haec ipſa juſcula exſuccos, debiles, languidos, convaleſcentes, acidum eructantes nutrire, reficere & non modo his pro alimento, ſed pro medicamento eſſe novit; quae tamen in noſtris aegris, in quibus Bilioſo-putridus fomes debellandus erat, non aſſimulanda, ſed haec cum fomite morboſo mixto & ſui juris facto anxietates, ardores, Febres & varia putrilamina intertinebant, excitabant & ultrà modum augebant, & hinc ut nociva ac ferè toxica taxanda erant &c. Et uti horum, ſic & quam maximè carnium ſanguine turgentium uſum tam in noſtris aegris quam convaleſcentibus in horrorem habui, uti ſunt omnes illae carnes, quas nigras dicunt, quasque voraces omnes in deliciis habent, & licet ſemicorruptas ſale vel fumo induratas ſana, valida, fortia meſſorum ilia ferunt & triturant, quae nec ab ipſo rancido lardo laeduntur, ſed qualiacumque debilioribus viſceribus acria, dura & prorſus indigeſta facile ferunt, ſubigunt & pro maxima parte reſumunt. Sed in noſtris aegris, quo plus ſanguinis eo plus putredinis invehebatur; nam dum in primis viis vel reliquis viſceribus putridus fomes nidulatur

latur, ſemper tunc eſt magnum crimen in viſcera condere viſcus, cujuscumque animalis; hinc exulare debebant omnia illa fercula, qualicumquemodo praeparata ex regno animali deſumpta, quibus abuſis indies tot labefactantur & orco traduntur homines, praeſertim in hujus genii Morbis, qui integri facti hodiedum optimè valerent & inter vivos ſuperſtites exiſterent, jam diu modo tumulati, ſi tempore Morbi oleribus, fructibus horreis acidulis, aqua & lacte ebutyrato acido facto ruſticorum more paſti fuiſſent. Hinc ſapius evenit, & rudiores in arte hoc non percipiunt, quod his Febribus correpti gravius torquantur & citius pereant ditiores, opiparâ diëta vel juſculis ex ovis vel carnibus ſucculentis &c. paratis tempore Morbi nutriti, ab aëre frigidiore probe defenſi & magno medicamentorum apparatu uſi à Medicis, chyrurgis, pharmacopolis caeterisque officioſis hominibus frequentati & inviſi; dum interim tenuioris ſortis homines tenuiſſima diëtâ vegetali prorſus acidâ & aceſcente, lacte ebutyrato, & aqua frigida pro potu & cibo utentes ac gaudentes, januis vel feneſtris hiantibus, operculis vix tecti, aërisque attactui expoſiti & ab omni ferè pharmaceutico auxilio, ſi unum vel alterum fortè primas vias ſurſum vel deorſum expurgans remedium exceperis; deſtituti, faciliori negotio hunc Morbum perferunt, citiusque ab illo emergunt ac liberantur: quod toties in pagis videre eſt & evenit, in quibus his Febribus aegrotantes Paſtores, Adſiſtentes Sacerdotes & Laici Officiales commodiores in omni Morbo juſculis ſucculentis ex ovis & carnibus paratis alimentati gravius plectuntur, vel pereunt, ubi tenuioris ſortis ruricolae tenuiſſima diëta vegetabili acida vel facile aceſcente victitantes in Morbis lacte ebutyrato, in quo poma prunave cum fruſtulis panis ſecalis nigri aceſcentis

in-

incocta & ſaccharo, vel viliori ex illo ſyrupo edulcerato cochleatim per vices ſaepius quaſi ſorbillando aſſumpto contenti, ab hiſſe Febribus levius aegrotant, & facilius evadunt, hinc apprime poëta,

ô Fortunatos nimium ſua ſi bona norint; Agricolas!

Interim noſtri aegroti teroptimo annuente numine & providae praeſidente naturae guſtu Bilioſo-putrido fomite inquinati ut dixi non appetebant ſed quam maximè in horrorem habebant omnia alimenta, ſpeciatim illa ex regno animali deſumpta fercula, in loco calido & humido depoſita, cito rанceſcentia & putreſcentia, ſic, ut hic inſtinctu quaſi naturali ducti, qui & in ipſis brutis obſervatur, oblata, ab adſtantibusque valde recommendata ex ovis, vel carnibus parata juſcula, cum variis ex his artè piſtoriâ culinari confectis oſſis, placentis & aromatiſatis multigenis condimentis abſonis, conſtanter recuſarent ac vilipenderent, cum equidem hi ſatis cito, puta poſt evacuationes primarum viarum peractas eodem naturae inſtinctu incitati absque ulla renitentia potus ſubfrigidos acidulatos deglutirent, reliquaque acida & aceſcentia, praeprimis fructus horreos ſaponaceo-acidos *s*) appeterent & valde

s) Fructus horrei ſapore acido-dulces, indole ſaponaceo-aqueâ refrigerantes, odore & aſpectu grato refocillantes & placentes &c. Divina providentia & uberrima largitate illis anni temporibus, quibus à praeviis caloribus ſolutis & interpolato frigore preſſis corporibus ſucci noſtri exaltantur, qui intercepti & perturbati inquinantur in putredinem vergentes, variis in regionibus pro vario caloris gradu proportionati ſponte creſcunt, naſcuntur & matureſcunt, ab omni aevo & ab ipſis

valde deſiderarent: quod aegrorum ab omni cibo ex regno animali deſumpto implabacile odium & ad potus

ipſis noſtris Proto-parentibus optimè noti, jamque à primis creati mundi diebus in Paradiſo, horto illo amoeno eſui apti, laute lateque propendentes, hinc ut de omni ligni fructu comederet unico ſolummodo excepto nec vel ideo in ſe malo, *Adamo* permiſerat ter optimus maximus Creator Deus, qui nec poſtea dilectae & electae ſuae Iſraeliticae Genti hos prohibuit fructus, ſed carnes quidem ſuillas aliaque quam plurima ex regno animali deſumpta, impura, facile ranceſcentia vel putreſcentia difficilioris digeſtionis nutrimenta &c. Quinimo deamato hoc ſuo populo primum terrae diu promiſſae oſtentaculum, productum, praemium et praebium allatum voluit eſſe et exhibere botyron, ſeu botrum illum mole et formâ valde ſpectabilem optimus ille *Jehova* &c. Itaque hi fructus varii, horrei dicti, primaevis hominibus tam ante quam poſt Diluvianis noti, his & nobis non niſi abuſu lethales et nocivi, longaevis illis hominibus coquos pingues nefandos calida cum frigidis etc. miſcentes, aromata varia aliaque guſtûs incitamenta exſtimulantia quam plurima calida ſpirituoſa, acria neſcientibus et ſedulo vitantibus, uſuales; hi inquam, cum natura paucis contenta ſit et ſimplicibus delectetur, jam ante uſum aratri

Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos foetus, montanaquè fraga legebant,
Cornaque & duris haerentia mora rubetis,
Et quae deſiderant patula Jovis arbore glandes.

Quinimo, non modo pro re cibaria ſed et pro medica novit antiquitas ſaluberrimos horum fructuum uſus; et quid mirum? cum nihil elatiori voce et majori deſiderio exaeſtuantes febricitantes alkali-ſpontaneo dicto, vel fomite Bilioſo-putrido laborantes doceat naturalis & ſalutaris hominum inſtinctus; & prae aliis

ctus aquoſos, frigidos, acidulatos fructus horreos ſuccoſos acidos conſtans deſiderium rudiores adſtantes ad-

aliis Medicis veteribus pulcherrima ſunt, quae de horum fructuum uſu in Morbis curandis habent *Alexander Trallianus*, *Aretaeus Cappadox* monita et praecepta medica, vix apud poſteriores niſi recentiſſimos invenienda Authores: equidem ſaponaceo-acidi diu et ſaepè etiam in Febribus bilioſis, dyſenteriis, aliisque morboſis affectibus Bilioſo-putridis, in quibus optimè quadrant, ab ipſis licet magni nominis Medicis ſuſpecti, nocivi, improbati et condemnati fuerunt, et hinc à Magiſtratu, illis praeſertim temporibus, quibus hi Morbi quam maximè populariter graſſabantur horum uſus dura lege ſub poena prohibitus fuit, et ſic hi fructus tam ſanis quam aegrotis grati et ſalubres devaſtati, vel ſaltem porcis nutriendis projecti fuerunt; haecque varia, manca et ſaepè diſſona circa horum fructuum uſum tam Medicorum quam indocti vulgi judicia, varias ob rationes ſaepius inconcinnas nata fuerunt: primo, quia nihil, quod perpetuo bonum in medicina exiſtens obſervatur, ſic, quia horum fructuum uſum nocivum experiebantur in acido laborantibus et hoc eructantibus pueris aliisque Fibris laxioribus et nervis debilioribus praeditis etc. in aliis Morbis licet ex origine oppoſitis ortis à pari argumentabantur inexperti, rem non ſatis diſtinguentes etc. Secundo, quia iisdem hi anni temporibus matureſcunt et avide promiſcuè manducantur, quibus Morbi Bilioſo-putridi exoriuntur et quam maximè feriunt, hos in horum cauſſam eſſe exiſtimabant; ſed ut optimè monet *Baglivus*: *fallitur ignarum vulgus, ſi credat aeſtate Morbos vehementiores laedere ob nimiam fructuum intemperantiam, cum aegrotent tunc potius homines, quia inſenſibilem transſpirationem aeſtate copioſiorem aura frigidâ die et noctu incaute ſuſcepta derepente ſupprimunt et coarcent.* Tandem falſis opinionibus deluſi et incongruis ſyſtematibus ducti, in omnibus ferè Morbis flatus vel acidum pro cauſa taxantes hi pneumatici, vel antiacidi Medici, et ſepticum vulgus omnia, quae flatu-

len-

mirabantur, quibus proinde furtivus iuſculorum alio-rumque incongruorum alimentorum ex regno animali de-

lentias et acidum excitare poterant ſemper male taxabant et vetabant, et ſic malo principio in his Morbis hos fructus, in quibus acida et aceſcentia indicantur et deſiderantur, et flatus â putredine oriundi et extricati acido-ſaponaceis refrigerantibus corrigentibus alvumque laxantibus remediis arcentur et curantur etc. Interim praeeunte cum ſuis *Sydenhammo*, tot utilium Reſtaurator *Boerhavius*, obſoletos fructus hos in forum Medicum revocavit, non ſilente invidâ ignorantia. Horumque ſalutarem uſum in quam plurimis Morbis experientiâ teſte in praxi ſtabilivit, obſtupeſcente tandem detractorum omnis boni nefando grege, et perilluſtris *Boerhavii* diſcipulus et Commentator *van Swieten* §. 88. tomi pag. 126. ait, quod *maturorum fructuum ſuccus nulla praeparatione indigeat, ſitim extinguat, calorem temperet, urinae & alvi vias laxet, ſummum ſolamen languenti ventriculo à putrida bile praebeat.* Et praeclarus *Tiſſotus* in exquiſita hiſtoria Febris epidemicae bilioſae Lauſannenſis pag. 45. et ſequente ſcribit, quod in his Febribus curandis *optimè ſucceſſerit omnis potus acidus nec nimis emolliens; qualis optime conficitur ex ſuccis expreſſis fructuum horreorum cum aqua & ſaccharo; nec quidquam praeſtantius noverit in omni* Morbo *bilioſo imo et inflammatorio, ſuccis ſaponaceis acidis mori, rubi, rubi idei, ribeſiorum, fragariae ceraſorum imo et uvarum dummodo non nimis maturuerint; cum hae ſint illorum virtutes; ut aceſcentiâ omnem putredinem corrigant, ſaponaceitate omnia concreta bilioſa aut inflammatoria reſolvant, omnesque foveant ſecretiones: nec nimis ſolida laxant, quinimo grato ſapore, fragranti odore vi cardiaca pollent.*

Interim horum fructuum in his et ſimilibus morbis proſperum et ſalutarem uſum, à nobis expertum et recommendatum habuimus, quos tamen fructus ſiquidem

deſumptorum uſus haud facilis & medicis ex parte aegrotorum magna ſecuritas erat.

Itaque victus ratio, uti in omnibus Morbis habenda, ſic in his Febribus Morbi genio opponenda & viribus aegri accomodanda erat, ſic ut ingruente, increſcente vel vigente Febre alimenta congrua liquida ſaepius quidem, ſed ſingulis vicibus in parca copia propinanda & quaſi ſorbillando aſſumenda erant, unico caſu fortè excepto, dum multâ aquâ tepidâ copioſo hauſtu exhibitâ vomitum promovêre, vel excitare mens erat, pro potu ordinario famoſum decoctum hordei plus minus dilutum pro varia intentione, ſeu duplex illa ptiſanna ab *Hippocrate* nota, & toties in Febribus recommendata, vel decoctum avenae excorticatae, ſaccharo edulcuratum ab Anglis Medicis & *Tiſſoto* in his Febribus praelatum, vel lactis ſerum, vel aqua ſimplex pura frigida, cujus egregium utriusque uſum in hujus genii Morbis multum illucidavit, laudavit & didivulgavit *Hermannus van der Heyden* Medicus quondam Gandenſis, exque his adoptatus & electus potus potius frigidus quam tepidus vel calidus aegris exhibendus erat, modo phlogoſis abeſſet, potiusque fibrarum laxitas quam rigiditas peccaret, hisque appropriatis liquoribus pro varia indicatione medica & conſtitutione aegri varia addi, incoqui vel inſtillari poterant fomitem morboſum evacuantia, vel corrigentia vel aegrum magis refocillantia & ſi opus nutrientia; ut v.

 g. cre-

dem optio daretur, debilibus vel aegrotantibus potius aſſatos vel coctos offerrem ac ſuaderem; calore quippe ignis vel aquae bullientis non modo deſtruuntur inſectorum ova ec. in illis depoſita, ſed et hoc magna aeris elaſtici quantitas quam continent crudi diſſipatur etc.

cremor tartari aliaque ex tartaro praeparata, ut tartarus ſolubilis, tartarus tartariſatus, terra foliata tartari &c. manna, tamarindi, vel illorum pulpa, radices polypodii quercini, graminis, taraxici, herbae acetoſae, acetoſellae, ſucci citri, aurantiorum ſingulorumque fructuum acido-ſaponaceorum, horumque rob vel ſyrupi, ſaccharum, mel, acetum, vel ſpiritus acidi minerales, vel vinum acido-gratum quod inaſſuetis optimum cardiacum modice ſumptum in his Morbis & aſſuetis ſuſtentaculum ferè neceſſarium exiſtit, modo Febris non nimis exuſſerit, cum multis aliis ex materia medica hauriendis & eligendis &c. vel haec ſeorſim ſub varia forma concinnata his interpolanda & aegris exhibenda erant. Denique ubi diſceſſerat morboſus fomes, Febrisque ob id multum miteſceret, ſolaque debilitate detinerentur aegri, tunc tandem magis nutriens & plenior diëta concedenda erat, tumque annuentibus & gaudentibus officioſis mulierculis juſculis ex junioribus & facilioris digeſtionis carnibus decoctis pro aegris debilibus reficiendis & nutriendis uti licebat, talesque carnes, piſces cocti, vel aſſati cum embammate conditi, modo aromata calida & pinguia nimis relaxantia & facile in ventriculo debili ranceſcentia abeſſent, aegris his, ſeu potius debilibus ſaepius quidem, ſed ſingula vice in pauca copia concedenda erant, & pro potu aqua frigida, cum ſucco citri ſaccharo & tantillo vini aeſtuantes unaque debiles & ſitientes apte refecit. Ultimo modicus vini uſus egregie hic ſemper ſucceſſit, & placidus motus corporis in aëre aprico inſtitutus, & ſi opus Mars cum reliquis tonicis roborantibus amaricantibus curam abſolverunt.

§. 31. De-

§. 31.

Denique cum in hoc opuſculo Medico-practico ſpecifico, praeſertim Febris Bilioſo-putridae Anno 1772. epidemicam conſtitutionem noſtra in urbe & vicinis locis paucis deſcribere & exhibere anniſus fuerim, multa ſupereſſe & deſiderari ulterius alleganda, deſcribenda & exponenda facile perilluſtris percipiet lector, ſi ex profeſſo de ſingulis hujus familiae genii & indolis Febribus ſimplicibus & mixtis &c. generaliter tractare mens noſtra fuiſſet, otiumve tuliſſet, quippe praeter allegata, *primo* inſuper ſigna ſpecialia diagnoſtica & ſymptomata pathonomica adducenda & exponenda fuiſſent, quae Febres bilioſas, vel putridas gaſtricas dictas, vel abdominales particulares, vel ſyſthema vaſculoſum inficientes & in humoribus circulantibus nidulantes univerſales, & inde malignas nuncupatas, hasque vel illas ſimul cum ſtaſi phlogoſtica combinatas, ſicque magis compoſitas Bilioſo-putridove inflammatorias nominandas eſſe deſignant & exhibent etc. *Secundo*, harum Febrium maximè epidemicarum ſingulatim variae cauſae remotae dictae, quae ſunt proegumenae vel procatarcticae ſeu antecedentes vel praeincipientes, ulterius exponendae & cum reliquis conferendae fuiſſent. *Tertio* variae harum Febrium conſtitutiones epidemicae in hiſtoria medica notae exhibendae & inter ſe collocandae fuiſſent. *Quarto* graviora ſymptomata has Febres concomitantia genuina, vel his Febribus ſupervenientia aliena, exactius deducenda et cum prognoſticis conſideranda & exponenda fuiſſent. *Quinto* quae inſpectiones cadaverum ex his Morbis demortuorum in corporibus vitia varia manifeſtarunt enumeranda fuiſſent. *Sexto* illa medicamina ſingulariter, quae in his Febribus variis illarum periodis efficacia, vel neceſſaria, & ſupervacanea

canea incongrua, vel noxia deprehenduntur, quaeque harum Febrium ſequelas, vel recrudeſcentias praevenire, vel has natas curare comperiuntur exponenda & indicanda fuiſſent &c. Tandem illa ſana artis conſilia & auxilia, quae, rectè valentibus & adhuc integris horum Morborum prophilactica ſeu praeſervatoria exiſtunt palam facienda fuiſſent &c. quae ſingula in hoc contracto & levidenſo ſpecimine revocare, inſcribere & exponere nimis longum, arduum, vel ſupervacaneum fuiſſet, cum haec voluminoſum tractatum, haud parvo temporis ſpatio nec facili negotio conſcribendum & exarandum requiſiviſſent, cumque haec ſatis ſuperque pertractata & expoſita proſtent tam apud veteres quam recentiores Authores Medicos qui, optimè de hujus genii Morbis ſcripſerunt, ut ſunt cum multis aliis *Hippocrates*, *Galenus*, *Aretaeus*, *Celius Aurelianus*, *Trallianus*, *Aetius*, *Baglivius*, *Sydenhammus*, *Senertus*, *Williſius*, *Albertius*, *Borellius*, *Walcarenchius*, *Hofmannus*, *Bianchius*, *Guidetius*, *Boerhavius*, *Switenus*, *Junckerus*, *Heiſterus*, *Degnerus*, *Pringleus*, *Haenius*, *Storkius*, *Collinus*, *Lieutaudus*, *Kloekhoffus*, *Strackius*, *Tiſſotus*, *Zimmermanus*, *Demannus*, *Grantius* &c. quorum egregia aurea & ſacra monumenta & dogmata de hujus genii Morbis exarata annotata & prolata numquam, pervolvi, legi & perſcrutatus ſum, quin in illis cognoſcendis, praeſagiendis diſtinguendis & curandis ſemper doctior evaſerim &c. Et ex quibus, praeſertim ex *Tiſſoti* aliorumve opuſculis, quam plurima vix immutanda in hoc noſtro libello exſcripſiſſe lubens ſincere praemonui &c. utpote ſic continua ferè ex illis citatione carere potuiſſem.

Demum pro hujus opuſculi medico-practici ſupplemento & coronide, quorundam aegrotorum (qui hac Febre

Febre graviori, particulari, vel univerſali, ſimplici vel complicata, gravioribus, pertinacioribus ſymptomatibus laboraverunt, obque id variis potentioribus, & heroicis artis auxiliis ſeu remediis uſi fuerunt) hiſtoriam propria obſervatione & ſedula annotatione acquiſitam ex adverſariis & diariis facta noſtra medico-practica referentibus depromptam apponam & ſuperaddam: praeſertim, cum haud raro aliter in lectis decumbere aegri deprehendantur, quam quidem hi generaliter aegrotare depinguntur in libris: hinc nihil magis praeſtat in praxi & juniore in arte ſalutiferâ facilitat ac adjuvat, quam fidelis obſervatio practica divulgata ex ipſis aegris capta & acquiſita: ex hac namque admodum neceſſaria & ſublimis ars noſtra nata & progenita fuit, hacque nutrita increvit, adolevit, & tandem maſculum & prope herculeum robur acquiſivit, quod indies magis magisque increſcens ulterius confirmatur &c. Adeoque utut inculto calamo, incondito & taediofo ſtylo, tremula manu, tamen fida obſervatione & ſincerâ enarratione ſit ſpeciminis hujus medico-practici.

SECTIO QUARTA

Nonnullas & praeſertim decem ſingulares hujus anni & Febris aegrotorum hiſtorias tradens.

AEGROTUS PRIMUS.

Aromatarius ſub ſigno dolabellae prope foſſam, quae â ſaccharo nominatur, habitans 16. Menſis Junii Anno 1772. circa meridiem domum meam venit valde defatigatus, conquerens de continuo capitis dolore

obtuſo continuo per intervalla lancinante, artuum laſſitudine, lumbagine, ciborum faſtidio &c. homini huic robuſto plethorico febricitanti domum reverſo ut quieti ſe daret, venamque ſibi ſecari, ſanguinemque ex illa pertuſa ad libram unam effluere ſineret, ab omni alimento ſpeciatim ex regno animali petito abſtineret, ſed aquam mulſam aceto vel ſucco citri acidulatam, vel lactis ſerum acidulatum frequenter quaſi ſorbillando biberet, veſperi rob ſambuci, & ſequenti die jejunus cremorem tartari ad unciam unam aſſumeret ſuaſi, aſt imprudens ille homo veſperi nova Febris exacerbatione horripilans rob ſambuci praebium in vino calefacto bibit, de nocte incaluit & mane ſtragulis obrutus multum ſudavit & de die remittente Febri cum ſuis ſimptomatibus pancreaticè valens conſueta negotia haud absque difficultate peregit, noſtra conſilia ſprevit & ad vires refocillandas juſculo ex carnibus extracto ſe multum nutrire putavit, aſt veſperi magis exacerbante Febre plus & diutius horripilavit noctemque ſumma cum inquietudine excalefactus dolore capitis, lumborum & artuum preſſus, difficulter peregit, & altero die ad illum vocatus, miſerum hunc cum omnium ſymptomatum incremento inveni, arteriae namque valido ac duro ictu celeriter micabant, dolores capitis, artuum & lumborum magis lancinantes & indeſinentes premebant, lingua ſubfuſcâ cruſtâ obducta ſicca & ſcabra erat, de oris amaritie & nauſea conquerebatur, cum frequenti vomituritione & quam heri veſperi ſub horrore febrili in parca copia vomitu excuſſerat materiam, colore ſqualida ex flavo-virideſcens variegata & odore faetida erat, urinam in parca copia intenſe rubram flammeam ſudoribus diffluens excreverat aeger, cujus oculi ſcintillantes fulgidi venulis rubris in albo illorum conſpicui & palpebrae & proximè

ſub palpebris colore ſubfuſco flavo tinctae inſolitam hujus faciem referebant &c. Sub hoc rerum ſtatu mox curam à v. s. ſatis larga inchoandam conſultum duxi mixturam antiphlogoſticam nitro & cremore tartari acuatam & decoctum hordei dilutum, aceto acidulatum & pro ribeſiorum edulcatum frequenter, ſed parvis hauſtibus quaſi ſorbillando bibendum praeſcripſi. Veſperi absque ſenſibili frigore valde exacerbata fuit Febris, noctemque valde exagitatus ſumma cum inquietudine laborioſè transegit, manè aegrum viſitans eadem ut heſterna die in illo obſervavi ſymptomata & ſanguis è vena miſſus, fibroſus craſſa & tenaci cruſta obductus erat, uti in pleuriticis rheumaticis &c. obſervatur, hinc v. s. reiterandam & ſanguinem ad minus ad libram unam è vena educendum, eâdem mixturâ & eodem potu continuandum, & cum alvus non correſponderet enema emolliens mellitum & nitro acuatum, donec alvum laxaret injiciendum praecepi, quo ſecunda vice poſt meridiem injecto prius multa congeſta ſcybola & mox liquidiores faeces paucas, ſed admodum naribus adverſas, multosque flatus pependo emiſit veſpertinis horis Febris valde exacerbata noctem aegro perdifficilem fecit. Die huic proximo ſanguinem heri è vena eductum cruſta minus tenaci craſſa velatum, linguam aegri minus ſiccam, ſed magis muco ſubflavo obvelatam & tremulam, pulſumque minus tenſum, ſed magis celerem cum cutis calore ſicco acri quaſi urente exploravi, de nocte per aliquot horas placidè dormiverat aeger, quia tunc temporis propè diluculum Febris non nihil remiſerat, de caetero hodie reliqua ſymptomata ut dolor capitis & lumborum &c. eadem erant, manus & linguam magis tremulas exhibebat; ſumma aderat corporis & animi anxietas cum continua in vomitum pro-

propenſione vel vomituritione: igitur ut turgentem materiam ulterius peccantem vel aliquatenus praevio potu diluente acido ſaponaceo, &c. mobilem & evacuationi aptam breviſſimâ viâ eliminarem tartarum emeticum ad gr. VI. in unciis octo aquae fontis diſſolutum & ſyrupi de althea unciâ unâ edulcatum praeſcripſi, de qua mixtura ut aeger cochlearia duo ſeu unciam unam aſſumeret, ſuaſi, & niſi optatus effectus puta vomitus alvivè fluxus bilioſus largus ſuccederet, ut alvum praeſcripto enemate ſtimularent, & altero die ex hac mixtura aegro tria cochlearia propinarent, injunxi; aſt quae hodie & ſequenti die ab hoc medicamento emeto-cathartico (toties in his Febribus prae aliis ſegnioribus evacuantibus palmam praeripiente) vomitu ſub magnis & reiteratis conaminibus prodibant variegata, aeruginoſa, terra graveolentia absque levamine eliminabantur, alvo manente occluſa, nec niſi dicto enemate mota, ex qua non-niſi pauca mucoſa quaſi corpora pinguia humori ſeroſo innatantia prodierunt, ac nox ingraveſcente Morbo admodum fuit gravis & die huic proximo defatigatus ſolummodò conqueſtus eſt aeger de acutiſſimo ac intolerabili capitis dolore, oculi nulla amplius rubedine tincti erant; ſed dejecti, ſubflavi, humidi; lingua conſpurcata humida & valde tremula erat, minimè ſiticuloſus erat, nec de calore interno conquerebatur, licet cutis tangentis digitos mordacis ardoris ſenſu quaſi exureret; veſperi enema incaſſum inditum fuit, hac nocte ſubdeliravit & multa inconcinna locutus fuit: de die reſipuit, ſerum lactis acidulatum frequenter ſorbillavit & cum alvus occluſa perſiſteret circa meridiem cremoris tartari ad unciam unam in vehiculo aquoſo deglutivit, à quo alvus ſollicitata mota non fuit & ſero ab enemate injecto vix niſi flatus emiſit, hac nocte increſcente cum ſuis ſymptomatibus Febre continuo delirans mul-

ta

ta abſurda peregit, continuò ſe denudavit, varia incongrua protulit, obmurmuravit, ac lotium cum faecibus alvinis inſcius faetidiſſimis emiſit, ſequenti die mihi de ſtatu Morbi inquirenti ſe jam optimè valere elata voce reſpondit, cum non amplius ſui compos jam ignoraret, quam malè ſe ſentiret; nam linguam aperto ore continuò exagitatam ad extrema labra extendere nolebat, nec poterat, pulſus in carpo exploratus valde celer & depreſſus erat, calorque magis urens digitos acerrimè feriebat, & abdomen hypochondriam verſus in tumorem ſeſe extendere obſervabatur, & diarrheâ ſymptomatica ſeroſa ſincera laborabat aeger dejectus & valde tremulus: igitur ut efficacius putredini & inde naſcenti cum reliquis ſymptomatibus meteoriſmo obviam irem ſpiritum vitrioli ad gratam aciditatem in potum ordinarium puta hordei decoctum vel lactis ſerum acidulum inſtillavi, quem frigidè ſorbillari frequenter curavi & ſpiritum hunc mineralem acidum in rob ribeſiorum obvolutum frequenter ad parvum cochlear aegro offerre juſſi, & intumeſcens abdomen aqua frigida & aceto continuò fomentari praecepi. Huic diei accedens nox valde gravis & permoleſta fuit, ita, ut hac nocte & ſequenti die continuò deliraret aeger magis dejectus cum pulſu celeri debili, tendinumque tremore vel ſubſultu, medicamenta & potum reſpuebat aegrotus, cujus lotium & alvina faex liquida olida frequenter, ſed ſingulis vicibus in parca copia multis flatulentiis vel borborigmis ac continuò quaſi egerendi conatu exprimebantur, injectum enema emolliens & obvolvens non amplius retinebatur, itaque ut vires excitarem & ſymptomata per ſympathiam in partibus ſuperioribus nata compeſcerem hodie bina emplaſtra epispaſtica ampla cantharidibus acriora reddita, ut citius & certius operarentur ſuris adplicata fuerunt, potus, quem pro magna parte introſumere

recu-

recuſabat deglutitus murmure, qnaſi in paralyſi vel atonia ſumma euſophagi fieri obſervatur, prolabebatur, quibus aerumnis ſingultus per intervalla coaxans accedebat. Noctemque inſequentem continuò exagitatus vel ſopore preſſus difficillimè transegit, & hodie emplaſtra veſicatoria heri cruribus applicata latas ſero ſubflavo plenas veſiculas ac quaſi artificioſas phlictaenes excitaverant, de caetero reliqua eadem erant ſymptomata heri obſervata nihilque mutatum in aegro, niſi; quod abdomen minus tumidum & magis molle pulſusque valde celer quidem, ſed minus contractus & magis elevatus explorarentur, noxque proxima valde gravis fuit & hac nocte alvus vix, ſed lotium in magna copia profluxit, quo totum cubile perfuſum & humectatum erat, hodie arteriarum pulſus minus celer magisque elevatus vibrabat, ſed tendinum ſubſultus graviores & frequentiores percipiebantur, interim facilius quam heri deglutiebat aeger & absque ſonitu deglutita deſcendebant liquida, veſperi enema injectum fuit, quo alvus aperta fuit per quam multa liquida graveolentia Bilioſo-putrida deſcenderunt, & de nocte multos crepitus & borborigmos venter edidit, lotiumque lautè profluxit, & licet jugiter deliraret, tamen appropinquante die aliqua opportuna verba locutus fuit aeger, in quo hodie eadem aderant ſymptomata ut heri, aſt muſculi faciei per intervalla convulſivè exagitabantur triſtioris tragediae prodromi aegerque manus frequenter ad caput movit doloris ſedem monſtrans, veſperi ab enemate injecto & mox prolapſo vix quidquam niſi flatus per anum emiſit, de nocte artus extremos convulſivè motos frequenter retraxit & alto ſopore preſſus dormivit; aſt hoc matutino tempore expergefactus poſt quam per unam alteramve horam ſubmiſſa & ſtridula voce obmurmuraſſet ſubito inſultu quaſi epileptico tactus graviter & diu per totum corpus con-

convulſus & exagitatus fuit miſerrimus homo, qui deſinente hoc paroxiſmo veluti epileptico, in dorſo proſtratus hiante ore cum ſtertoroſa & ſaepius intercepta reſpiratione jam ultimum ſpiritum & cum hoc ſimul animam emittere videbatur, cumque ſic fere per horam jacuiſſet ſub his rerum aerumnis ſuperveniens acre clyſma dura muria ſaturatum injici juſſi, quo alvus haud parum mota fuit & parum poſteà ita ad ſe rediit, ut denuò modicum vini oblatum deglutire potuerit, cumque pauca vini cochlearia introſumſiſſet ſingultus denuò ſe manifeſtavit cui vomitus ſupervenit ſpontaneus, quo faetidiſſimam materiam vino mixtam in parca copia ex flavo virideſcentem ejecit, cumque peracto hoc vomitu denuò ſatis liberè liquida deglutiret aeger ex mixtura diu ſepoſita, in qua tartarum emeticum ſolutum erat, quae ad manus erat, duo cochlearia ſumpſi, quae in vaſculo theano decocto hordei pleno miſcui & aegro hoc liquidum haud abſque difficultate paulatim per os ingeſſi, ſatius hic eſſe anceps auxilium experiri quam nullum cum eloquentiſſimo Medicorum Tullio conſultum ducens, nec licet exigua non tamen vana ſpe felicem effectum fefellit eventus; quippe vix ab hoc introſumpto hauſtulo aliquoties oſcitante aegro, tremuloque inferiori labro facto, valido niſu & reiterato vomitu prodiit materia copia quidem non valde ſpectabilis, ſed odore naribus admodum adverſa, colore & conſiſtentia oleum lini haud malè referens & ſub iisdem fère vomendi niſibus hac die & proxima nocte per alvum dejecit materiam faeculentam, liquidam faetidiſſimam Bilioſo-putridam in magna copia ſingulis vicibus profluentem, perque totam hanc noctem alto quaſi ſopore preſſus dormivit ac tandem manè expergrectus conſcius ſui, matulam ut mingeret, petivit, illamque haud parvam lotio diutius retento continuo rivo profluente ad medietatem replevit, quod refrigeratum

ratum, craſſum turbidum, ſubfuſcum, quaſi jumentorum eſſe conſuevit, apparebat, & quem heri in peſſimo ſtatu reliqueram aegrum hodie inviſens, explorans, perpendens illum quidem valde debilem defatigatum, ſomnolentum & ſurdaſtrum, ſed lautè & aequaliter tranſpirantem, mente conſtantem & cum pulſu molliori vix amplius febricitantem, absque ullo tremore tendinum vel ſubſultu aliave contractione convulſiva exagitatum inveni: hinc ſummo animi gaudio exultans omnia proſpera ſperare feci, aegrumque in tutiore mari navigare modoque ſalutis terrae ſubducere puppim doloroſae uxori, unigenitae filiae hujus & reliquis adſtantibus divulgavi; nec fallaci ſed optato eventu; nam hodie absque eo quod nihil ulterius molirer frequenter decoctum hordei acidulum ſorbillavit bis alvum liquidam Bilioſo-faetidam & aliquoties urinas ſaturatas, craſſas quaſi jumentoſas depoſuit, jugiter lautè & aequaliter cum euphoria transſpiravit, noctemque pro maxima parte tranquillam dormiendo placidè transegit, & ſequenti die hunc quaſi ex orci faucibus ereptum immunem ab omni Febre inveni, tranſpirationem lautam urinasque fluidas decocto aquoſo acidulato ſubcalido, & alvum laxam rob ribeſiorum cremore tartari ſaturato ſaepius per vices in parca copia exhibitis intertinui, deinde alvinis faecibus & urinis naturalem colorem & conſiſtentiam exhibentibus aegrum convaleſcentem tum Morbo, tum Medicamentis valde debilitatum potu in multo aqua ſucco citri, pauco vino & ſaccharo palato grato refocillante, quod à limonibus nomen habet, tenuiſſimo è vegetabilibus deſumpto victu paneque biscocto refocillavi, tandemque carnibus albis levioris digeſtionis nutrivi, & ex his juſcula diu ſepoſita & interdicta jam aegro offerre mulierculis permiſi, quibus auxiliis egens citò priſtinam

& firmam

& firmam ſanitatem recuperavit noſter mercator, quem prius ratio non reſtituerat tandem temeritas adjuvit.

AEGROTUS SECUNDUS.

Sexta Julii Anni 1772. in platea Kipdorpeana optimae plurimarum prolium Matris venerandaeque Viduae filia annum vigeſimum exſuperans decumbebat, haec jam ab altero die, ſeu ab initio Morbi conquerebatur de intolerabili capitis & lumborum dolore inappetentiâ, amaritie oris cum flatulentiis, & ventris borborigmis, huic cum pulſu duriuſculo celeri linguâ ſiccâ ſatis plethoricae v. s. ſatis largam praeſcripſi, & pro potu decoctum hordei dilutum ſucco citri acidulatum cum cremore tartari & rob ribeſiorum; cumque alvus admodum adſtricta eſſet, ſequenti die purgans mannatum cum cremore tartari aſſumpſit, unde alvus aliquoties, ſed in parca copia mota fuit, faex excreta admodum faetens ſubfuſca, liquida cereviſiae brunae faecibus aemula erat, veſperi enema injicere curavi, hâc curandi methodo continuatum fuit, alvusque multum coaxans & crepitans haud ſatis laxabatur, continua in ſudores ad erat propenſio, vel ſudoribus diffluebat, haec aegra licet ſub regimine frigido tenuiſſimis ſtragulis tecta & in cubiculo ſpatioſo aëre luſtrato locata foret, haecque nimia per puros cutaneos humorum expiratio in hoc Morbo nobis diſplacebat & quarto Morbi die, licet ſub dicto regimine, quam plurimis petechiis denſo agmine per totum corporis habitum erumpentibus deturpata fuit, non tantum pectus collum, dorſum, artus, ſed & totam faciem occupanpantibus: cumque uti hujusMorbi, ſic & petechiarum miaſma in infimo ventre latere nuper ſcripſe-

 rit,

rit, poſuerit & expertus fuerit clariſſimus *Strakius t*) quod in hiſſe Febribus obſervamus. Hinc ulterius diluentibus, putredini reſiſtentibus & alvum laxantibus incumbendum eſſe conſultum duxi, ſed aegra haec derepente moroſa facta, inconcinna loquebatur continuò delirans praeſcriptum potum & per epicraſin alvum laxans pharmacum & acido ſpiritu minerali gratam mixturam amplius introſumere renuit, hinc ſolis ferè enematibus appropriatis ano injectis continuandum erat, quae cum materiam peccantem crudam intimius vel altius ac ventriculo propius latitantem haud ſatis diluere, corrigere, vel educere valerent, inſuper ut ſuccoſos acidulos horreos fructus, ut fraga, ribeſia & ceraſa, quos anni tempus ſuppeditabat puellae noſtrae offerrent ſua ſor fui, quos & avidè ac in magna copia indies devorabat, quibus paullatim Bilioſo-putridus fomes mobilis factus, alteratus, correctus eliminabatur, largo & frequenti alvi fluxu foetido ſuperveniente, cum urinis profluentibus turbidis ſpiſſis ſedimentoſis quaſi à jumento emiſſis, deinde minus ſaturatis magis limpidis factis indies cum Morbo evaneſcentibus maculis, ita ut his ferè ſolis utut ſimplicibus palatò gratis & in Morbo hoc Bilioſo-putrido optimè indicatis auxiliis tandem, puta decima quinta Morbi die ab omni Febre & delirio immunis fuit, valde ſurda gracilis & debilis facta convaleſcens aegra equidem de acutiſſimo artuum dolore quaſi rheumatico adhuc conquerebatur continuò propter hunc lacrymas edens à morboſae fortè materiae reliquiis non omni-

t) *Carol. Strak* Med. Doct. Mogunt. Obſervationes Medic. de Morbo cum petechiis, & qua ratione eidem medendum ſit. Carolsruhae ex Officina Aulic. Maklotiana Anno 1766.

omnino evacuatis, ſed ad corporis extremitates depoſitis nato, qui tamen appoſitis modo ad crura epispaſticis ſuppurantibus & urinis laute profluentibus alvo laxa & appropriatis diëta ac remediis cito ſiluit, ita ut 25 hujus menſis & 20 Morbi die huic ab omnibus hujus Morbi aerumnis liberatae valedixerim, nil niſi diëtam congruam & viribus convalescentis accommodatam proportionatam recommendans injungens, praeſcribens.

AEGROTUS TERTIUS.

Toroſus robuſtus & ferè quadratus homo nomen & omen gigantis habens faber ferrarius in vicinia noſtra in foro boum habitans hujus anni duodecima die Auguſti mane optimè valens & meridie in prandio conſueto appetitu manducans, cum poſt meridiem iter faciendo valde incaluiſſet multumque ſudaſſet mox de inconſueta omnium membrorum ponderoſa laſſitudine, & dolore lumbos ſed quam maximè caput infeſtante conqueſtus fuit, veſperi inhorruit & de nocte calor totius corporis & capitis dolor multum increvit, manè lautè ſudavit & ſymptomata morboſa partim mitigâta fuerunt, ſed non ita, ut ad conſueta munia redire potuerit, ſed per totam diem, licet urente ſirio, foco culinari adſedêre, vel in lecto decumbere per vices debuerit, veſperi denuo horrore & de nocte aeſtuante calore cum reliquorum ſymptomatum incremento correptus fuit, & manè ad illum vocatus, hunc inveni valide febricitantem, cum pulſu valde celeri contracto duro, linguâ ſubfuſcâ aridâ tremulâ & album oculorum ſub flavum, rubentibus venulis variegatum erat & totus homo anxius anheloſus & ita aeſtuans ut tangentis digitos ſicco calore quaſi exureret: externus corporis habitus, & qui expirando prodibat, quaſi ex fornace bulliente exhalaret ſpiritus. Sub hoc

rerum ſtatu mox ex amplo vulnere largam venae ſectionem inſtituere juſſi, ſerum lactis, vel decoctum hordei dilutum aceto & cremore tartari acidulatum pro potu ordinario, & rob ribeſiorum cum oximelle ſimplici & cremore tartari partibus anaticis ad unum cochlear ſingulis horis adſumendum pro medicamento & enema refrigerans injiciendum praeſcripſi, hisque non obſtantibus noctem valde gravem intranquillus anxius & ſubdelirus transegit aegrotus, & altera die iisdem ſtipatus ſymptomatibus vix mitigatis decumbebat & ſanguis heſterna die ex vena miſſus valde fibroſus, cruſtâ lardaceâ ſpiſſa ut ſaepius in pluritide multo ſero flavo inſulae adinſtar innatabat, hinc venae ſectio hac die reiterata & iisdem medicamentis continuatum fuit, & inſuper mannam ad binas uncias & ſalem polychreſtum rupellenſem ad unciam in ſero lactis diſſolutas exhibui, quibus alvus aliquoties, ſed ſingulis vicibus in parca copia cum multis flatibus & borborigmis mota fuit, hancque diem & inſequentem noctem inſomnis & continuo ferè delirio preſſus, anxius moleſtè transegit aeger, ſequente vero die cum pulſus valde celer quidem, ſed minus durus micaret lingua ſubnigra, licet cruſtà obſita tamen valde humida eſſet, adeoque praevia tenſio multum remiſiſſet, aegerque per vices ſui conſcius de intolerabili capitis dolore & praecordiorum anxietate cum continua in vomitum propenſione conquereretur, huic tartarum emeticum in multa aquâ diſſolutum propinavi quo introſumpto vomitu materiam pinguem flavam quaſi oleum lini eſſet valido niſu duarum, vel trium unciarum copiâ ejecit, & per anum tales faeces admodum olidas depoſuit, quibus totum cubile ſuis cum ſtragulis conſpurcavit. Interim ab his hodie putrido - bilioſis minimè allevatus magno ſtrepitu continuo delirans de ferro igne mollito cudendo conſuetisve negotiis varia narrans & uti ſolitus

ad

ad incudem malleolo laborans ſanus, etiam jam in lecto decumbens alta voce varias cantilenas reſonans, cumque per tres dies his intempeſtivis ac continuis clamoribus edendis ſic deliraſſet, tandem proximo ab his die ſubmiſſa voce vario quaſi obmurmurans cum pulſu admodum celeri contracto, debili, frequenti tendinum ſubſultu, artuumque tremore in lethalem quaſi ſoporem vergens, maculisque variis ſubrubro-lividis non rotundis, ſed inaequalibus praeſertim in pectore collo & brachiis conſpicuis ſcatens, quas petechias diffuſas circumſcriptis exitioſiores enunciavit egregius *Strakius*, qui optimè de petechiis ſcripſit &c. Sub his rerum circumſtantiis & anguſtiis mox bina larga emplaſtra cantharidibus acuata ſuris applicari juſſi, & veſperi acre enema injici curavi, hocque ſtimulante multa putrida deſcenderunt & illis vellicantibus magnam ſeri copiam eduxerunt. poſtque unum alterumve diem maculis cutaneis evaneſcentibus & urinis largiter profluentibus prius limpidis dein turbidis ſenſim & quaſi ſine ſenſu ad ſe rediit aeger valde debilis, continuo in ſomnum propenſus & ad omnia ſurdus, laute per totum corpus tranſpirabat & cum reliquis colatoriis jam apertis rectè nunc reſpondebat alvus tempore Morbi admodum tarda adſtricta quam facile apertam per aliquot dies intertinebam blandis ſaponaceis hanc laxantibus & paulatim ciborum deſiderium rediit, ita ut poſtquam homo hic robuſtus graviſſimo hoc Morbo per octodecim dies decubuiſſet cito priſtinam ſanitatem & paulatim cyclopidum priſtinum robur recuperaverit.

In hac domo ſub eodem tempore faeminam viduam & in vicinia hujus in eodem foro patrem & matrem cum filio & binis filiabus eodem Morbo, ſed non tam gravi, rebelli complicato decumbentes tractavi, qui omnes decocto hordei acidulato pro potu, fructibus

horreis acidulis ſaponaceis pro cibo, & tartaro emetico in aqua diluto pro evacuante remedio diluti alterati, correcti & evacuati cito & tuto fuere curati, quae curandis methodus ſola in plurimis ſufficiens fuit, & pro votis optimè ſucceſſit &c. Nec omnibus quos curavi emeſim praeſcripſi, quia levitas Morbi, vel alia in Morbo, vel aegro circumſtantia hanc non requirebant, vel vetabant.

AEGROTUS QUARTUS.

Domicella Bruxellis nata licet jam veterana virgo corpore valde blando-ſuccoſo-carnoſa propè plateam, quae à porta vaccinea nomen habet, in Gordatio decumbens; cum jam à binis diebus ex artubus, lumbis & capite quam maximè doluiſſet 20. Septembris meum imploravit auxilium, haec cum pulſu exili, celeri contracto febricitabat per vices & ſaepius de die nunc frigoris nunc caloris ſenſu moleſto afficiebatur cum ſumma praecordiorum anxietate, corporis jactatione, oculis dejectis aquoſis cum involuntariis lacrymis continuis vomendi conatibus, ſpiritus expirando prodiens alcalino odore graveolens erat, dentes & linguam conſpurcatam & flavedine tinctam exhibebat, uti in delirium ſic in animi deliquium prona erat, huic Medicinam faciens cum indicatum remedium, quod validè vomitum excitat exhibere ob aliquod in corpore praeexiſtens vitium vetitum eſſet, decoctum aquoſum aceto citri ſucco & melle acidulato & dulcificato pro potu, & tale ferè ſale neutro acuatum pro enemate injiciendo praeſcripſi, & altera die hanc ſero lactis tamarindinato manna & cremore tartari ſaturarata per epicraſin purgavi, quo quidem remedio multa putrida per alvum deſcenderunt & educta fuerunt, ſed his non obſtantibus, quae antea aderant praecordio-

rum

anxietas, inquietudo, animi & frequens corporis jactatio cum animi ſubdeliquiis & vomituritione perſeverabant quibus acceſſit ſingultus moleſtus, his in anguſtiis vomitum multam aquam tepidam ſimul & ſemel exhibendo promovi, quo excitato materiam ſubflavam, pinguem, amaram ſapore & putridam odore ejecit cum minore praecordiorum angore rarius ſingultu coaxans, pro quo & putrido fomite coarcendis ſpiritum vitrioli in potum inſtillare feci, quo ſaepius ſorbillato ſingultus ſiluit, ſed delirium, quod anteà fugax erat, per tres dies continuum factum fuit, ita ut illo tempore multa abſurda & inconcinna loqueretur ac perageret illo tempore ferè omnia potulenta & medicamenta renuens, ſed interim inſtinctu quaſi naturali appoſitas uvas necdum maturas appetens magnam harum copiam avidè introſumpſit, devoravit, quibus tandem correcta & ſubacta materia peccansIllioſo-putrida & alvo liquefacta, cum urinis valde ſaturatis profluentibus excreta fuit, cumque praeviis ſymptomatibus morboſis decimo quinto Morbi die Febris ceſſavit, ſed ab illo die dolor atrociſſimus manus & pedes prius rubre deinde tumefaciens occupavit, per plures ſeptimanas perſeverans aegramque jam à longotempore dolore iſchiatico vexatam ulterius torquens & per intervalla plus minus affligens, qui non niſi alvum adhibitis laxantibus blandis diureticis talibusque diaphoreticis aquoſis & applicatis epispaſticis ſubactus & ferè eradicatus fuit.

AEGROTUS QUINTUS.

Oenopolae filia natu maxima triginta & paucos annos nata juxta ſtaterariam (in qua & hujus Urbis Collegium medicum convocatur & viget) decumbens

bens corpore ſpongioſo craſſo praedita, anteà ſatis rectè valens die octava Septembris Anni 1772. veſperi ſubito horrore febrili & praecordiorum angore correpta fuit, de nocte cum dolore capitis & lumborum totiusque corporis calore moleſtata fuit, ſequenti die eodem modo laboravit, veſperi de novo inhorruit, pauca ſapore amara & nauſeoſa vomitu ejecit, de nocte graviori calore ſicco quaſi exuſta fuit, cumque à binis diebus ſic decubuiſſet, decima hujus ad illam vocatus, hanc valde febricitantem cum arteriarum pulſu celeri forti & duro, facie rubra turgida, oculis fulgidis telâ quaſi rubrâ obductis inveni, moxque largam venae ſectionem imperavi, utque ſaepius quaſi ſorbillando biberet decoctum hordei dilutum ſucco citri rob ribeſiorum & cremore tartari acidulatum, utque ſeorſim de tempore in tempus rob ribeſiorum cum tamarindis oximellite & cremore tartari ſaturatum ad parvum cochlear introſumeret, injunxi; veſperi cum levi horrore fugitivo non nunquam redeunte exacerbata fuit Febris, nox fuit admodum moleſta, aegraque continuo vigil inquieta de atrociſſimo capitis dolore quam maximè conquerens, ſequenti die Febris cum reliquis ſymptomatibus eadem erat, ſanguis heri è vena eductus valde tenax fibroſus in ſero admodum flavo innatabat, alvus adſtricta erat aegraque praeter morem garrula, jam aliqua inconcinna loquebatur, continuò ferè vomituriebat, iisdem remediis continuatum & enema refrigerans injectum fuit, poſt meridiem ſubitò moroſa & taciturna facta veſperi ſub exacerbatione Febris delirio quaſi phrenitico affecta fuit, torvis oculis, minaci vultu adſtantes intuens in illosque ſummo cum robore inſurgens, ex lecto exiliens, fugam quaſi captiva continuò praemeditans; ſub hac rerum circumſtantiâ venae ſectio larga reiterata, & de novo enema injectum fuit, & ſubplantanea ex fermento panis

nis acido ſapone ſale marino aceto madida appoſita fuerunt, de nocte parum dormivit & poſt deſideratum ſomnum delirium ferox multum pacatum fuit; ita ut de die optimè ſui praeſens, devota ultimis ſanctae Eccleſiae Sacramentis munita fuerit, cumque venter inflatus tumidus multos borborigmos & flatus ederet alvum laxans in ſero lactis ex manna & cremore tartari exhibui, quo alvus aliquoties mota fuit multa aquoſa ſincera evacuans veſperi exacerbante Febre denuo, ſed multo mitius deliravit, enema injectum ut ante fuit, noctem in quiete transegit, neque niſi circa diei crepuſculum per unam alteramve horam dormivit, à quo ſomno denuo pacata ab omni delirio fuit, & cum amarities oris halitus ex eodem exhalans faetidus, lingua cum dentibus conſpurcata, horror ab omni cibo nauſea & magnus circa praecordia angor cum inquietudine ſumma ulterius vexarent, huic & tartarum emeticum noſtro modo dilutum & ſyrupo de althea edulcatum per vices in remiſſione Febris exhibui, quo vomitu laborioſo ejecit materiam liquidam viridi aeris quaſi tinctam, caeruleam ad paucas uncias & per anum in majori copia materiam faeces cereviſiae conſiſtentiâ & colore aemulantem odore admodum averſam, faetidam nidroſam excrevit, quibus evacuationibus licet repetitis ſingulis vicibus difficulter & in parca copia prodeuntibus vix aliquid levaminis perſenſit aegra, niſi quod ab illis mitior fuerit circa praecordia anxietas, antea perquam moleſta. Interim utut ſaepius efficax & indicatum in hoc Morbo remedium quod tartarum emeticum continet, quia tam parce & tam difficulter alvum & vomitum moveret ſepoſui, remediis diluentibns acido-ſaponaceis & per alvum blande per epicraſin laxantibus & tamarindis manna & cremori tartari conflatis &c. contentus, ut hiſſe materiam morboſam nimiam, vel minus mobilem ſenſim diluendo mitiorem redderem, alterando corrigerem &

 eli-

eliminando diminuerem &c. cumque ſic medicinam facerem aegra continuò de dolore capitis quandoque de doloris ſenſu nunc in lumbis, nunc in uno alterove hypochondrio vagante querelas edens per intervalla maximè in exacerbatione Febris ſubdelirans in eodem ſtatu permanſit usque ad nonum Morbi diem, quo tota ictérica facta eſt quam maximè in albo oculorum & pectoris flavo colore tincta; interim iisdem remediis continùavi & alvum laxantibus ori & ano per vices frequenter inditis ſtercora quam plurima Bilioſo-putrida per alvum ſubduxi, absque quod inde ictericus color diſparet, vel Febris ſuo cum ſodalitio deſiſteret, è contra decima quinta Morbi die valde debilis magis febricitabat & ferè continuo ſubdelirabat aegra, ejus lingua cruſtâ flavâ ſubnigrâ obducta & conſpurcata tremula humida erat, oculi admodum flavi & dejecti apparebant, inque harum extremo palbebrarum limbo materia quaſi purulenta faeda collecta haerebat: inſuper graviter audiebat, inſcie faeces emittebat, & manibus multum tremebat &c. ſequenti die tota immobilis ſoporoſa quaſi lethargica facta decumbebat, & hac nocte ne guttulam lotii nec quidquam ex alvo emiſerat, hoc die bina admodum larga veſicatoria emplaſtra ſuris applicare curavi & enema emolliens tum ad faeces ſtercoraceas, tum ad urinas ſuppreſſas ſollicitandas injicere juſſi, quod utramque indicationem adimplevit; quoniam ab hoc indito tam ani quam veſicae ſpincter relaxatum fuit, ſicque alvum foetidam depoſuit, & urinas multas limpidas emiſit, & ſequenti die cum veſicantia amplas veſicas excitaſſent ex quibus apertis copioſum quaſi ichoroſum ſerum effluxit, quae poſtea laute ſuppurata & diu exulcerata fuerunt & ab illo die melius ſe habuit aegra, quia minus febricitavit, per totum corpus ad madorem univerſalem usque tranſpiravit, urinas antea crudas limpidas admodum tin-

tinctas ſaturatas mox turbidas ſedimentoſas leniori cum ſtranguria ſaepius minxit, vix amplius ex capite & lumbis doluit minusque colore icterico defaedata fuit, clarioribus oculis vidit facilisque audivit & frequenter absque nauſea decoctum ex hordeo cum lacte ſorbillavit & prunas coctas cum panebiscocto guſtavit, ita ut potum & cibum iterum appetere inceperit. Proxima huic die cum poſt tot Morbi aerumnas aegra iam ab omni dolore & Febris immunis eſſet, jamque à biduo convaleſceret de nocte decimum nonum Morbi diem ſuccedente ſubito & absque manifeſta cauſa de atrociſſimis doloribus quaſi rheumatico - artriticis articulos extremos lancinantibus alta voce & calidis lacrymis conqueſta fuit ita, ut horum membra quam maximè ad motum dolerent, obque hunc dolorem denuo febricitaret & continuos gemitus ederet, qui cum minimè deſiſteret ſed indeſinenter ferè excruciaret, licet jugiter adhibitis remediis alvum & urinas blande laxantibus ſponteque ſudoribus ſaepius quaſi difflueret aegra, igitur cum hac impatientibus parentibus ad hunc ſubigendum vigeſimo ſecundo Morbi, ſeu vigeſimo nono hujus menſis die conſultationem cum antiquiſſimo & famoſiſſimo hujus Urbis Medico *du Marteau* inivi poſtquam medicamentis modo praeſcriptis alvum & urinas per vices blandè ſubducentibus ulterius non nihil ex gumma guaiaci additum fuit & cum Febris non amplius urgeret nec niſi ſymptomaticè feriret decoctum quod ântipodagricum in pharmacia Viennenſi nomen habet & ab aliquibus ab Inventore *Hartop* vocatur pro potu praeſcriptum fuit, quibus & cum aliquoties ſpecie caryocoſtinae purgata fuiſſet paulatim dolore cum Febre nunc recrudeſcente nunc absque illa miteſcente non niſi poſt plurimas ſeptimanas ſub finem autumni ab omni proſus dolore immunis evaſit & permanſit, tum admodum debilis viribus fracta, doloribus macerata & remediis ferè exhauſta ſceleti adinſtar haec filia, nunc denuo

denuo optimè valens roſeo colore corruſcans & pinguis titaniae virginis inſtar.

Hujus aegrotae natu minor frater & natu minima ſoror ſub eodem tempore eodem Morbo licet non tam gravibus ſtipato ſymptomatibus decubuerunt, hic multum & facile ſurſum & deorſum cum euphoria expurgatus, cito convaluit priſtinasque vires recuperavit, haec cum difficultate & ſingulis vicibus in parca copia ab emetico-catharticis ejiciens diu languit & lente febricitavit, nec niſi poſt plures menſes firmam & integram valetudinem recuperavit; huic filio juveni in flore aetatis conſtituto ſanguineo venae ſectionem in ſufficiente quantitate praeſcripſi hancque reliquae curae praecitavi, ſorori ex Conventu Filiarum Advenae in quo ſobriè & ſedentarie vixerat minimè plethoricae, ſed corpore laxae vena ſecta non fuit.

AEGROTUS SEXTUS ET SEPTIMUS.

Arimatopolae magnarii prope fluvium, qui à Scaldi & in platea, quae ab arenis nomen ſortitur, ſub ſigno Roſarii habitantis Ancilla elegantiſſimae formae filia, quae autumnali praeteriti & verno hujus anni tempore diu Febre intermittente diverſo typo ſaepius recidivante laboraverat, cum decima octava die Menſis Septembris Anni 1772. mane pro more alacriter conſueta munia ſubiiſſet circa meridiem ardente ſirio absque manifeſta cauſſa ſubito rigore correpta per duas horas horripilando frigore tremuit, cibosque pranſos cum amaritie oris evomuit, poſteà ſicco ardore incaluit multumque ex lumbis, artubus & capite dolens proſtrata decubuit, noctemque difficilem inſomnem his moleſtata aegrè pertulit, ſequenti die ad illam arceſſitus iisdem hanc ſymptomatibus ſtipatam inveni, cum pulſu-

pulſu celeri contracto, validè febricitabat, faciem intenſe rubram inflatam, oculos ſcintillantes ſubrubros, linguam albam pellicula tectam &c. exhibebat, pulſum explorantis digitos ſiccûs calor los quaſi exurens moleſtabat, urina in parca copia excreta intenſe rubra flammea erat non modo angor ſed & ſimul dolor praecordia hujus premebant, ſub hoc rerum ſtatu potum ex decocto hordei citrato & mixturam ex aqua flor ſambuc rob ribeſiorum oximellite ſimplici & cremore tartari cochleatim aſſumendam praeſcripſi, veſperi absque ſenſibili frigore Febris magis increvit, noctemque difficilem praecedenti ferè ſimilem paſſa fuit, mane lene laxans mannatum aſſumpſit cum ſale polychreſto rupellenſi, quo alvum liquidam ſed ſingulis vicibus in parca copia aliquoties depoſuit, veſperi absque ullo refrigerio Febris exacerbata fuit, noctem binis praecedentibus fere ſimilem peregit, niſi quod, deſinente hac nocte, quieverit & matutinis horis pauco tempore dormiverit, hodie Febris mitior lingua licet ex albo flaveſcente cruſtâ obvelata humida, cutis ante ſicca jam tranſpirante humore madida erat, dolor non amplius, ſed anxietas ulterius cum vomitu fere inani praecordia moleſtabat, hinc tartarum emeticum noſtra methodo refracta doſi, donec vomitus vel largus alvi fluxus excitaretur propinare juſſi, quo ad tria cochlearia introſumpto, geminato vomitu materiam haud paucam aſpectu variegatam, liquidam & odore nauſeoſam olidam eliminavit, & ternis vicibus alvum in larga copia Bilioſo-ſeroſo putridam depoſuit, hiſſe evacuationibus peractis, praecordiorum angor cum Febre haud parum imminutus fuit, veſperi tamen & de nocte uti Febris ſic lumborum & capitis dolor denuò increverunt; hinc infauſta nox pauco & inquieto ſomno continuis jactationibus inter-

terrupto transacta fuit, hoc matutino tempore Febris ſenſibiliter remiſerat. Sed cum de amaritie oris & praecordiorum anxietate recrudeſcentibus conquereretur hodie de novo, ſed in parciori doſi puta ad unciam unam ſeu cochlearia duo pharmacum quod tartarum emeticum continebat, deglutivit, quo ſemel lautè materiam ſubpinguem ex flavo virideſcentem evomuit & ter quaterve per alvum depoſuit materiam faeculentam copioſam odore faetidiſſimam, colore quaſi pulligine tinctam à quibus per utrumque os evacuatis angor praecordia moleſtans cum lumborum & capitis dolore evanuit, Febrisque valde mitigata fuit quae veſperi vix amplius increvit, de nocte quievit & per quinque horas placidè dormivit, manè pulſus mollior, elatior, rarior vix Febrim indicabat; de die cum infimus venter multis borborigmis circumſtrepitans adſtrictus eſſet hauſtum ex ſero lactis tamarindinato mannâ & cremore tartari per epicraſim propinatum introſumpſit, quo aliquoties non modo multa Bilioſo-putrida, ſed & quam plurimos flatus per anum ejecit: veſperi Febris exacerbatio non amplius ſenſibilis fuit de nocte reficiente ſomno obdormivit, & aurora referente lucem evigilans cibum & potum appetivit, hodie alvum pultaceam & urinam valde turbidam depoſuit, lautè tranſpiravit & pro potu cereviſia tenui vel aqua cum vino, pro cibo fructibus horreis, ut prunis vel pomis acidis coctis & vegetabilibus aceſcentibus cum pane nutrita non amplius febricitavit, citoque priſtinam valetudinem & gratiam recuperavit formoſa haec puella & honeſta filia aetate vigeſimum attingens annum. Interim hac methodo & mitiori hoc Morbo detentos quam plurimos tutè tractavi & facilè citòque curavi, hoc anno, aegrotos, quos ſingulos, adferre & exponere ſupervacaneum duco. Sed heus! hoc actu hac in domo necdum tragaedia finita fuit, ſed ſcenae

nae triſtiores absque ullo tamen funeſto eventu patuerunt; nam vigeſima ſecunda Septembris Mercatoris hujus proprius Filius Theologus ex Taxandriâ redux, per quam feriarum tempore iter fecerat, cum per duos dies ſaevâ cephalgiâ laboraſſet, veſperi inhorruit & hac nocte crudeliſſimo capitis dolore vexatus aeſtuans graviterque ex lumbis dolens continuis corporis jactationibus inquietus minimè dormivit, licet à longo itinere heri peracto haud parum laſſus &c. mane blandam decumbentem ancillam inviſurus hanc domum intranti examinandum mihi ſiſtunt triſtes parentes charum filium aegrotum, inçonſuetum potum, calorem, iter &c. pro cauſa Morbi taxantes, hic de gravitate, laſſitudine, debilitate, cibi faſtidiò & capitis dolore atrociſſimo conquerebatur cum pulſu contracto, duro, celeri febricitabat, facies inflata rubra & oculi ſcintillantes vividi, & expreſſis ob immanem dolorem lumbos, ſed quam maximè caput occupantem lacrymis madidi erant, linguam intenſe rubram, in dorſo ſquallore cineritio conſpurcatam monſtrabat, ſiccus cutis calor explorantis digitos difficili ardoris ſenſu afficiebat, juveni huic plethorico à variis exaeſtuato commoto venae ſectionem ſatis largam inſtituendam, decoctum hordei dilutum ſucco citri acidulatum & rob ribeſiorum cum cremore tartari & oximellite ſimplici ſaepius & pervices aſſummendum praeſcripſi; poſt venae ſectionem intolerabilis capitis dolor mitigatus fuit, ita ut facilis carebaria ſupereſſet, lumbago quaſi rheumatica haud amplius vexavit, Febrisque ſenſibiliter remiſit cum pulſu molliori vix celeri. Sed proh dolor! breve hoc fuit gaudium, nam hoc ſole ſub occiduo Febris novo vigore & rigore exacerbata fuit, mox frigori ſucceſſit calor ſiccus urens cum intenſiſſimo capitis dolore ſtipatus, qui per totam noctem difficillimas induxit vigilias hoc matutino tempore

pore ſanguis herie vena extractus, licet valde rutilans, ſatis tamen tenax fibroſus ſanorum ſimilis in proportianata ſeri copia innatabat, lotium in parca copia emiſſum rubre tinctum & alvus adſtricta erat, Febris parum ſed dolor capitis nihil remiſerat, hodie alvum ſero lactis cum manna & cremore tartari per epicraſin hauſto laxavi, capiti dolenti aeſtuanti cataplaſma ex mica panis aceto madefacta admovi, nec his auxiliis continuus ac crudelis capitis dolor mitigatus fuit, veſperi à frigore momentaneo vix perceptibili Febris magis increvit, de nocte enormi capitis dolore vexatus & Febre exagitatus aeſtuavit, mane ex praecordiis plus ſolito anxius nauſeoſus & in vomitum pronus evaſit, os amarum, dentes conſpurcati, & lingua humida quidem ſed cruſta ſubfuſca tecta erant, Febris mitior aſt capitis dolor enormis perennis urgebat proinde tartarum emeticum in magno vehiculo noſtro modo diluto ad bina cochlearia introſumpſit, à quo pauca amara ſubpinguia repetito vomitu, & multa liquida ſubflava faetida per anum ejecit, quibus ſuperius & inferius excretis angor praecordia premens minus quidem moleſtavit, ſed appropinquante nocte gravius decubuit & Febris absque ullo frigoris ſenſu cum graviſſimo dolore caput quaſi terebrante exacerbata fuit; haecque nox cum ſomnis mendacibus vel ſubdeliriis difficillima fuit, proximâ huic luce cum dolor capitis perennis & Febris cum pulſu celerrimo urgerent, facies cum oculorum albo rubeſcerent arteriaeque temporales validè & celeriter micarent matutino tempore, hirudines temporibus apponere & ex horum inflictis vulnuſculis haec continuo fovendo linteis aqua tepida madefactis aliquamdiu cruorem ſtillare curavi, cumque hodie alvus minus correſponderet (licet aeger ſaepius rob ribeſiorum cum cremore tartari & oximellite uvasque non admodum maturas meo ſuaſu ſaepius

us multumque devoraret) hanc hauſtu laxativo ex ſero lactis manna & ſale polychreſto rupellenſi conflato ſollicitavi, quo multa putrida ſubduxi, veſperi pediluvia & deinde ſubplantanea ex fermento panis acri ſapone nigro ſinapi & aceto pedibus applicanda curavi, quibus peractis ac adminiſtratis ingruente nocte Febris absque refrigerio magis increvit & dolor capitis utique crudelis per totam noctem continuò vexavit; interim aurora appropinquante per unam alteramve horam placidè ſubdormivit, manè evigilans Febris quidem multum ſed dolor caput lancinans nihil remiſerat, cumque hodie magis ſoporoſus dejectus & debilis appareret aeger emplaſtrum epispaſticum cantharidibus ſuperinſperſis aquatum largum ad magnitudinem palmae manus majoris extenſum manè hujus nuchae applicare & veſperi enema injicere mandavi, interim ab hoc emplaſtro exurente & à Febre exacerbante & a crudeli capitis dolore indeſinente hac nocte multa paſſus fuit aegrotus, cujus tandem matutinis horis blanda quies furtim ſubrepſit ocellis, cumque per notabile tempus ſic placidi captaſſet munera ſomni, horâ matutinâ jam nonâ factâ experrectus eſſet Febris ſimul & capitis dolor ſenſibiliter à praeterito vigore remiſerant, & à meridie emplaſtro veſicatorio amoto in cute cui adhaeſerat latas veſiculas ſerò plenas excitaverat, poſt meridiem dolor mitius caput vexavit, alvum liquidam ſponte copioſam, & lotium prius lautè deinde ſaepius ſingula vice in parca copia ſtrangurioſè cum continuo quaſi ſpincteris veſicae teneſmo eliminavit, veſperi, ut enema demulcens injiceretur aegerque decoctum hordei cum lacte frequenter biberet, ſuaſor fui, hoc enemate injecto alvum cum magno faetore exoneravit, hocque decocto affatim hauſto de nocte urina copioſè absque dolore profluxit, Febrisque cum dolore caput vexante multo mitior fuit & matutinis horis

optimo tranquillo & naturali ſomno refectus lautè & aequaliter per totum corporis habitum tranſpirabat & urina valde ſaturata turbida cum leniori & vix moleſta ſtranguria quaſi critice in magna copia profluebat, de die juſculum ex prunis coctis in aqua & pauco vino ac pane avidè aſſumpſit, veſperi Febris parum exacerbata fuit, alvum ab enemate injecto depoſuit & noctem tranquillé dormiendo pro maxima parte tranſegit, ſequenti die album oculorum ſubflavum apparebat, dolor quaſi rheumaticus maximè ad motum caput & extremos artus vexabat; interim vix amplius febricitabat, lingua, quae antea faedâ cruſtâ obvelata fuerat pro maxima parte praeſertim ad ejusdem apicem & latera jam pulchrè rubeſcebat; hodie alvus & urina ſponte & fere ſolito modo, haec alto citrino colore tincta illa pultacea non nihil figurata ex albo flaveſcens, prodibant, quibus excretionibus indies correſpondentibus cum larga tranſpiratione continuante, cito Morbi reliquiae evanuerunt: interim aeger tam crudeli capitis dolore toto Morbi decurſu vexatus, ut prae illius atrocitate ſitum erectum ſufferre caputque decumbens movêre nequiret hoc dolore atroci, cui ſimilem toto hoc epidemiae tempore non obſervavi, Febre continuo & evacuationibus repetitis maceratus ac valde debilitatus pro potu liminatum & pro cibo juſcula cum aqua, vino & pane cocta deſideravit, appetivit, cui dèſiderio & appetitui tandem deſinente Febre indulſi, quà diaeta indies & gradatim aucta ac magis lauta citò & tutò convaluit.

Sub eodem tempore hujus aegroti frater natu minimus duodecim annorum puer eadem Morbi ſpecie correptus fuit, ſed conſuetis remediis diluentibus emetico - catharticis ſaponaceo - acidis & congruâ diëtà, quam ſcrupuloſè & exacte obſervabat brevi tempo-

ris

ris ſpatio & facili modo priſtinam ſanitatem recuperavit

Tandem diu poſtea, puta ultimo hujus Anni 1772, die quo ſancti Silveſtri Papae memoriam colimus & Deo ter optimo maximo quod nos incolumes ſervaverit debitas gratias agimus, in hac eadem domo una horum aegrotorum ex natu minimis ſoror eadem Febre primo cum horrore ingruente, deinde cum conſuetis Morbi ſymptomatibus ſtipata decubuit, quae & ſolitis remediis ante dictis cito Morbo relevata fuit, ſed incauta haec puella lautè tranſpirans imprudenter aëri frigidiori ſe exponens Morbum recidivum contraxit, qui & cum dolore vago exorbitante abdominis & lateris nunc colicam referente, nunc pleuritidem mentiente repullulavit, à quo per aliquot dies dire excruciata fuit, qui tamen exorbitans dolor venae ſectione celebrata, potu emolliente tepido, remediis alvum blandè laxantibus per utrumque os inditis & cataplasmatibus locis dolentibus applicatis calidè fotis urgens concomitans cito ſiluit, evanuit, & hiſce tranſpiratione revocata facile à recidivo hoc Morbo convaluit aegra.

AEGROTUS OCTAVUS.

In nuper exſtinctae Societatis Jeſu Gymnaſium acceſſitus, ut reverendo ex illis Sacerdoti aegroto medicinam facerem, qui, cum inter cives aegros indies multum verſatus fuiſſet & 15 Octobris Anni 1772. Confeſſionem ſacramentalem exciperet ab una pauperrima aegrota filia, cujus tota facies ab ulcere carcimomatoſo hanc depaſcente defigurata, & à carne muſculoſa exeſa denudata ac ſquallida erat, odore exhalante tetro cancroſo, adverſo infectus

 fue-

fuerat, & hoc inexpectato horribili ſpectaculo caput mortuum ſanioſam in tabem defluens repraeſentante ſubito ac grandi terrore perculſus fuerat, mox ad vomitum usque nauſeoſus factus aggravans ſuorum membrorum pondus ſenſit, toto corpore laſſus & capite vertiginoſus evaſit, veſperi inhorruit & noctem valde inquietam calore febrili &c. exagitatus transegit & ſequenti die manè hunc prima vice viſitans de ſummo capitis & lumborum dolore ac permoleſta praecordiorum anxietate conquerentem inveni, continuos ferè conatus vomendi edebat & quandoque non nihil valde amari evomebat, de amaritie oris & faucium ariditate querelas edebat, lingua cruſtâ ſubflavâ cum dentibus conſpurcata erat, potum acidulum in deliciis, ſed cibum quam maximè ex ex animali regno in horrorem habebat, ſaepius nunc caloris nunc frigoris ſenſu moleſtabatur. Interim calor externus corporis continuo digitos explorantis pulſum mordax quaſi exurebat, cum pulſu celerrimo, depreſſo, duriuſculo febricitabat, animo & viribus admodum dejectus videbatur aeger: aſt cum hujus in flore aetatis conſtituti plethorici non dejectae ſed potius oppreſſae exiſterent vires, ſanguinem in modica quantitate quaſi ad uncias octo è vena tusâ detrahere juſſi, ſanguisque frigefactus, rutilans, fibroſus bonae conſiſtentiae in ſero admodum flavo proportionato formabat inſulam, pulſus poſt venae ſectionem magis elevatus, ſed admodum celer vibrabat, & moleſtum quidquam praecordia premens angebat aegrum, qui ob id continuo in vomitum pronus erat, utque illud diluerem, corrigerem ad evacuandum idoneum redderem decoctum hordei dilutum ſucco citri acidulatum & ſerum lactis tamarindinatum ſaepius per vices ſorbillandum & rob ribeſiorum oximellite & cremore tartari ſaturatum ad parvum cochlear frequenter lamben-

bendum injunxi, interim absque intermiſſione febricitabat, veſperi cum ſenſibili frigore & horripilatione Febris exacerbata fuit, & ſub eodem tempore pauca amara ſpumoſa valido vomendi conatu ejecit, noctemque admodum calefactus inſomnem anxie transegit, & cum hoc matutino tempore Febris quidem valde remitteret, aſt cum praecordiorum angore nauſea & frequens vomendi conatus perſiſterent, tartarum emeticum in aquae copia diſſolutum cum ſyrupo de althea palato gratum in modica doſi exhibui, quam doſim in remiſſione Febris tamdiu ſingulis tribus horis repetendam ac non nihil augendam donec exoptandus vomitus, vel alvi fluxus Bilioſo-putridus ſuccederet injunxi, ſed quae hoc medicamento bis terve repetito tandem magno conatu & difficili vomitu prodibat materies ſpumans tam viridis erat, ut ad nigredinem vergeret colore, & quae per alvum teneſmoiteam ſingulis vicibus in parca copia exprimebatur faex ſeroſo-mucoſa ſingularis odoris valde foetida erat, ita ut hujus exhalatio ingratiſſimo ſenſu nerveas narium ſtimularet papillas, neque ab his, vel illis excretis allevatus fuit aegrotus, ſed veſperi absque nova refrigeratione magis febricitavit, de nocte continuo ſe jactitans & varia obmurmurans ſubdeliravit, ſequenti die animo quidem conſtans, ſed gravius decumbebat, hinc ulterius hoc evacuante medicamento eum laceſſere nolui, ſed materiam morboſam diluere corrigere & mitioribus evacuare tentavi; de nocte denuo multum exagitatus deliravit, de die continuo vigil in ſomnum propenſus, quaſi comatoſus factus decubuit, cumque nil vomitu, vel alvo ejiceret, prius in quo tartarum emeticum erat medicamen denuo exhibui, nec feliciori cum eventu quam pridiè, quippe, quae hoc ſummo cum molimine evacuabatur ſurſum & deorſum colore odore &c. ante deſcripta materia ſingulis vici-

bus in tam parca copia prodibat, ut fomitem morboſum eliminare, ſicque aegrum ſalvare nequiret. Hiſſe conaminibus exagitatus aegrotus minus ſoporoſus, ſed magis defatigatus fuit; de nocte nunc ſubdeliravit, nunc de acerbo capitis & lumborum dolore conqueſtus ac indeſinenter ferè inani tuſſi vexatus fuit, materiamque liquidam admodum virideſcentem vomitu ſpontaneo ejecit. Huic, proximo die absque certa remiſſionis notâ febricitavit, cum diluentibus ſaponaceis acidis alvum laxantibus per utrumque os inditis ob difficilem tuſſim linctum obvolventem cum manna &c. praeſcripſi ad genas & oculorum palpebras obſcure flaveſcebat cumque ore magnum foetorem exhalaret, valde putrida per anum deponeret, lotium rubre tinctum ejiceret ac abdomen haud parum intumeſceret, ut validius putredini reſiſterem in potum ordinarium & medicamenta ſpiritum vitrioli inſtillare curavi, cumque per anum nil amplius deponeret, veſperi enema injectum fuit, noctem inſomnem difficilem continuo ſeſe exagitando ac tuſſiendo anxius & per intervalla ſubdelirando contrivit, appropinquante aurorâ placido ſoporo quievit, ſolis alte micantibus radiis cubile luſtrantibus expergefactus, totus hujus corporis habitus aurigine tinctas erat; urina emiſſa ictericorum ſimilis erat; & phlegmata tuſſi ejecta flavo colore tincta erant: Febris, dolor capitis cum reliquis Morbi ſymptomatibus perſeverabant, cumque alvus ſicca eſſet, hanc enemate injecto proritavi, & inſuper decoctum aperiens laxans ex radicibus graminis & fructibus tamarindorum ſaturatum praeſcripſi, quo & per epicraſin hauſto alvus in parca & urina in magna copia quaſi jumentoſa profluxerunt, cumque ſic medicando haud multum proficere viderer, octavo Morbi die conſultatio inſtituta fuit, convocatis expertiſſimis Dominis Collegis *Bom* & *Siboons* iisdem remediis diluentibus

bus ſaponaceis acidis ac laxantibus ſale polychreſto rupellenſi non nihil acuatis continuatum fuit, quibus non obſtantibus colore icterico magis faedus fuit aegrotus, ita ut totum corpus hujus ex flavo virideſcens appareret, adque icterum nigrum ab Hippocrate nuncupatum quam proximè accederet & licet hiſſe diebus ſolito minus febricitaret, ſingulis noctibus tamen pro more plus delirabat, ita ut inter varia inconcinna ſe non modo ad ſtygias undas appropinquare, ſed modo viam lethi calcaſſe & regna invia vivis ſubiiſſe contenderet, praedicaret; cumque faex limoſa, alba, pultacea & alvus niſi continuo ſollicitata occluſa perſiſteret, Febris cum dolore capitis miteſceret, icterus cum delirio increſceret, aliquoties decocto cordiali ſolutivo cum manna & ſale polychreſto aegrum purgavimus, quo prius cum torminibus, deinde euphoriàquam plurima Bilioſo-putrida ſubducta fuerunt, quibus cum urinis ſaturatis, turbidis, craſſis, lautè quaſi criticè profluentibus ſenſim poſtquam per novemdecim dies hoc Morbo infectus & labefactatus fuiſſet ab illo ſuo cum ſodalitio eminentiſſimo liber evaſit eminentiſſimus aegrotus & reverendiſſimus Pater. Tandem, diſſipato cum fomite putrido ictero, febricula lenta à debilitate orta ſuperſtite, cortice peruviano profligatâ, hoc tonico medicamine corporis robur tandem conciliatum ac confirmatum fuit. Denique aſpera tuſſis, quae totò Morbi decurſu hunc valde moleſtaverat & brumali tempore huic diu habitualis eſſe conſuevit, pectoralibus obvolventibus & tranſpirationem inſenſibilem promoventibus inſenſibiliter mitigata ſiluit.

Sub eodem tempore robuſtus admodum hujus Societatis profeſſus Laicus Procuratoris hujus Collegii coadjutor denuò decubuit hoc eodem Morbo cum atrociſſimo dolore capitis &c. ſtipato, qui tamen poſt

venae ſectionem largam, potum diluentem frequenter & affatim hauſtum tartaro emetico in magna aquae copia diluto aliquoties per epicraſin in magna quantitate per utrumque os validè evacuatus fuit, tanta cum efficacia, ut jam octavo à primo Morbi die curatus conſuetis ſuis fungeretur muniis integerrimus homo, qui anno praeterito eodem Morbo diutius detentus, ſed eisdem ferè remediis curatus fuerat.

AEGROTUS NONUS.

Vigeſimâ ſextâ Octobris Anni 1762. in platea à foſſa bufonum dicta decumbebat, longaeva jam ſexagenaria major vidua plurimarumque prolium genitrix, haec praecedenti die rectè valens hoc ſole ſub occiduo, derepente morboſa, ponderoſa, languida evaſit: cumque parum poſteà lectum peteret ſubito horrore febrili correpta fuit, cum continuò vomendi conatu, amaritie oris, lumborum dolore, &c. cui ſuccedebat inſolitus ſiccus calor per totam noctem hanc moleſtans, altero mane 27. hujus hanc viſitans ſudore profuſo madidam mitius, ſed jugiter febricitantem cum pulſu celeri & debili exploravi: de capitis dolore obtuſo ac ejusdem vertigine auriumque ſuſurru querelas edebat, nauſeoſa omnem cibum in horrorem habebat, & à potu, quem frigidum appetebat, in vomitum inclinabatur, os amarum & lingua humida ſed alba pellicula obſita erant: huic ſpongioſae & laxae faeminae mox aquam tepidam affatim hauriendam, qua valde amara in parca copia vomitu ejecit deinde decoctum hordei acidulatum & rob ribeſiorum cum oximellite & cremore tartari crebro aſſumendum praeſcripſi, de nocte deliravit, & de die licet

cet adaequatè ad interrogata reſponderet, non tamen immunis ab omni delirio erat; quippe, quae molam aſininam agitatam, quam in auribus murmurans ſuſurrus gravioris delirii prodromus referebat, mox tacere hanc & ex domo transportare jubebat: de die frequenter nunc de frigoris nunc de caloris ſenſu conqueſta fuit, & aliquoties alvum in larga copia depoſuit, & quas per illam emittebat faeces ſincerae ſpumoſae ſiniſtri ominis erant, veſperi Febris & de nocte delirium multum increverunt, manè ſubdelirans anxiis ex praecordiis ſuſpiria frequenter ducebat; morboſusque ſudor ſubpinguis caput & artus occupabat, de die vigil magis mente conſtans erat, aſt ſimulac ad ſomnum captandum, in quem admodum prona erat, ſe diſponeret & ob id oculos clauderet, mox variis viſionibus illuſa cum terrore pro tempore ſubdelirabat, cumque nauſea perſeveraret interque potandum frequens vomituritio naſceretur, hodie ad tartarum emeticum noſtro modo dilutum & propinatum proceſſi, quo introſumpto mox ſuperius multa flava ſubpinguia faetida vomitu ejecit, & inferius multa putrida adinſtar cereviſiae faeces per anum depoſuit, quibas ſe ſua involucra & cubile faede conſpurcavit, hae tamen arte procreatae evacuationes in magna copia profluentes, uti ordinarie ſolent cum euphoria, non adjuvabant aegram, fortè quia in corpore hujus intimius, minus mobilis, licet in magna copia & infra evacuationem exiſteret materia morboſa cruda &c. Veſperi absque ſenſibili frigoris ſenſu valde exacerbata fuit Febris, noctem gravem ſopore oppreſſa, vel delirio agitata & multo ſudore, licet leviter tecta, humectata peregit, manè & toto die continuo febricitans, ſoporoſa, taciturna ferè immobilis, manibus & linguâ multum tremens, in dorſo proſtrata decubuit, potum & medica-

menta renuens & interrogata ſe optimè valere reſpondens, alvum valde liquidam faetidam inſciè aliquoties depoſuit, veſperi Febris multum increvit & prae ſiti potum deſideravit & hunc avidè hauſit, de nocte ſolito minus deliravit, ſed de atrociſſimo capitis dolore praeter morem magis conqueſta fuit, urinam valde limpidam in magna copia hyſterico-ſpasmodicam ejecit, manè mitius febricitabat, ſed manus cum lingua humida cruſtâ ſubnigrâ tecta continuo tremore agitabantur, & faciei muſculi per intervalla hodie convellebantur & continuas ac acerbas de dolore caput infeſtante querelas edebat, potumque diluentem ſpiritu vitrioli acidum & medicamenta ſaponacea & alvum per epicraſin blande laxantia avide aſſumebat, quibus lotium & alvum aliquoties depoſuit, veſperi cum exacerbatione & tendinum ſubſultu febricitavit: de nocte horâ duodecimâ ſubito ad illam vocor, quam adventans graviſſimo & univerſali inſultu epileptico agitatam & miſere conquaſſatam invenio, qui terrificus paroxyſmus poſtquam per mediam horam enormibus conquaſſationibus & exoticis tenſionibus ac contractionibus perſeveraſſet, alto ſomno & ſtertore apoplecticorum adinſtar deſinebat, hinc cum pulſus antea depreſſus debilis jam plenus & fortis micaret, faciesque ante collapſa jam turgida, inflata, rubra appareret, mox largam venae ſectionem ex amplo vulnere inſtituendam & clyſma acre ſtimulans injiciendum praeſcripſi, ne & vires hac evacuatione ſanguinea in vigore Morbi celebrata ſubito collabeſcerent, aſt feroſum ut laticem valde abundantem ulterius evacuarem corpusque dejectum ferè immobile laxum ſtimularem &c. emplaſtra larga cantharidibus acuata ſuris applicare curavi, reliqua nocte ſaepius ſe denudavit, manus ad caput movit & ſub pallantidos ortu per tres horas placide obdormiendo quievit, matutino tempore

re horâ circiter nonâ aegrotam inviſens, hanc ictero quaſi critico intenſe flaveſcentem inveni, felicemque eventum enunciavi, quia pulſum prima vice ab omni Febre hodie immunem & hypocondria mollia explorabam, urina quaſi cereviſia bruna alte tincta admodum ſaturata chartam albam colore croceo tingens prodibat, veſperi enema injectum alvum proritavit, faexque excreta pultacea quaſi porcina erat, de nocte absque Febre ſomno levioribus convulſionibus interrupto indulſit, altero manè lautè ſuppurantibus plagis ab epispaſticis excitatis optimè mente conſtabat, potum & medicamenta avide aſſumebat: hodie & ſequentibus diebus alvum & lotium blandè laxantibus diluentibus ſaponaceo-ſalinis appropriatis ſollicitavi multaque putrida bilioſa ſic hiſſe colis eduxi, & ita paulatim icterum cum caeteris hujus terribilis Morbi reliquiis diminui, ſubegi, diſſipavi & tandem mobilitatem & ſenſibilitatem generis nervoſi nimiam antiſpaſmodico tonicis ac diëtâ encymo & eupeptâ emendavi, roboravi, ita ut poſt paucas ſeptimanas recte, ut ante Morbum, valeret, haec veneranda Vidua & optima Mater, quae hoc Anno 1774. unum ex Filiis ſuis in Abbatem erectum caputque hoc venerabile Mitrâ fulgente condecoratum exoſculando & congratulando exultavit.

AEGROTUS DECIMUS.

Optimus numeroſae familiae genitor, & generoſus ſerici Mercator in flore aetatis conſtitutus, vitam pro maxima parte ſedentariam meditabundam peragens, forum calcearium accolens, qui praeteritâ aeſtate acerbo moerore dejectus fuerat, propter dilectam ſuam conjugem à puerperio tum temporis graviſſimo Morbo decumbentem, & hoc autumnali tempore ex Zelandia

landia redux ob minans & imminens naufragium gelido horrore agitatus celerrimo navis avolatu arcem lilloum à meridie attingens, eodem die per tres leucas difficillimum per limoſam terram inter continuam pluviam & procelloſos aëris fluxus veloci pede iter fecerat, & veſperi totus madefactus, defatigatus domum rediit, periculum, quod hodie ſubierat, imminens (ne uxoris & familiae gaudium interrumperet) alta mente repoſtum tenens, rectè valere viſus tertio ab hoc die lenta per Urbem veſtigia premens derepente animo linquitur, hinc mox vena tunditur poſtque venae ſectionem per decem dies pancreaticè valet usque ad vigeſimum ſecundum Menſis Novembris Anni 1772. quo die à meridie dolore capitis & lumborum correptus ſubitò aegrotare incepit; veſperi cum horripilatione ſubito friguit, finitoque frigore, per totam noctem calore exarſit & proximis matutinis horis poſt ſomnum non nihil refrigeratus melius ſe habuit: aſt capitis gravativus dolor per totum diem perſeveravit, pro quo ſanguinem in ſatis magna quantitate è vena detrahere curavit; nauſeoſus ab omni cibo permanſit, veſpertinis horis de novo à ſubito ſuperveniente frigore horripilavit, ſed mox ſicco ſuccedente calore hac nocte valde inquietus magis ex capite & lumbis doluit; manè tranquillo ſuborto ſomno quievit, à quo parum allevatus fuit, ſed à meridie modo magis aegrotavit, ita ut prae totius corporis laſſitudine capitis & lumborum dolore ſitum erectum ſufferre nequiverit, ſed lectum petere coactus fuerit: poſt meridiem 24. hujus prima vice advocatus hunc explorans cum pulſu arteriarum exili & celeri valde febricitantem inveni, cutis arida, lingua humida ſed albâ pelliculâ incruſtata erat, de virium proſtratione, continuo capitis dolore & anxio praecordiorum ſenſu conquerebatur, ſanguis heri è vena extractus rutilans vix cohaerens in flavo ſero

na-

natans inſulam repraeſentabat, oculi aegri vividi, ſcintillantes, & facies inflata rubra erat, huic pro potu decoctum hordei ſucco citri acidulatum, & pro bolo rob ribeſiorum cum cremore tartari ſaepius aſſumendum praeſcripſi, de nocte absque novo ingruente frigore magis febricitavit, manè mitius febricitabat lotium altè tinctum valde lixivioſum, & alvus liquida Billioſa-putrida faetida & reliqua ſymptomata ut heri eadem erant, niſi quod aeger magis ſoporoſus continuo in ſomnum & ſudores propenſus eſſet, iisdem remediis hodie multa putrida ſubducentibus continuatum fuit, veſperi aegrum accedens is conquerebatur de vagis doloribus plantas & pollice-pedum lancinantibus quaſi podagricis, quibus & praeterita hieme valde excruciatus fuerat; hinc huic mox pediluvia calida conſului, & deinde ſubplantanea acriá ex fermento panis ſapone nigro & ſinapi cum aceto confecta applicare juſſi, ſed de nocte ob dolorem quem excitabant haec amovere mandavit valde mobilis nimis irritabilis & inquietus aeger, qui ſilentibus doloribus quaſi-podagricis, ſequenti die minus ſoporoſus, ſed magis ad praecordia anxius erat, & matutinis horis continuò nauſeoſus vomituriens poſt varios vomendi conatus cum inconſuetâ oris conſpurcati amaritie pauca vomitu ſubviridia variegata ejecit, quibus examinatis perpenſis hodie infuſum aquoſum radicis ipepacuanhae, groſſo modo pulveriſatae ſorbillandum, donec ſic aliquoties vomitus excitaretur praeſcripſi, hocque infuſo ad aliquot uncias cum aqua tepida theana affatim hauſto ter quaterve vomitu amara Bilioſo-putrida excrevit (tartarum vero emeticum noſtro modo dilutum ſenſibilitatem & mobilitatem nimiam hoc noſtro in aegro taxans neſcio quare formidans omiſi) ab his vomitu eliminatis praecordiorum angor minus moleſtavit & cum nauſea continua, vanus vomendi conatus evanuit quidem, ſed veſperi à validis excita-

tis

tis concuſſibus valde defatigatus hauſtum ex aqua flor ſambuci ceraſor nigrorum & rob ribeſiorum cum liquore anodino minerali exhibui, Febris absque ullo ſuperveniente frigoris ſenſu exacerbata fuit: de nocte multum de capitis dolore conqueſtus, ſubdormiendo multa inconcinna quaſi delirans pronunciavit, & matutinis horis placido ſomno ſolutus per notabile tempus tranquillè quievit, ſed cum hodie alvus praeter morem adſtricta eſſet, hanc ſero lactis cum manna & cremore tartari acuato & per epicraſin hauſto laxavi, veſperi valde incaluit & magis febricitavit, & de nocte quaſi ſomniando multa incongrua narravit, & ſublucano tempore denuò per aliquot horas obdormivit: & expergefactus aeger hodie medicamentum ex rob ribeſiorum oximellite ſimplice & tartaro ſolubili, quod ſaponaceum acido-ſalinum alvum laxam intertinebat, & putridum fomitem infra evacuationem corrigebat &c, frequenter introſumere recuſavit, decoctumque hordei ſucco citri acidulatum cum ſumma difficultate ſorbillavit, quia tota oris concameratio fauces & quam maximè labia ac linguae apex & illius circumferentia faedis aphtis propullulantibus ſcatebant, quae introſumptionem cum deglutitione ſalino-acidorum laborioſam & valde difficilem excitabant: interim decocto raparum cum melle os frequenter diluere, hocque gargariſare & melle roſarum aphtas oblinire curavi, & decoctum hordei melle edulcatum ſorbillare & ſuccum pomoſum aurantiorum dulcium continuò exſugere juſſi, alvum blandè laxantibus per utrumque os inditis laxam intertinui, cremore avenae in lacte cocto aegrum nutrivi: cumque ſic curando per aliquot dies protraxiſſem jam quarto Decembris die multo facilius deglutivit; & exſiccatis vel prolapſis aphtarum in ore cruſtis ex acido ſalinarum particularum adtactum optimè perferre potuit, hac nocte placide dormivit, urinam valde

de craſſam turbidam quaſi jumentoſam emiſit, manè mitius & ferè vix febricitavit, lautè tranſpiravit & pro maxima diei parte è lecto ſurrectus permanſit, veſperi Febris non nihil exacerbata fuit, de nocte ſolito ſaepius & largius absque torminibus alvum aquoſam depoſuit & manè me praeſente in magna copia bis pauco temporis intervallo alvum valde liquidam excrevit adeoque omnem hodie ſtimulum abeſſe volui; (nam alvum laxam toto ferè Morbi decurſu cremore tartari in rob ribeſiorum involuto, ita ut ter quaterve indies per anum dejiceret, intertinueram) & mucilaginem radicis ſaleb cum ſyrupo cydoniorum edulcatam ſaepius ad unum cochlear introſumendam injunxi, pro cibo hordeum in aquâ cum pauco vino coctum, & pro potu decoctum album praeſcripſi, quibus haec diarrhea quaſi colliquativa cito ſiluit, ita ut proxima nocte tantum ſemel hocque pultis adinſtar excrementum per anum reddiderit: ſed hoc noctis tempore quaſi ſomnians multa incongrua narravit, manè cum pulſu exili vix febricitabat, oculorum album & palpebrae flaveſcebant, urina emiſſa ictericorum ſimilis erat, & dum aeger oculos claudebat veluti ſomnum capturus protinus, ſed per tranſennam à recta ratione aberat, praeter haec gravativus dolor lumbos & magis acutus ſinciput preſſit, cumque hodie alvus ſicca permaneret rob ribeſiorum cum tartaro ſolubili aliquoties introſumpſit, à quo ter alvum valde olidam liquidam depoſuit, huic aegro valde debili vinum cum aqua dilutum pro ſiti & juſcula è carnibus multo ſucco citri correcta pro nutrimento conceſſi, poſt meridiem his non nihil refocillatus melius ſe habuit, & veſperi à Febre admodum lenta vix amplius incaluit, de nocte tranquillus ſomnus acceſſit, & manè expergefactus non amplius febricitavit, dolor lumbos & caput dimiſit & bona iterum facies haud amplius

us flavedine tincta evenit, urinam ſanorum ſimilem minxit, optima mente conſtitit, rediitque edendi deſiderium, ita ut hodie licet pythagoricè, optimo tamen cum appetitu manducaverit, & biberit ac omni Febre immunis, quaſi jam integer factus veſperi nobis apparuerit cumque pro coena ſex vel ſeptem ſpondylos cum ſucco citri & butyraceo introſumpſiſſet, ſchyphum unum alterumve vini aciduli ſuperbibiſſet blando ſopore ſolutus noctem peregit, marè cum proſperis convaleſcentiae ſignis, ut heri, hunc optimum virum inveni ſic, ut viſitationes hodie differre propoſuerim, à meridie verò cum aliquoties affatim per alvum multa ſincera ad animi ferè deliquium depoſuiſſet, ſollicita uxor me mox advocat maritumque ab hoc alvi fluxu enormi valde dejectum, debilem absque Febre tamen invenio, & mucilaginem rad ſaleb cum aqua cinnamomi hordeati cum ſyrupo cydoniorum ad gratum ſaporem conditam crebro cochleatim ſumendam, & cremorem hordei cum pauxillo vini mixtum pro cibo & decoctum album *Sydenhami* pro potu ſorbillandum praeſcribo, quibus denuò haec diarrhaea ſiluit, ita ut per totam noctem tranquillè dormiverit, manè alvum aliquatenus conſiſtentem pultaceam ſemel depoſuit, & licet valde debilis, tamen absque Febre permanſit, cumque á Morbo protracto & repetitis alvi fluxibus valde debilitatus & defatigatus exiſteret aegrotus, huic modicum vini bis terve de die cum pane biſcocto lambendum conceſſeram, aſt hoc matutino tempore blando jentaculo nutrito, ut magis & citius viribus proſpicerent me inſcio largum hauſtum vini meracis Hyſpanici exhibuerunt adſtantes, à quo valde exagitatus incaluit & praeter morem loquax quaſi inebriatus balbutiendo hodie multa incongrua protulit, veſperi Febre denuo exarſit & à raptu ſanguinis ad caput faciem inflatam turgidam intenſè rubram exhibuit, & ſomno

quaſi

quaſi lethargico oppreſſus, à quo excitatus ſumma cum oblivione ad interrogata reſpondit, & continuò ſopore oppreſſus dormitavit; & continuis oris muſculis convulſivis motibus & manuum tremoribus exagitatus decubuit, in hoc peſſimo aegri ſtatu illa quae orgaſmum compeſcunt, refrigerantia, ſaponaceo acida, quae à capite derivant enemata refrigerantia, laxantia &c. Et quae in diſſitis partibus ſtimulando dolores excitant emplaſtra larga cruribus applicanda praeſcripſi, à mixtura nitroſo-ſaponaceo-acida introſumpta calor corporis & faciei rubor haud parum mitigati fuerunt, ab injecto enemate alvum copioſe laxavit & ab appoſitis cruribus epiſpaſticis ſtimulantibus ob dolorem ab illis inductum pro magna noctis parte quieſcere non potuit, ſequenti die in conſilium vocato expertiſſimo & cordatiſſimo Domino *Bom* collega admodum venerando, hoc matutino tempore minus ſoporoſus erat quam heri veſperi, minus calidus, lautè jam tranſpirabat nec ita facie turgida rubeſcebat, ſed quod in oculis album eſſe ſolet rubris venulis ſeu colore roſeo perfuſum erat, obtuſus in capite & auribus doloris ſenſus aderat, pulſus minus tenſus ſed debilis valde celer micabat, manè idem ut heri enema injectum, mixtura ex aqua florum ſambuci rob ejusdem oximellite ſimplici nitro & pauxillo camphorae q. s. ſpiritu vini ſolut cochleatim ſumenda praeſcripta fuit, pro potu ſerum-lactis cum ſucco citri recommendavimus: hodie muſculi oris frequenter motibus convulſivis agitabantur, veſperi magis febricitavit & cum aurium ſuſurru difficulter audivit, & magis ſomnolentus evaſit aegrotus, cui iisdem medicamentis pergendum & enema injiciendum eſſe conſultum duximus, de nocte ad auroram vergente de doloribus atrociſſimis caput & crura occupantibus indeſinenter conqueſtus fuit, manè jugiter febricitavit, & per totam diem frequenter & multum per alvum fae-

ces valde aquoſas depoſuit, doloribus Febre & his evacuationibus haud parum maceratus aeger, cui ſero mucilaginem radicum ſaleb cum aqua cinnamomi hordeati & ſyrupo cydoniorum ſaepius cochleatim adſumendam pro medicamento obvolvente nutriente & refocillante, ac decoctum album pro potu ſaepius ſorbillando praeſcripſimus. De nocte aliquoties & altera die ſolummodo bis materiam pultaceam per alvum laxavit, hodie aeger ſurdaſter de dolore continuo acuto lancinante interiorem aurem dexteram occupante conqueſtus fuit: auri dolenti catalpaſma ex mica panis in lacte dulci crocato cocta ſaepius renovandum applicavimus & mixturam ex aqua flor ſambuci rob ejusdem nitro & camphora ſepoſitam in uſum revocavimus: hodie continuus fuit dolor aurem dexteram occupans, qui veſperi cum Febre ſenſibiliter increvit praecipuum noctis tempus prae dolore acuto aurem occupante vigil querelas edendo, & illud quod auroram excipit alte dormiendo contrivit, manè placide dormiens pulvinar pure ex auriculâ prolapſo conſpurcatum erat, & expergiſcens magis ſurdus minus febricitavit & multum puris ex abſceſſu in aure rupto ſtillavit, & de die in aurem affectam aquam tepidam cum lacte dulci injicere ſaepius curavimus, veſperi vix febricitavit, ſed de nocte prae dolore ex cruribus à veſicatoriis exulceratis & unguento baſiliconis ſtimulatis nato quieſcere non potuit, hinc mane amoto hoc unguento magis blando crura exulcerata nimis ſenſibilia deligavimus, hodie pus coctum, album, craſſum indeſinenter ſed in minori copia ex auricula exſtillavit, multo melius audivit & de caetero ſatis recte ſe habuit, neque veſperi amplius febricitavit & hac nocte absque interruptione, niſi quod ſemel alvum exoneraverit placide dormivit, proximo die ab omni dolore expers pancretice valens appetitus ab aliquibus diebus abolitus rediit,

ita

ita cum exquiſito guſtu prunas in aqua maceratas cum pane coctas & ſaccharo conditas manducaverit modicumque vini aquâ & ſucco citri diluti exiguis hauſtibus biberit. Sic quidem ut hodie & per totam hebdomadem ſeu per octo ſequentes dies in ſtatu convaleſcentiae verſari viſus fuiſſet, indies & gradatim lautiori diëta refocillatus aegrotus 24. hujus Menſis & 33. Morbi die jam labente & ſole ſub occiduo exiſtente, ſubito & valido niſu per alvum, quae ab aliquibus diebus optimè & naturali modo reſponderat, prius in magna copia materiam liquidam, aquam rubretinctam loturam carnis referentem, uti in fluxu hepatico, & deinde ſanguinem congrumatum atrum, uti in Morbo nigro ab *Hippocrate* dicto per utrumque os toties eliminatur, excrevit; hoc improviſo alvi fluxu cruento conſpurcatus & dejectus aeger omnem ſua cum deſperabunda uxore & attonitis adſtantibus ſalutis recuperandae ſpem abjiciens (maximè cum hac in Urbe ſimili Morbo detentus tali alvi fluxu paucis à diebus vir in flore aetatis conſtitutus, quem à ſiniſtro poculo pro medicamento aſſumpto intoxicatum mendax rumor ferebat, occubuiſſet) me mox advocare jubet, & confeſtim properanti mihi monſtrant bina vaſcula, quorum unum materiâ liquidâ, ſubcruentâ quaſi aquâ, in quâ recens caro lota fuerat repletum erat, aliud ſanguinem in magna copia excretum absque aliis faecibus continebat, & ſub eodem tempore, me adſtante, magnam ulterius cruoris atri congrumati copiam absque torminibus per anum depoſuit aeger, cujus pulſus tam celer & exilis erat, ut illum explorando non niſi tremulum ſentire poſſem, & hic proſtratus miſer ſanguine excreto tinctas manus valde tremulas nobis exhibebat, dejectis cum ſanguine viribus, pallido triſti & ſollicito vultu, ocu-

lis lacrymoſis noſtram opem implorabat, in his rerum anguſtiis, & aerumnis, ſitum aegri erectum ob funeſtum inde oriturum animi deliquium, vel ſyncope prohibui, praeter mucilaginem radicum ſaleb vino auſtero liquidiorem factam ſaepius cochleatim ſumendam, inſuper liquorem anodinum mineralem *Hofmanni* in aquam citratam & vinum acidulum ad plures guttulas inſtillandum & de hoc liquido ſpiritu minerali impraegnato frequenter aegro exhibendum praeſcripſi, de alumine crudo in valida doſi, ſi haec non ſufficerent, in uſum ducendo cogitans, hac nocte bis & manè ſemel alvum depoſuit aeger, cujus materia ex grumoſo ſanguine & ſtercore conſiſtente ſolido combinata erat, hiſſe medicamentis hodie continuatum fuit, niſi quod liquor anodino minerali partibus anaticis elixirium vitrioli pharmaciae Londinenſis, quod & in phthiſi adeo cum aliis laudat *A. de Haen*, addere curavit Dominus collega *Bom*, quem denuo in arte expertiſſimum Virum, ut mecum aegro noſtro medicinam adhiberet, invitaveram, circa meridiem denuo faeces per anum ſtercoraceas paucis ſanguinis grumis mixtas emiſit, & veſperi adhuc ſemel per alvum excrevit merum & figuratum nullo cruore ſociatum ſtercus, quod nobis optimè arriſit, placuit & omnia proſpera ſperare fecit, ſicque his guttulis ex ſpiritibus mineralibus acidis &c. Prius in magna copia & paulatim in parciori doſi exhibitis tute & cito ceſſavit hic alvi fluxus cruentus, ac à Morbo dubio, periculoſo, recidivo chronico tandem convaluit & redeuntibus paulatim viribus priſtinam ſenſim ſanitatem recuperavit, hac ſorte dignus generoſus vir & optimus plurimarum prolium Pater pauperumque hujus Urbis Eleëmoſynarius vigilantiſſimus, quem cum modo expoſitis ne nimis numeroſae & taediosae evadant aegrotorum

torum enarrationes & expoſitiones retuliſſe ſufficiet & quo recenſito aegroto noviſſimo horum hiſtoriae finem impono &c.

EPILOGUS.

Ex allata & exhibita, ex adverſariis noſtris quandoque brevius quandoque fuſius, cum vel absque diariis annotationibus, vel indicationibus curativis continuo relatis &c. deſumpta hac Aegrotorum hiſtoria, quisque Lector Medicus à prima fronte me non modo in aegrotis noſtris tractandis valde activum, ſed & audacem exſtitiſſe practicum ac ſalutaris naturae moliminis immemorem Medicum ac Miniſtrum inferet &c. aſt conſideret antequam aequum judicium ferat is velim, nos in hoc morboſo bello ſaepius rem habuiſſe cum ſubdoloſo hoſte ex Bilioſo-putridà progenie nato, promiſcuè furioſo tumultu ingruente, lautè lateque vagante & eundo novas copias ſeu vires acquirente, cui proindè quò citius eo melius, convenienti apparatu validoque niſu occurrendum erat, nec ſic Hannibal ante portas expectandus erat, vel magis infenſus ac formidoloſus hoſtis noſter confaederato ſeu combinato agmine ex Rheumatico-inflammatoriâ familiâ originem ſumens magno cum impetu incurrens, igniferis ſuis globulis combuſtionem minans, ex quibus natum incendium ſputo minimè exſtinguendum erat, ſed validis armis hoſtilis agminis copiae quam maximè activae infeſtae ac tremendae oppugnandae erant; quibus diſſolutis ac dearmatis reliquae turbae hoſtiles & rebelles ex Bilioſo-putrida gente conflatae in corporis regionibus inferioribus

ribus ac his magis patulis lacunis latitantes ac furibundo impetu concurrentes ac ſepticis ſpiculis bellum moventes aliis atque aliis armis aggrediendae & absque mora quo citius eo melius in fugam praecipitandae & foras ejiciendae erant &c. *u*)

Inſu-

u) Si ob figuram tibiam tubae, ob ſitum ac formam Urbem noſtram arcui intenſo comparare licitum fuerit, huic relativae expreſſioni noſtrae Morbum bello, Medicum belliduci comparanti ſit venia quaeſo, cum adinſtar reipublicae humanum corpus regatur, ac gubernetur omnesque ariſtocratici ſtatûs ordines ad vivum ita effingat atque explicet, ut mirum ſit & contemplari mereatur: civitas enim quid eſt, niſi civilis ſocietas? quid enim corpus humanum, niſi concinna inter ſe conſentientium & conſpirantium membrorum unio? Ariſtocratia nonne optimatum regitur conſilio? & corpus humanum, nonne partium Principum gubernatione atque Imperio? en ignobiliores corporis noſtri partes plebem & operarios deſignant, ac referunt, hi parére apti viliora obeunt munera; & infimae partes manus praecipuè & pedes & in his articuli omnia exequuntur in corpore humano ſervitutis miniſteria. Otioſos ac ſuperfluos homines excrementitii humores, qui diu retenti inter ſe coeuntes confluentes, vel exorbitantes ac rebelles reliquis aſſimulari vel corrigi neſcios referre nemo ibit inficias, cum hi, ut illi exleges, novarum rerum peſſimo conſilio veluti cupidi frequenter in noſtro corpore, ſeditiones ac tumultus excitent ac foveant. Spiritus nonne cum reliquis animae potentiis militum ad cuſtodiam & defenſionem paratorum ideam exprimunt? Nam ſi paſſione animi aliqua, vel gravi affectu afficiatur corpus ut v. g. irâ, nonne confeſtim hos ſpiritus animales exilire velut hoſtem invaſuros contigit vel intus revocari, metu v. g. vel maeſtitiâ ad metropolis ſeu cordis tutelam? quid igitur ſanguis? hic annona, hic commeatus eſt intra venarum horrea repoſitus ad noſtrae originalis ut ita dicam reipublicae alimoniam. Quid inſuper, ventriculus? niſi primarium em-

Inſuper ex adjuncto & expoſito aegrotorum noſtrorum Cathalogo, me ex illis quoque eſſe Medicis ſuperbis & cautis, qui felices eventus qualicumque modo in praxi operatos ac contigentes pleno ore proclamant ac divulgant ſiniſtros vero ac funeſtos alto ſilentio premunt ac quantum poſſunt abſcondunt, ſinguli Lectores reputabunt; ſed hos monitos velim, me toto hujus Anni 1772. curriculo ne unicum quidem deſideraſſe aegrotum hac Febre graſſante detentum, cui ab ipſo morbi exordio Medicinam feci, raro quidem, ſed vero tamen in numeroſa praxi fortunio, quo ob quamplurimas rationes & rerum circumſtantias nobis & Medicis nobis multo licet prudentioribus & expertioribus frui haud ſemper contingit. nec eſſe in Medico ſemper relevetur ut aeger qualiscumque ab omni Morbo diximus &c, Interim & hos ex hac Febre aegrotos diu neglectos, vel malis artibus à Pſeudo-medicis tractatos &c. ad quos vocatus fui & non obſtante noſtro miniſterio ac his Medicinam faciendi modo mortem cum vitâ commutantes. & jam antea pro magna parte pro exemplis ſuis locis expoſitos in hac noſtra aegrotorum enarratione ulterius ap-

emporium ac laboratorium, ad quod indies nova merces vehitur elaboratur, quo in vigore floreſcente regio ditatur, viget & opulenta fit, quo vero languente tota natio extenuatur, tabeſcit ad tandem perit. Quid longus ille anfractuoſus ac fabricâ varius admirabilis inteſtinorum canalis? quam via publica & regia ad intima regionis penetralia utilibus pandens & facilitans iter, vel peramplus ille commeatus omnibus extraneis, tumultuoſis, ſcopis diſſolutis, exilio dignis ad portam civitatis extimam recto tramite ducens & urgens &c. facile quidem ſed nimis longum foret ſi ſingulas corporis partes ulterius ſic comparare vellem &c. Quid igitur in hac Analogia peccatur? ſi pax ſanitati, Morbus bello Medicus Belliduci &c. comparentur.

poſuiſſem, niſi valde manca & parum docens foret talis Morbi expoſitio, cujus initium, incrementum & quae in aegro anteacta fuerunt &c, ignorantur; cum haec potius ſiniſtrum Morbi effectum ac eventum, quam ipſum genuinum Morbum referat ac exhibeat. Denique ut verum fatear & me hominem cum caeteris parem exiſtimem, nos fata manêre noſtra, & ſic non aeque feliciter in praxi ſemper exiſtere ſincero animo dixiſſe ſufficiet. Porro tum ex Febris popularis noſtrae deſcriptione, tum ex aegrotorum noſtrorum hiſtoriis expoſita, vel noviſſimus apollinis artis alumnus primo intuitu has perſcrutans percipiet, me in hujus conſtitutionis epidemicae aegris hac Febre detentis ab ipſis Morbi primordiis curae noſtrae commiſſis non modo methodo alterandi, ſed & emeto-catharticae faviſſe quam poſteriorem, uti experientia ſaepè ſaepius obſervavi & annotavi, ſi nihil obſtet ex parte aegri vel Morbi, noſtri facile ferunt. Inſuper & me in hujus Febris exordio à phlebotomiâ in aegris celebrandâ minimè abhorruiſſe quotiescumque aliqua indicatio in hoc Morbo, vel aegri corpore aderat hanc requirens, extorquens vel urgens, cui ſanguinis per venas evacuationi noſtri valde aſſueti facile acquieſcunt. Licet interim aliqui admodum ſcrupuloſi & excellentes in arte viri, Medici, Profeſſores in Febrium continuarum maximè malignarum dictarum curatione in harum quoque initio valde reſervati & meticuloſi ſint à medicamentis vomitum valido niſu excitantibus, uti ſunt cum antimonio ac tartaro ab emeſi dicto praeparata &c. & quamquam praeclari ac graves in re medica Doctores ac Authores in aegrotis quibuscumque hujus genii Febribus detentis, ſanguinis per venas detractionem etiamſi tempeſtivè celebratam ut ut indicationes adeſſent hanc quaſi requirentes in horrorem habeant, vetent ac planè quaſi proſcribant, quos ſingulos & ſuas

pre-

prementes rationes ac convincentes experientias habuiſſe, ut ab his valde activis evacuantibus remediis dictis & magnis toties in Morbis curandis Medicorum ſuffulcris ſub certis harum Febrium conſtitutionibus in aegrotis tractandis timerent ac abſtinerent haud diſſentio ſed firmiter credo: hinc noſtram medendi normam, quam in aegrotis curae noſtrae commiſſis obſervavi ac tenui exhibendo ac proponendo hos non arguo, vel taxo; quamvis enim haec noſtra methodus exhibita fuerit, quà Febres Billioſo-putridas apud nos his annis perfrequentes tractavi, quae adhibita ferè ſemper pro voto noſtro ſucceſſit, hinc tamen candide Lector ne coniicias vel inferas, ullam dari in omnibus Morbis praeſertim epidemicis ſub varia facie larvata, vel genio diverſo apparentibus &c. certam methodum medendi, quae perpetua ſit & quae inconſiderate ac promiſcue in omnibus rerum circumſtantiis aeque tutò applicetur, ſerio Author ſum. Ab illo qui artis limites velit promovere, Morbi hiſtoria, maximè vero corporis aegrotantis & cauſae Morbum facientis ſolicitè conſideranda ſunt. Eandem ſemper methodum ſingulis adhibere munus agyrtae, Morbo vero primario & ſymptomatibus quam maximè urgentibus indicata remedia praeſcribere experti Medici officium eſt; ſicque ut variant Morbi pariter variabimus artes &c. *x*) Adeoque

x) Licet verum fixumque maneat axioma, quo iidem Morbi, iisdem remediis curari, declaravimus; attamen Morborum praeſertim epidemicorum genera variare plurimum ratione temporum anni, tempeſtatis, regionis, aetatis jam Medicinae Parens *Hippocrates* multis ſuorum Operum locis abundè demonſtravit, quod omnes illi, qui *divini Senis* veſtigia preſſère una eademque voce confirmarunt: quod magis conſtat, dum horum Morborum cauſa externa procatartica, miaſma vel aliquid

que ſi in praxi hac noſtra tradenda, quibusdam magni nominis & ominis viris in re medica diſſentiens viſus fuerim illos ſummo honore & amore uti decet proſequor

quid aliud morboſum in hoc atmoſpherae noſtrae oceano nidulatur, quod inſpirando trahimus, quodque variis modis ut v. g. phyſicè, mecnanicè &c. peccare & ſic Morbos inferre experimur. Inſuper excellisſimus elegantiſſimo ſcribendi modo *Celſus* priſcorum Monumenta colligens *differunt pro natura regionum* (ſolitâ ſuâ facundiâ exarat) *genera Medicinae, ut aliud ſit opus Romae, aliud in Ægypto, aliud in Gallia* &c. Quod in primis verificatum eſſe obſervatur in illis Morborum generibus quae in aliis terrae regionibus gravius, in aliis levius communiter ingruere & ferire aſſueſcunt, taliaque in praxi annotavimus dum in frigidis proportione minus quam in calidis regionibus graves labes eſſe ex nocivis effluviis uliginoſo-paludoſis profluentes exhibuimus. Porrò & legitimus divi Parentis *Hippocratis* filius ac redivivus ex obſervationibus procreatus Medicinae nutritius *Sydenhamus* de Morbis epidemicis cap. II. pag. 21. ait: *Morbos hoſſe, ut ut externa quadatenus ſpecie & ſymptomatis aliquot utrisque pariter ſupervenientibus convenire paulo incautioribus videantur, re tamen ipſa, ſi bene advertis animum, alienae admodum eſſe indolis, & diſtare vt aera lupinis* &c. . . . Et parum poſteà idem aſſerit, *hoc ſaltem ſe pro comperto habere ex multiplici accuratiſſimarum obſervationum fide, praedictas Morborum ſpecies, praeſertim Febres continuas in toto quod ajunt caelo differre, ut quâ methodo currente anno aegrotos liberaveris eâdem ipſâ jam vertente forſitan è medio tolles* &c. Quae monita toties vera comperimus, dum v. g. dictae Febres ſub larva alterius ludentes incautos decipiunt, dumque v. g. hae Febres, quae ingruente anno vernales dicendae de genere inflammatoriarum, anno jam vertente autumnales nuncupandae ſunt, ſub iisdem ferè ſignis ob varias cauſas antecedentes & praediſponentes degeneratae de genere Bilioſo-putridarum &c. exiſtentes; hinc in his rerum anguſtiis ne curae noſtrae commiſſi aegri vitâ periclitentur ac occum-

quor. Sed genuinam Febris noſtrae hiſtoriam, curandi methodum tradere &c. mihi magis ex animo eſt. Confido igitur quod peritus & generoſus Lector hocce opuſculum aequi bonique conſulat, quod ſub ſpeciminis Medico-practici nomine divulgatum magis quidem elaboratum, in meliorem ordinem redactum nec non elegantiori ſtylo concinnatum deſideraſſem & fortè exhibuiſſem, ſi ad hoc perſcribendum & lectitandum opportunum tempus & requiſitum otium nobis ſuperfuiſſent. Aſt privato-domeſticis & Medico-practicis negotiis ſaepius occupatus, interpellatus, diſtractus, perturbatus, vel cohibitus, hocce colligens, exarans & conſcribens haud raro varia rem noſtram ulterius exponentia illucidantia, vel confirmantia &c. Volante & toties retento calamo praetermiſi, vel ſuperaddidi, ſicque aliquoties deſideranda omiſi, quaeve commodiori in loco reſervanda fuiſſent praecipitavi, moxve apponenda retinui, vel praetervifa ac notanda poſito aſteriſco ſubnexui, vel alibi delineata vix immutata pleno taedii ſtylo repetivi, ſicque biscoctam, aduſtam, vappidamve crambem ad nauſeam usque ingerendam delicatioribus obtuli. Porro Authorum nomina, vel horum librorum paginas locos, quorum verbis documentis & ſententiis in hoc opuſculo colligendo & conſcribendo promiſcuè uſus fui ſciens citare & apponere ſaepè neglexi, Poëtarumque licentias quidem, ſed non ita horum phaleratas voces, rethorumve ſaepè comparationes ac circumlocutiones, aſt vix illorum occurrentes verborum lepores ac orationum flores in hoc exponendo & exarando interpoſui & imitatus

cumbant, Aphoriſmos *divini Senis* & immortalis *Boerhavii* adeamus oportet, in quibus regulas certas & charactereres reperiemus ad hos Morbos detegendos ac diſtinguendos & quibus ſedulo perpenſis, vix in his ritè tractandis aberrare poterimus.

tus fui. Igitur hiſſe ſingulis utut duris incongruis, ſuperfluis barbarisve poſitionibus, dictionibus, vel ſenſibus nobis indulgeat benignus Lector, cui è meliori luto praecordia plaſmavit titan, quam de hiſſe deprecatam abſolutionem me ab illo impetraturum haud diffido, ſi conſideret & perpendat quod me non Artium Doctorem, vel Medicinae Profeſſorem, ſed ſolummodo Medicum practicum Licentiatum, hiſſe me ipſum ex profeſſo erudientem & alios rudiores artis alumnos hâc occaſione data inſtruere intendentem in primo hujus ſpeciminis limine praeloquens confeſſus fuerim &c.

Denique ſuperſtites naevos, mendas & errores, ut v. g. litteras malèpoſitas, omiſſas vel luxuriantes, talesque interpunctiones vel errata graviora avertere quidem deſideraveram, ſed dolens in relectione hujus noſtri Opuſculi typis impreſſi mendoſos errores praetervifos, incorrectos numero haud paucos deprehendi, quorum in cauſa fuerunt ex parte noſtrâ in corrigendo inadvertentia & negligentia, & ex parte Typographi in annotatis emendatis Allucinatio & incuria, ſed à primo aevo ſic ſeſe excuſaverunt Protoparentes noſtri; igitur de hiſſe &c. veniam rogo, quosque in perfunctoriè relegendo hoc è praelo tradito exemplari annotavi praecipuos, à nobis repertos & annotatos ut infrà appoſitos corriges, quosque ulterius deteges benigne Lector, pro tuo judicio & aequanimitate emendare, ſupplêre vel delêre digneris memor illius Luciani: *hominis eſſe peccare, Dei verò aut viri Diis proximi errata corrigere.*

VI. ADOLPH.

VI.

ADOLPH MURRAY,

M. D. Anat. & Chir. Prof. R. & O. &c.

& Reſp.

GABRIEL BONSDORFF

DISS. ANATOMICO - CHIRURGICA

de

CIRSOCELE.

Upſaliae, 1784.

DISSERTATIO ANATOMICO CHIRURGICA

de

CIRSOCELE.

PROOEMIUM.

Morborum Scroti & Teſtium deſcriptiones qui perlegerit, & antiquorum circa ſedem & naturam eorundem opiniones cum recentiſſimis comparaverit, nullo obſervabit negotio, non omni tempore eandem de his Morbis propoſitam fuiſſe theoriam, nec eandem in levandis illis medelam. Quae quidem varietas, ſi morbi etiam alii quam plurimi conſiderentur, eſt obvia; veteribus enim haud raro impedimento erat imperfecta ſtructurae corporis ejusque functionum cognitio; tum permultis praejudicatis circa morborum cauſas ſententiis usque eo abrepti deprehenduntur, ut neceſſe eſſet poſt ſecutis medicis, ubi veriora repererant, ab illis diſſentire. Sed tamen morbus ſi ſpectetur, quem nunc deſcribere eſt animus, adeo non deſerenda obſervamus, quae de illo veteres docuere, ut, quod ſane mireris a Celso tradita ejus explicatio, ob ſuam cum phaenomenis obſervatis & ſtructura partium convenientiam, adhuc dum veluti vigeat, & a recentiorum repititis obſervationibus novum robur accepiſſe videatur. In ſedem ſcilicet & geneſin hujus affectus inquirentibus, quaeſtio illa ſeſe offert enodanda, utrum a Venis Sper-

Spermaticis tumefactis, ut vulgo cum Celso creditur, an potius ab Epididymide turgida & diſſoluta Tumor hic capiat originem.

Hac vero diſquiſitione, in cura morbi inſtituenda maxime neceſſaria, quis unquam ſine ſubtiliore partium cognitione, ſine accurata deſcriptionum a fide digniſſimis Obſervatoribus exhibitarum ponderatione, & ſine ſcrupuloſiore aegrotorum eo morbo affectorum examine, defungeretur? Utramque enim theoriam ſpecioſis niti argumentis, & ſuam prae ſe ferre veri ſimilitudinem certiſſimum eſt, ſed ſi quis error in alterutra opinione ſubrepſerit, is inde ortum forſan duxit, quod hicce morbus cum aliis ſaepiſſime conjungatur, atque rarius Chirurgis contingat, illum a primo ortu per omnia ſua ſtadia examinare.

Quum igitur nonnulli Cirſocele laborantes curae D. Praesidis ſe ſubmiſerint, & ego diu ambiguus haeſerim, utri opinioni ſit aſſentiendum, meditationes qualescunque, de hujus morbi natura in Specimine Graduali jam edendo proponere conſtitui; idque ea ratione, ut partium hoc morbo affici ſolitarum, deſcriptionem praemitterem. In hac quidem exhibenda immortales Viros Regnerum de Graaf, Alexandrum Monro & Hallerum tantum non omnem abſolviſſe paginam fatendum eſt, quum vero ſententiae circa Morbi geneſin robur ex Anatome ſit petendum, apud Lectorem, minus in arte verſatorum, gratiam me hac digreſſione, perſpicuitatem adjuvante, initurum ſpero.

DE-

DESCRIPTIO ANATOMICA FUNICULI ET TESTIS.

Faſciculus vaſorum, quem ob ejus cum fune ſimilitudinem uſumque *Funiculi Spermatici* nomine inſignіverunt Anatomicae Scientiae Patres, etſi mediocris ſit craſſitiei, magnam tamen continet omnis generis vaſorum copiam. Cute atque tunica extima cellulari, quam darthos nuncupant, ablata, teres ſtatim funiculus, molli tantum cellulari textu partes coërcente obvolutus, offenditur, ejusque ab annulo abdominali ad teſtem obſervatur progreſſio. Adcuratius vero rem perluſtranti mox tenuis muſculoſa vagina, extus chordam obducens, in conſpectum venit, quae demum, extimam teſtis membranam formatura, membranae vaginali teſtis veluti adglutinatur. Tela vero cellularis illam cum vaſculis intus latentibus jungit, eaque poſtmodum, inter omnia circumrepens vaſa, in vaſculorum comitatu teſti immittitur, atque etiam cum areolis telae cellularis peritonei diffunditur. Ex latioribus laminis contexta eſſe videtur, unde areolae ejus, aëre repletae, bullas ampliores formant, eaque ipſa a nonnullis *Membrana vaginalis* funiculi fuit appellata.

Funiculus ipſe ex vaſis arterioſis, venoſis & lymphaticis conflatur, quibus immiſcentur nervi, atque poſtica in parte adjungitur vas deferens. A praedicta muſculoſa membrana illud minus obtegitur, ſed proprium videtur acquiſiviſſe faſciculum carneum, a priori vagina ad vas illud, quod obducit, aberrantem. Craſſities funiculi in abdomine ſenſim ita decreſcit, ut prope renes ex binis vel tribus tantum vaſculis formatus inveniatur.

Quod ad vaſa in genere ſpectat, horum nonnulla, in teſte ejusve funiculo conſumta, proprie ad teſtem pertinere, alia autem aliis partibus dicata eſſe, adeoque improprie Spermatica dici, obſervamus. Eadem de nervis valet obſervatio.

ARTERIARUM princeps eſt *Spermatica*, quae ex Aorta nata, ſub ſuo per abdomen pone peritoneum deſcenſu ſurculos quidem ad adipem renalem, duodenum, meſocolon, uretheres, peritoneum, glandulasque lumbales dejicit, et extra annulum ramulos, in cremaſtere, tela celluloſa funiculi, tunica darthos, vaſorum membranis ſeptoque ſcroti oberrantes emittit; demum tamen prope teſtem, priore diametro conſervato, in quinque diſpeſcitur ramos, quorum tres ſubſtantiae teſtis, reliqui epididymidi immerguntur. Arteria *ſpermatica altera*, quae ſaepe deſideratur, ab *obturatoria* vel *epigaſtrica* enaſcitur, dumque annulum permeavit, in plures dividitur, arterias, in cremaſterem, adipem pubis, darthon, funiculi maſſam, epididymidem, tunicamque vaginalem dimittendas, atque etiam plures init cum arteriis *pudendalibus* conjunctiones. Hae vero cum a *femorali*, tum a *pudenda communi* ortum ducunt. Priores nomine *pudendae externae ſuperioris*, *mediae & externae inferioris* inſigniuntur, praeterque alios ſurculos, quosdam ſcroto & ſuperficiei funiculi largiuntur. Reliquae autem, ab arteria *perinaea ſuperficiali & dorſi penis ſuperficiali* propagines quasdam; cum prioribus omnibus plus minus frequentes copulas ineuntes, ſcroto & interiori atque poſteriori ſuperficiei funiculi injungunt. Sed haec de arteriis.

VENARUM diſpoſitio, etſi vario modo cum arteriis conveniat, ſequentia tamen heic prodit memoranda

randa. Eae ſcilicet, quae ex teſte, tunica eius vaginali atque epididymide praecipue prodeunt, dum a funiculo, cujus primariam conſtituunt craſſitiem, recipiuntur, in plures inſignes & ſub progreſſu veluti multiplicatos abeunt trunculos. Hi faſciculo collecti, ſub *plexus* vel *corporis pampiniformis* nomine noti, inter pſoam muſculum & peritoneum, atque pone flexionem iliacam in ſiniſtro latere, ad renes ſenſim ſeſe conferunt, ſed ſimul ita inter ſe confluunt, & numero decreſcunt, ut demum ex omnibus unicum tantum vaſculum, duas fere lineas latum, dextrum quidem in *vena cava*, in *vena renali* ſiniſtrum aperiatur. Si vena ſpermatica ſiniſtra, quo venam cavam attingat, transgreditur aortam, hujus vehementior pulſatio non poteſt non transgreſſui ſanguinis impedimento eſſe. Siniſtra etiam plures, qua finis locum, offert varietates, quam dextra. In utroque tamen latere duplices & triplices, & tam in *vena cava*, quam *renali*, vel *lumbali* quadam & *azyga* deſinentes, obſervarunt Anatomici.

Diametrum trunci prope inſertionem multo arctiorem eſſe amplitudine ramorum communi, quisque intelligit. Sed praeterea hicce plexus id ſingulare offert, quod numeroſae & incerti numeri & magnitudinis venae prope teſtem duplices forment faſciculos, quorum is, qui ex teſte prodit, ab altero ex epididymide & tunica vaginali collecto, & in vaſis deferentis ſodalitio ſuperiora petente, ſejunctus apparet. Paulo ſuperius tamen ramis lateralibus coëuntibus invicem conjunguntur, ſimulque alterius faſciculi venae eodem modo inter ſe copulantur; ita ut, ſi artis ope liquoribus repleta maſſa aliquantum disjungatur, illa irregulare veluti rete formare videatur. Obſervamus ea encheireſi etiam majoribus trunculis minores eſſe immixtos et ramos illos conjungentes ſitu, magnitudine, directione infinite variare, multis tamen ſerpentinis et in gy-

 ros

ros ductis ramis maſſae volumen audaugeri. Ex pluribus minoribus venis major ſaepe conflatur truncus, jam vero iterum is ſaepe in plures ſe findit ſurculos. Tunicae vaginalis autem venae, dum in membrana hac circumrepunt, ſingulare rete formant, quod demum in majores ramos abit, cum plexu epididymidis, ut diximus, connectendos. Statu integro et ſano trunci majores diametrum lineae dimidiae parum ſuperant, ſed a minimo in circuitu ſanguinis impedimento cito citius intumeſcunt, & naturalem amplitudinem multipliciter ſuperant. Injectione anatomica minores ramos ad calami ſcriptorii magnitudinem facillime extendimus, inque morbis idem cito fieri, quotidiana teſtatur experientia. Obſervavit etiam Illuſtr. HALLER *a*) venae cavae trunco infarcto, venam ſpermaticam ad pollicis magnitudinem dilatatam, omnem inferiorum articulorum ſanguinem ad cor transmiſiſſe.

Venis ſpermaticis in abdominis cavo venae quaedam lumbales, adipoſae, renales & urethericae, & extra annulum plures venarum pudendarum ſurculi adjunguntur. Nam arteriarum more *vena epigaſtrica, ſaphaena externa & pudenda communis* ſurculos pudendos externos plures, etſi numero variantes, recipiunt, qui in cute ſcroti, ſepto et dartho circumerrant, & quorum nonnulli, a cremaſtere & funiculo ſuos petentes natales, cum plexus pampiniformis ramis communicant.

Valvulis haecce vaſa eſſe munita nemo, qui antiquorum & recentiorum de iis exhibitas deſcriptiones, iconesque ab Illuſtri MONRO factas attente examinaverit, in dubium vocabit. Id tamen obſervandum, ſubcutaneas venas, quam corpus pampiniforme, frequentioribus praeditas eſſe ejusmodi munimentis, inque illo majores tantum trunculos, locis longius a ſe invicem re-

a) Opera Pathol. Obſ. XXIV. Opera min. T. III. p. 304.

remotis ditari. Hinc Ill. MONRO valvulas has deſcribens aſſerit „ ſe in hac vena & numero & loco varias inveniſſe, vel ſcilicet ad oſtium, vel in venae trunco infra oſtium, vel in ramis majoribus, in plerisque unum tantum par, in aliis duo, in aliis quinque ad ſex paria. "

VASOSUM LYMPHATICORUM inſigni copia hic collectorum faſciculos, ordines veluti formare duplices, quorum prior ex teſtis ſuperficie, albuginea atque funiculi tela cellulari erumpit, alter vero ex intima teſtis carne ſuas radices educit, ſubtilior docuit Anatome. *b*) Tum autem haec per funiculum, latius ſparſa, cum illo ad abdomen ſeſe conferunt, quo commune demum chyli receptaculum attingant. Profundius in funiculo latentia vaſa, ad quinque usque ex ipſo teſtis rete emitti Ill. MONRO narrat, qui, vas deferens & epididymidem mercurio currente repleturus, ea ſimul ex improviſo impleta vidit: immo etiam Cl. NICHOLLS flatu eadem vaſa, contuſo prius teſte, viſibilia reddidit. Ab his ſuperfluum & ad veſiculas ſeminales non delatum prolificum liquorem abſorberi poſſe vix dubito; ſuſpicor tamen illorum ope tenuiorem & aquoſiorem tantum liquorem abduci, craſſiorem vero per *vas* illud *deferens ſecundum*, quod Ill. MONRO detexit quodque ut res mihi viſa eſt, ex epididymidis cauda eſt derivandum, excerni. Ullas, neque Ill. FELICI FONTANA, cujus felicem in detegenda partium ſubtiliori ſtructura ſucceſſum agnoſcimus, nec mihi contigit in hoc ductu, ut Ill. MONRO; valvulas obſervare, ſed frequentiores & preſſe ſibi invicem adpoſitas flexiones vaſculo noduloſam tribuere ſuperficiem.

b) Circa ortum & variam vaſorum lymphaticorum naturam Clariſſimi JANI BLEULAND *experimentum, quo arteriolarum lymphaticarum exiſtentia probabiliter adſtruitur*, Lugd. Bat. 1784. legi meretur.

em. A funiculi vaſis circumcinctum prope vas deferens majus ad annulum adſcendit, tum vere oculorum aciei ſeſe ſubtrahere videtur; utrum vero, ut ego quidem crediderim, jam a vena quadam adjacente recipiatur, an in vena quadam lymphatica ſe exoneret, dictu erit difficile. Narravit mihi D:nus PRAESES ſe in Cirſocele cum Spermatocele complicata, tam hocce vaſculum, quam vas deferens primarium per plures dies turgidum ſenſiſſe, quo ſimul tempore ipſa teſtis ſubſtantia cum dolorifica tenſione increſcebat.

NERVI ſummam ſentiendi vim teſtibus & ſcroto ſuppeditant, qui ſubtiles licet, ex variis colliguntur radicibus, varia ratione ortum ducentibus. Singulari nempe *plexui ſpermatico*, ex quibusdam plexus renalis, meſenterici medii, & ipſius trunci intercoſtalis nervis conflato, alii a primo, ſecundo & tertio pare nervorum *lumbalium*, alii a nervo *pudendali ſcrotali* orti, ſeſe adjungunt. Plexus ipſe in abdomine vaſis ſpermaticis ſe admiſcet, cumque illo per annulum excurrens teſtem attingit, huicque demum & epididymidi ſe pluribus ſurculis immergit. Prior & anterior 1:mi 2:di paris lumbalium ramus per annulum ad funiculum migrat, quidam autem ejus ſurculi in ſcroto conſumuntur, pauciores in ipſo funiculo. Alius vero major ex ſecundo pare viam ad ſcrotum ſub arcu crurali ſibi parans, plures fibras ad cutem eiusdem atque alias, ad funiculum teſtemque derivandas, dimittit. Eandem viam alius nervus legit ex tertio pare productus; ſed omnes hi nervi id commune habent, quod inter ſe vario modo irretiantur. Nervus *pudendalis ſcrotalis*, qui ſuas ex oſſis ſacri nervis radices colligit, eo modo nervos funiculo & teſti impertit, ut truncus, tuberis iſchii marginem relegens, antrorſum faſciculum nerveum emittat, partim in ſcroti poſteriore globo, partim etiam in funiculi poſteriore ſuperficie conſumendum.

Ex

Ex his fibrillis quasdam inter epididymidem & teſtem curſum ſiſtere obſervavi.

Haec, quam dedi, nervorum enumeratio, quae certe digniſſima eſt, ut ulterius anatomicorum ſcrutinio ſubjiciatur, cauſſam ſufficienter explicat maximae ſenſibilitatis in teſte reperiundae.

STRUCTURA interior teſticuli ampla hic diſcuſſione non eget. Notiſſimum eſt, pulpam ejus ex flavo & rubicundo cineream in plures lobos per ſepta fortiora, a teſtis albuginea ejecta & vaſcula conducentia, eſſe diviſam; hos vero lobos a faſciculis longis ductuum ſeminiferorum, molliſſimorum & intortorum formari, eosque ductus, calculi communi comprehenſos, longitudinem 5208 pedum conficere. Ductus ipſi, prout animalia plus minus voluptatibus ſint dedita, vel caſte vivunt, vel etiam ad veneris uſum uberius incitantur, magnitudine variant. In adoleſcentia & ſenectute etiam tenuiores ſunt, quam virili aetate, ubi maxime turgent. Ab hydrocele interna & ſuppuratione vel in liquamen reſolvuntur, vel etiam ſejuncti & diſſoluti exareſcunt. A nimia vero humorum copia interdum diſtenduntur & craſſeſcunt, ſed tam arcto ſemper gaudent lumine, ut omnem per epididymidem injectam materiam reſpuant. Ad ſuperiorem teſtis oram ſenſim demum delati, rectius incedunt, atque ita *vaſa* ſic dictae *recta* formant. Haec inſigniter increſcunt, ſimulque ſe *corpore Higmoriano* immergunt.

Formatur illud corpus ex parallelis, undulatis, inter ſe communicantibus atque cellulari tela revinctis vaſis, & per longitudinem teſtis in loco, quo epididymis illum obtegit, ſub albuginea extenditur. Sicut vero illud ab inferiore parte vaſa recta recipit, ita etiam *vaſa efferentia* in epididymidem ablegat. Haec ad triginta usque recto quidem ductu albugineam penetrant, tum vero ſingulari ratione contortuplicantur, gyrique

eorum celluloſa tela revincti, glomos formant conicos, quorum baſes extra teſtem ſuperiora ſpectant. *Conos vaſculoſos* appellavit Ill. HALLER, & omnes ſimul ſumti & ab albuginea tecti, caput epididymidis formant.

Conorum vaſa ſenſim in unicum vas confluunt, quod, licet externe craſſius, reapſe tamen arctiore gaudet lumine, quam vaſa efferentia. Anguſtia vero ejus longitudine compenſatur. Etenim haec, contortionibus ejus maceratione evolutis, triginta pedes aequat. Tota epididymis, teſti impoſita, & in caudam attenuata, ab unico hoc longiſſimo vaſe conflatur. Sed hoc ipſum prope caudam lumen amplius acquirens & minus tortuoſos formans gyros, in *Vas deferens* abit. Gyri ſcilicet ultimi majores, ex cauda educti, marginem epididymidis ad caput usque relegunt, tumque vas perfecte rectum in poſteriore funiculi ſuperficie ad annulum contendit, & per illum in abdomine pone veſicam ad veſiculas ſeminales properat. Id praeterea ſingulare prodit, quod, exigua licet tantum ſeta in ductum ſubeat, tenaciſſima & firmiſſima ejus membrana diametrum illi lineae integrae tribuat. Oſtium ejus arteriarum inſtar riget & difficilius comprimitur. Ductui huic vim ineſſe ſingularem elaſticam, ita ut diſciſſi ejus fines velocitate quadam contrahantur, obſervavit Cel. AD. FREDER. VOGEL. *c*)

DENOMINATIO MORBI.

Qui omnes morbos ad certas referendos eſſe claſſes putarunt, Cirſocelen Herniarum ſpuriarum phalangi adſociare non dubitarunt, utpote morbum a vaſis

c) Chirurgiſche Wahrnehmungen, Saml. I, 1778. p. 59.

vaſis ſcroti & funiculi varicoſe tumentibus natum, & cum aliis has partes adgredientibus herniis cognatione junctum. Crediderunt tamen ſigna collecta illam ab omnibus aliis nullo diſtinguere negotio. Quam parum autem criteria haec ſuffecerint, & quam parum emolumenti Diagnoſis ex diſtinctione morbi in novas ſpecies, quam auctores illi dederunt, ceperit, ipſa eorum ſcripta ſatis ſuperque indicant. CORNELIVS CELSVS *d*) hanc unam ex omnibus Herniis *Ramicis* nomine deſignat, additque eam Graecos κιρσοκήλην appellare, cum venae intumeſcant. Quas intortas & conglomeratas, jam ſcrotum implere, jam vero teſtes eorumque nervos (funiculos) adgredi, ſimulque teſtem deducere & emaciare, utpote alimento amiſſo, aſſerit. Diſcrimen vero, quod circa locum affectum CELSVS adnotavit GABRIELI FALLOPIO *e*) & FABRICIO AB AQVA PENDENTE *f*) anſam dedit, ut morbum, quem *Herniam varicoſam* appellarunt, in ſpecies diſtingverent: ita ut eam *Herniam* proprie *varicoſam* is nominaret, in qua vaſa in exteriore parte burſae dilatata eſſent, alteram vero *Ramicem*, dum in interna ſcroti parte intumeſcerent; hic vero in in cura morbi advertendum eſſe dicit, quo in loco conſiſtant varices, num in venis ſcroti, vel tunica proxima darthos, aut in vaginali, aut corpore ipſius teſticuli. Tumida itaque haec vaſa cum varicibus compararunt, atque antiqua morbi denominatio, *Ramicis* ſcilicet *varicoſi*, *Cirſoceles* & *Varicoceles*, quam ad noſtra tempora delatam videmus, novam non amplius ſubiit mutationem.

Sed veterum memorata morbi in ſpecies diſtinctio

 recen-

d) De Medicina, cura Almeloveen, Roterodami 1750. p. 458.
e) Opera genuina, Venetiis 1606. T. III. p. 96.
f) Opera Chirurg. Patavii 1647. T. I. Lib. I. Cap. XXIII. & XXX.

recentioribus etiam arriſit bene multis, diverſis nominibus aliam tantum ſignificationem tribuentibus. Sic per *Varicocelen* & *Cirſocelen* diverſas intelligebant ſpecies & his demum addebant *Spermatocelen*, in qua ſimilis turgeſcentia in vaſculis genituram ducentibus oboritur. Per *Varicocelen* itaque Celeberrimi Viri DIONIS, *g*) VILLARS, ELLER, *h*) SHARP, *i*) POTT, *k*) ALEX. MONRO, *l*) TANARON, *m*) CALLISEN *n*) alii, venarum ſcroti atque darthos intumeſcentiam ſignificabant, & per *Cirſocelen* venarum funiculi, teſtis, membranae vaginalis eiusdem, atque epididymidis turgeſcentiam. Quod ad *Spermatocelen* attinet, cujus tamen ſpecialis inveſtigatio minus ſcriptores occupaſſe videtur, eam quidem in epididymidis & teſtis vaſculis ſpermaticis reſidere arguunt, ſed num vaſa haec eodem ac venae modo dilatentur, vel potius tantum totum corpus expandatur, non diſtincte ſatis omnes docere videntur. Sic Cel. LE DRAN *o*) cauſſam mali etiam capiti gallinaginis adſcribens, intumeſcentiam molliorem epididymidis ſpermatocelen appel-

g) Cours d' Operations de Chirurgie, Paris 1750. p. 377.

h) Vollſtaendige Chirurgie, Berlin 1763. p. 672.

i) Recherches crit. ſur l'etat de la Chir. trad. par Jault. Paris p. 124.

k) The Chirurgical Works, London 1779. Vol. II. p. 423.

l) Medical Eſſays d' Edinbourg vol. V pars I. ed. germanica p. 407. Is tamen nomina ſpecierum ita ſubvertit, ut Cirſocelen appellet id, quod alii Varicocelen nominant.

m) Opere Chirurgiche, Lucca 1763. T. II. p. 188.

n) Inſtitutiones chirurgicae, Hafniae 1777. p. 159. 175. Varicocele tamen apud illum genus ſingulare conſtituit, cujus ſedes ad vas deferens epididymidem & teſtem deducitur, & Cirſocele ſpeciebus Sarcoceles adnumeratur.

o) Conſultations ſur la plus part des Maladies de Chirurgie, p. 380.

pellat. Cel. PORTAL *p*) autem in hoc morbo, quem a varicocele probe diſtinguit, vaſa ſperma ducentia teſtis, epididymidis eaque, quae a funiculo jam recepta ſunt, turgeſcere ſtatuit. ALEXAND. MONRO & CALLISEN harum partium turgeſcentiae duritiem inſolitam adjungunt, quam a tranſitu ſeminis per vas deferens impedito oriri dicunt. ZACH. VOGEL *q*) demum ſpermatocelen epididymidis ab illa, quae totum teſtem occupat, diſtingvere cupit, & obſervatione pulcherrima docet, vaſis ſangvineis ſanis nodisque deſtitutis vas deferens durum fuiſſe & plane obſtructum: epididymis quoque triplo majorem induerat magnitudinem, teſtisque tumefacti ſubſtantia ferme diſſoluta fuit. Etſi igitur de tumoris natura & vaſculorum commutatione nondum perfecte ſimus edocti, morbum tamen ſiugulare conſtituere genus videmus.

Sed diſtinctio morbi in Varicocelen & Cirſocelen mox inter plures obſolevit. Cum enim dilatationes venarum ſcroti nihil ſingulare & quod ab aliis varicibus differret, oſtendant, & praeterea, ut monet Celeberr. SHARP, *r*) varices ſcroti ſymptomatice tantum in morbis ejusdem, venas dilatantibus, ingruant, ſpecialem diſquiſitionem non merentur. Varicoceles & cirſoceles nomine itaque vel utroque promiſcue utuntur, vel etiam horum tantum alterutrum in ſcriptis ſuis adhibent.

Quisque itaque per *Cirſocelen* cum ſuis Synonimis tumorem intelligit funiculi in aequalem tenſumque, in quo turgidae, calami ſtraminei vel ſcriptorii, vel inteſtinorum avium, vel, ut ARANTIVS *r** dicit, digitorum

p) Precis de Chirurgie pratique p. 677. Leg. MORAND Opuſcules de Chir. P. 2. p. 171. Item PLENK de tumoribus p. 226.

q) Anat. Chir. Med. Beobachtungen.

r) l. c.

*r** De humano foetu, Ven. 1587. P. 247.

gitorum craſſitiem habentes, atque inter ſe, lumbricorum glomeria inſtar contortae chordae diſtingvuntur, & quorum pondere teſtis in ſacco ſuo deprimitur. Vaſculorum eſſe congeriem, quae hanc ſingularem maſſam formant, primus rei adſpectus demonſtrat, ſed cujusnam haec ſint indolis, utrum venae, an quae genituram ducunt, & utrum ea tantum vaſa, quae in ipſo funiculo reperiuntur, an quoque illa, quae epididymidem & teſtem intrant, dicto modo evolvantur, quaeſtio eſt difficilior enodatu. Ex dictis quidem opinio Auctorum de ſede mali generalis eluxit, & ſtatus controverſiae in eo in primis verti videtur, num morbus tantum in funiculi vaſa venoſa, an etiam ulterius ſaeviat. Atque ad hanc quoque diverſo modo reſponderunt. Nonnulli enim plexui pampiniformi tantum, alii vaſis ſpermaticis arterioſis, venoſis & lymphaticis in genere malum adſignant, alii vero non ſolum funiculi venis, ſed etiam reliquis ad epididymidem, teſtem, tunicam ejus vaginalem vasque deferens pertinentibus, turgeſcentiam adſcribunt. Venis itaque in genere tumoris generationem multi imputant. Sed recentiorum notatu digniſſimae obſervationes docent, multum abeſſe, quin priorum ſententiam libere, & ſine ulla limitatione amplecti poſſimus, Videlicet, plures caſus aperte demonſtrarunt, in graviore ſtatu morbum veluti latius divagari, & ipſum epididymidis vas atque vas deferens ſimili ac venas modo adgredi, novisque his turgidis partibus tumoris volumen inſigniter adaugeri. Imo etiam teſtem ipſum inſimul conſumi ſummae fidei viri dixerunt. E re igitur erat, ut in determinatione partium morbo confectarum vaſa ſeminifera non excluderentur, ſed ut venis, ita etiam epididymidi, vaſi deferenti & teſti morbus tribueretur.

Non ita tamen controverſiam hanc transactam videmus.

mus. Etenim Ill RICHTER *s*), cui, inter alia longe plurima, hic etiam debet Chirurgica ſcientia, quod, quum in aliorum opinionibus rarius adquieſcat, plures in ſcriptis obvias maximique momenti errores rigidae ſubjecerit cenſurae, ſingularem in Cirſoceles geneſin inſtituere inveſtigationem perplacuit. Hac vero, deſcriptionibus morbi cum ipſa natura comparatis, ſe coactum fuiſſe aſſerit, priorum ſententias derelinquere & aliam amplecti. Contendit ſcilicet Cirſocelen non eſſe Venarum morbum, ſed proprie epididymidis & teſtis atque venas demum conſecutive tantum pati. Theoriam hanc doctiſſimus WAITZ *t*) ulterius in diſſertatione academica illuſtrare conatus eſt, & plura ad confirmandam illam collegit argumenta, quae digna ſunt, ut ſumma adcuratione ponderentur. Quid vero impediat, quo minus eam priori anteponere & veritati magis conſentaneam exiſtimare poſſim ſequentia indicabunt.

DESCRIPTIO MORBI.

Tumor, Cirſoceles eſſentiam conſtituens, in cavo ſcroti inter corpus teſtis & annulum eſt reperiundus, & a primo ſuo ortu ex ipſo funiculo naſci, atque ab eo ipſo formari videtur. Ambitus ejus non quidem ſphaerae inſtar eſt globatus, ſed ea ratione complanatus & elongatus exiſtit, ut latior ejus margo teſti imponatur, alter vero attenuatus ad annulum vergat. Superficie inaequali gaudet, ſed exploranti digito perfecte alium, ſi aegrotus pedibus inſiſtit, vel diu obambulavit, alium dum reclinatur, vel diutius in lecto recubuit, imprimit ſenſum. In poſteriori caſu heterogeneum quid ſupra teſtem, e funiculo porrectum, & cum propendentibus qui-

s) Oſervat. Chirurg. Goettingae 1776. Faſc. 2:dus p. 22.
t) De Cirſocele, Goett. 1779.

quibusdam laxisque membranis, vel, ut Cl. SHARP loquitur, cum omenti delapſi particula comparandum, in ſcroto exploratione detegitur, ſimulque vaginalis tunica ſolito amplior & flaccida teſtem laxe tantum involvere videtur. Sed funiculus, vas deferens, caput epididymidis & teſtis ipſe inter has membranulas non difficulter diſtingui poteſt. Hoc partium in ſcroto contentarum augmentum, ut in dies pedetentim increſcit & cum reliquis ſe confundit, ita etiam harum inveſtigationem difficiliorem reddit. Aliam autem partes examinandae in altero aegri ſitu, vel ſi ſuspenſorio uti oblitus fuerit, induunt faciem. Tum enim funiculum elongatum, &, quo major eſt tumor, teſtem ipſum infra alterum longius depulſum obſervamus. Collapſae membranae, quarum natura in priori ſitu dignoſci non poterat, in vaſa jam valde diſtenta, & quo diutius pars pependit, magis renitentia abierunt. Per ſcrotum tenuius & flacceſcens, eorum color obſcure ruber translucet. Amplitudo, ut ſupra diximus, variat, & flexiones admirandas offerunt varietates. Quaedam ſcilicet parallele adſcendunt, aliae vero multifario ductu rurſus deſcendunt, aliae contortionibus multiplicatis transverſum tenent ductum, aliae potius in gyrum ducuntur, & tum demum cum aliis ſupra impoſitis commiſcentur; ſic ut tota haec complicatio ſimilitudinem a lumbricis multis inter ſe contortis certe mutuetur. Et haec vaſculorum dilatatorum farrago, jam majorem, jam minorem partem funiculi occupat; non vero illum tantum, verum eodem fere tempore, quo funiculus hanc ſubit mutationem, etiam vaſculoſum rete tunicae vaginalis ſimili modo corripitur, ita ut aliquando illa ſimilibus dilatatis venis obducta ſentiatur, &, licet ſupino ſitu flaccida apparuerit, in erecto tenſa ſit & inaequalis. In tribus aegrotis hanc tunicae vaginalis labem obſervare licuit.

Sic

Sic igitur ſola ſitus commutatione morbi facies maximopere mutatur, quod tamen citius evenit, ſi aeger pedibus inſiſtens tuſſit, vel reſpirationem retinet, vel vehementer calet, (unde aeſtate tumor, quam hyemali tempore, major invenitur) vel etiam inteſtina habet excrementis & flatibus referta. Sed, expanſo ſic tumore, ſi aeger ſubſidet, vel in lectum ſe dejicit, tenſio vaſorum rurſus imminuitur, tumorque lenioris preſſionis adjumento ita evaneſcit, ut herniam quandam te repoſuiſſe diceres. Cauſſam hujus phaenomeni eam eſſe mox intelliges, quod collecti humores ſitu horizontali facile refluant, perpendiculari autem & a vi quacunque interna premente adcumulentur: adeoque vaſorum membranae inanitae laxam in ſcroto relinquunt maſſam. Vaſa itaque leni adhibita preſſione externa facilius exinaniuntur.

Turgida haec vaſa nullis, ſicuti aliae venae varicibus obſeſſae, nodis gaudent. Inficias tamen ire non poſſum, me, venae longiorem progreſſionem examinantem, ex multis unam vel alteram in nonnullis locis aliquanto latiorem, quam in aliis obſervaſſe. Notandum etiam, compreſſam digito venam, nec ſuperius, nec inferius, vel intenſius intumeſcere, vel collabi.

Ad vim ſenſitivam tumidorum vaſculorum quod attinet, obſervandum primo, pondere ipſius maſſae funiculi nervos tenſionem pati, quae ſenſationem incommodam, eodem, quo tumor increſcit gradu, in dolorem vehementiorem abeuntem, excitat. Suſpenſorio autem is jam valde imminuitur. Sed compreſſione externa vaſorum turgidorum aliam ingratam ſenſationem exoriri dicunt, quam cum ea, quae teſti & epididymidi, violentiam quandam ſubeunti, competit, comparant. Ingenue autem fateor, meos aegrotos, experimento inſtituto, de hoc doloris genere rarius queſtos eſſe. Fortiter enim vaſa teſti ſuperius

impo-

impoſita, atque etiam inferiorem ejus marginem circumlegentia, digitorum apicibus nonnunquam ſine ullo aegroti incommodo compreſſi; alia tamen vice vaſa ad tactum, etſi levem, adeo impatientia fuerunt, ut eo dolorem acutum, non vero opprimentem, qualis is eſt, qui in teſte reſidet, ſed tamen per plures horas perſiſtentem excitaverint. Dum vero vas deferens prope epididymidem ſimili modo fortius contrectavi, ingratus ſenſus aegrum arripuit, vasque poſtea cum dolore intumuit. Aliquando quoque ipſe funiculus prope annulum a quacunque preſſione dolore corripitur; ſimili illi, quo tumor ipſe preſſus vexatur. Sed hic, pro varia rerum conditione, jam citius tardiusque, jam vehementius, aut mitius dolere incipit. Tumorem enim interdum obſervatum eſt pugni jam magnitudinem acquiſiviſſe, ſed tamen ſub toto morbi curriculo, ne minimum quidem incommodum, praeter illud a pondere natum, excitaſſe. Nonnullos vero certo tempore ſingularis, algore junctus, dolor ex inopinato incurrit, qui magis animum conturbat, quam vehementia ſua vexat; aliis dolor iſte potius urens, quaſi a prunis admotis apparet, aliis hic ictibus lancinantibus eſt mistus. Alii autem de ſingulari & valde incommoda ex teſte ab abdominis cavum adſcendente tractione queruntur: & his aerumnis ſaepe cutis ſtupor in interna femoris parte, ad genu usque extenſus, adjungitur. Sed dolor per intervalla vehementius ſaevire ſolet. Cirſocelen ex ictu ortam memorat Cel GOOCH *u*) quae violentiſſimos excitavit cruciatus. Ab inflammatione ingruente dolorem ortum duxiſſe vidit Cel. CALLISEN. A dolore ab initio morbi, cum ſaeviſſima febre ſe manifeſtante, teſtem, relicta tantum vaginali

u) Caſes and practical Remarcks, Norvith, 1767. Vol. 2. p. 244.

ginali tunica, deſtructum fuiſſe narrat Cel. POTT v), & Ill. RICHTER docet ſub ejusmodi cruciatu teſtem alterum ſpaſtice retractum & intumeſcentem a ſe fuiſſe obſervatum. Tumorem per plures menſes ne minimam quidem moleſtiam faceſſere vidimus, ſed caſu & minoris per ſe momenti cauſſa urentem excitavit dolorem, qui vix perceptus increvit, & auctus, ad renes usque adſcendit, atque aegroti animum omnem & alacritatem infregit. Ventriculi nimia impletione, flatulentorum eſu, obſtructione alvina pertinaci; ſpirituoſis & aromaticis, ſanguinem moventibus, libidinoſis cogitationibus & imaginibus, atque aliis ejusdem tenoris in victu & diaeta erroribus major ad teſtem allicitur ſanguinis copia, qua indolens cirſocele ſubito ſaepe ad dolores excitandos vehementer irritatur. Augmento illo ſangvinis vaſa ipſa ita laceſſi, ut dolere incipiant, cel. MONRO contendit.

DISQUISITIO DECURSUS ET SEDIS MORBI.

Quidam morbum hunc rarioribus, alii frequentius occurrentibus adnumerant. Primos ſuos natales prope ipſum teſtem in ultimo fine funiculi ponere ſolet, ſed quo augetur, tumor is etiam adſcendit, & funiculi vaſa latius peſſundat. Funiculus itaque totus primum craſſeſcit, & poſtmodum vaſa volumine aucta explicantur, ut pendulos veluti lumbricos forment.

Incrementum tumoris vix unquam limitatur, nam ad

v) L. c. Caſus 36. 37. 38. in quibus etiam annotat, teſte abſumto, ſe varicoſis dilatationibus turgidum funiculum, & praeter haec, vas deferen tumens & epididymidem turgentem atque duram reperiſſe.

ad pugni majoris magnitudinem ill. RICHTER, & ad capitis infantis molem cel. J. L. PETIT x) hunc auctum fuiſſe narrat; imo ſcimus, illum per annulum ad ipſum abdominis cavum perveniſſe, quo ipſe annulus non potuit non vehementer dilatari. Metum etiam nonnulli reticere non poſſunt, ne hujus dilatatione inteſtinis vel omento occaſio ſuppeditetur ex cavo abdominis elabendi, herniasque complicatas formandi. Hujus tamen metus minor, meo quidem judicio, cauſſa adeſſe videtur, quum a dilatatis his vaſculis annulus, etſi diſtentus, impleatur, quae prolapſum inteſtinorum impedire poſſint. Tela cellularis praeterea funiculi, in antiquiori malo aucta, induratur, unde firmior impulſui viſcerum obex ponitur.

Etſi Cel. POTT ſemel binos funiculos cirſocele correptos viderit, rarius hoc accidit, ſed, ut ſiniſter teſtis frequentius morbis variis eſt obnoxius, ita etiam ARANTIO & Cel. PETIT aliisque id confirmantibus, funiculum hujus lateris ſaepius dictum adgreditur malum. Ii, quos D. PRAESIDI videre licuit, in ſiniſtro tantum latere morbo hoc laborarunt.

Sed ut tumor ſurſum augetur, ita etiam deorſum vim epididymidi & teſti demum infert. Succeſſive ſcilicet illius fabricam, vaſa ejus evolvendo ipſa, ſurſum trahit, illamque priori maſſae ita immiſcet, ut limites inter illa & funiculum diſtinguere amplius nequeamus. Cel. SHARP aperte dicit, epididymidem plerumque in cirſocele flaccidam & inaequaliter mollem fieri, atque tactu ideam collectionis magnorum flaccidorum vaſorum menti imprimere. Sed haec ejus transformatio ſingulari peragitur modo. Non enim vas ipſum

x) Traité de maladies chirurgicales, T. 2. p. 511.

ipſum deferens a funiculo jam receptum, totaque epididymis, ſed media ejus portio & ea quae cauda appellatur intumeſcit, tumque vel vaſa ejus venoſa, vel etiam alterum vas ſpermaticum, quod maſſam ipſam componit, a vinculis ſuis diſſolvuntur, & contortorum lumbricorum augent numerum. Caput autem epididymidis multo diutius, an dicam ſemper, intactum manet, vel quia tenacius vaſa inter ſe cohaerent, vel etiam, quia caput non ex uno vaſe, ſed multis conis vaſculoſis eſt efformatum.

Verum, ſupra jam diximus teſtem ipſum ſenſim ſenſimque ſimul contabeſcere. Symptoma hoc, a Celso jam viſum, Cl. viri Sharp, Pott & Richter ſua experientia comprobarunt. Hic etiam contendit, ſub augmento mali vaſcula ſpermatica, teſtis carnem formantia, craſſiora fieri, tumque ex tunica albuginea veluti extrahi atque epididymidis vaſculis adjungi, unde demum albuginea ſaccum veluti inanitum format. De hoc phaenomeno meam qualemcunque ſententiam jam aperiam, dum argumenta, quibus in veterum partes circa ſedem morbi ducor, ſunt enarranda. En horum primaria; quibus poſtmodum per cauſſarum enarrationem & ſymptomatum explicationem, novum, ut ſpero, conciliabitur robur.

1) Cirſocelen formatam exiſtere poſſe ſine ulla teſticulo ejusque appendicibus injuncta labe, experientia edoctus contendo. Incipientem & paucorum tantum menſium Cirſocelen omni accuratione examinavi. Maſſa minoris, duorum circiter pollicum, mollis erat, adeoque partes a morbo vitiatas, eo melius diſtingvere licuit. Totum igitur tumorem, ſcrotum teſtemque in hoc latere inſigniter deprimentem, a corporis pampiniformis turgidis vaſculis, quae ad pennae ſcriptoriae

 craſſi-

craſſitiem increverant, conflatum, ſed epididymidem ipſam cum ſuo vaſe deferente atque teſtis maſſam, tam mole & figura, quam firmitate illabefactas inveni.

2) Limites tumoris non adeo ſunt circumſcripti, ut hic ſuperiorem teſtis oram tantum occupet, ſed ad teſtis ſuperficiem, vaginalem nempe tunicam, ab initio ſaepe ſe extendere ſolet, ubi tamen eas tantum partes arripit, quae vaſa genituram ducentia plane excludunt. Haec autem tumoris particula nullo modo a reliqua ſuperiore & majore differre videtur. Sed ſi ipſa genituram ducentia vaſa in conſortium trahuntur, id ut plurimum tum demum fit, quando tumor majorem jam acquiſivit molem, vel a primo exordio rapidiſſimos fecit progreſſus, quo tota fabrica, a violentia cauſſarum agentium oppreſſa, deſtrui videtur. Sequens caſus, quae dixi, plenius demonſtrat.

Cirſocelen examinavit D. PRAESES quatuor pollices longam latamque, ſurſum attenuatam, atque ſimul valde complanatam. Eos vero jam fecerat progreſſus, ut praeterquam quod funiculum maxime expanderat, epididymidis caudam adgreſſa eſſet, eamque, in varios vaſculoſos gyros diſſolutam, adjunxiſſet tumori. Globus vero illius major nullam ſubierat mutationem & teſtis, qui altero multo minor erat, decreverat, etſi ſolitam adhuc retineret firmitatem. Aegri pedibus inſiſtentis morbum perluſtrans plura mox inter vaſa diſtentiſſima detexit, quae pennae anſerinae magnitudine, ex tumore pronata, ad tunicae vaginalis ſuperficiem ſe contulerant, ibique circumgyrantia, totam teſtis inferiorem oram circumlegerant, atque ſic demum ab altera parte tumori, teſti impoſito, ſe immiſerant. Turgidi hi faſciculi viam igitur legebant, quam ſeminifera vaſa numquam, verum plures venae ſem-

ſemper ſequuntur. Idem hoc certe Cel. PORTAL vidit, dum dicit vaſa, quae circumducunt teſtem, oculis diſtingvi poſſe. z) Id quoque hic obſervandum cenſeo, ſingularem & ex compreſſione vaſorum oriundam ſenſationem, qua Ill. RICHTER concludit, vaſa turgida, epididymidis nec venarum, eſſe progeniem, illum in hoc aegro natam vidiſſe, ea tamen exceptione, quod ſi tunicae vaginalis dilatata vaſa comprimerentur, haec eundem ingratum ſenſum excitarent, ac dum illa, quae ex epididymide orta eſſe videbantur, experimento ſubjicerentur. Alio quoque tempore, neque haec, neque illa a compreſſione dolebant. Per plures annos eundem aegrum D. PRAESES inviſit, adeoque de veritate phaenomeni hujus ſe certiſſimum reddidit. Ad hunc usque diem, etſi morbus viginti annorum ad minimum ſit aetatis, neque vas deferens, neque globus teſtis quandam mutationem ſubierunt, ſed, quod ſingulare mihi videtur, remedia adhibita non ſolum ipſum tumorem conſtrinxerunt, verum etiam teſti id emolumentum conciliarunt, ut jam ſine ulla duritie alterum magnitudine fere aequet.

Saepius in cadaveribus, quorum epididymides, ſolito majores & flaccidae fuerunt, venas vidi turgidas, quae cauſſam ſpecialis hujus laxitatis ſuppeditarint. Si vero epididymis varicoſe turgeſcere poteſt, eoque molleſcit, & venae ex epididymide propullulantes ſimili modo ac in ſuperficie teſtis dilatantur, atque ſenſim extra membranas diducuntur, certe hae tumorem nova mole adaugent. Neque dubito, quin venae in ipſa

 teſtis

z) l. c. p. 677. ubi haec verba: lorsque le variococele occupe les vaiſſeaux du teſticle, le gonflement des vaiſſeaux, qui rempent en ſerpentant tout autour, ſe diſtingvent au coup d'oeuil par leur groſſeur.

teſtis carne latitantes, dum primarias plexus pampiniformis radices conſtituant, ſimul varicoſe dilatari poſſint, quo quidem primum ipſe teſtis turgeſceret, ſed extra cancellos hos arctiores venas ſuas ejiciens, iterum decreſceret. Praeterea id negari non poſſe crediderim, vaſa nutrientia teſtis a magna ſuperimpoſita mole ita comprimi poſſe, ut demum ea qua maximam partem claudantur, atque adeo teſtis ob nutrimenti penuriam contabeſcat. Quamdiu coni vaſculoſi, in capite epididymidis reſidentes, & vaſa efferentia intacta manent, vaſcula teſtis, genituram ſecernentia, vix extrahi, & cum ſuperimpoſito tumore confundi poſſunt. Sed fieri tamen poſſe non negarem, dum ſanguine accumulata teſtis ob infractam vim venarum veluti rigeat, inſolitam ſimul quantitatem ſeminis poſſe generari, atque hac, libere ad epididymidem delata, vaſculum ejus diſtendi, quod tum ſuos anfractus venis immiſceret. Si illud prius jam debilitatum fuit & per eductas varicoſas venas a nexu invicem ſit ſolutum, ſimilem ac venae ab aucta ſeminis copia ſubire poterit ſortem. Erit haec altera in ipſo epididymidis vaſculo obſervanda alteratio, quam auctores, ut diximus, paſſim memorant.

3) His argumentis quasdam aliorum in noſtram ſententiam inclinantium obſervationes adjungamus. Taceam omni fere tempore venis auctores morbum adſcripſiſſe; nam fieri potuit, ut error natus, ob defectum vel cognitionis anatomicae, vel occaſionis morbo hoc extinctorum corpora examinandi, ad nos usque fuerit propagatus. Sufficiat vero teſtimonia Ill. Morgagni *a*) & J. L. Petit *b*) adducere, quorum

a) De ſed. & cauſſ. morb. Ep. VII. n. 11. Ep. XX. n. 24. Ep. XXI. n. 19.
b) l. c. p. 509. &c.

rum ille in mortuis, is vero in vivo corpore, operationi chirurgicae ſe ſubjiciente, tumoris naturam rite examinavit. Prior humanarum aegritudinum indefeſſus ſcrutator in lanione cirſocelen inchoatam, & in figulo abſolutam vidit, atque in binis caſibus, vaſcula ſangvini evehendo inſervientia ampla obſervavit. Aeger in Epiſt. VII. n. 11. commemoratus, numquam de incommodo quodam in ſcroto haerente conqueſtus erat, ſed dum poſt mortem cadaver inveſtigaretur, multiplices venarum dilatatarum funiculi totum teſticulum amplexi ſunt. Is autem adeo compactae erat ſubſtantiae, ut in canaliculos amplius diſſolvi non poſſet. Alio etiam loco eum hanc opinionem, quod in venis vera ſit hujus morbi ſedes, adprobare videmus. Alterius obſervationes non minus rem illuſtrant, & certiſſimae dignae ſunt, quae hic breviter enarrentur. Prima haec ſit. In aegri cujusdam ſcroto maxime turgido duos tumores inveniebat: horum ſuperior, qui proprior erat annulo & phlegmonis indicia praebebat, in ſuppurationem abibat, cumque Chirurgus ad tollendum alterum caſtrationem inſtituere decreverat, jamque ſcrotum inciderat, ipſum teſtem ſanum invenit, ſimulque obſervavit, ipſum hunc tumorem a ſpiſſa, in celluloſa tela ſub dartho poſita & in tunicae vaginalis teſtis lamina effuſa gelatina formari. Exemto vero hoc liquore, cirſocele ipſa pugni magnitudine apparuit, quae tam a vaſis venoſis, quam venis lymphaticis inter haec mixtis compoſita erat. Et hunc tamen tumorem non ſine plexus pampiniformis etſi felici jactura, exſcidit. Sic etiam in veredario tumorem ſimilem varicoſum, pediculo tenuiore praeditum, feliciter exſtirpavit. Tumorem exſciſſum & de ſangvine contento purgatum examinaturus, inflavit eum aëre, quo vaſa iterum omnia diſtendit; quae ſimilitudinem receperunt inteſtinulorum inter ſe

maxime convolutorum. Alium memorat aegrum in quo cirſocele ſcrotum ad capitis infantis molem extenderat. Scroto ad operationem inſtituendam ab annulo ad fundum inciſo, mox venarum vehementer dilatatarum glomus in conſpectum venit, ſed re accuratius examinata, apparuit arteriam, epididymidem, vas deferens & teſticulum conſervari poſſe, & id tantum agendum eſſe, ut venae varicoſae deſtruerentur; quod etiam cultro, totum corpus varicoſum a teſte & funiculo ſeparans & abſcindens, feliciſſime perfecit. Nec major haemorrhagia exorta eſt, quin apto apparatu & aqua aluminoſa ſiſti poſſet.

Hi memoria digniſſimi caſus aperte docent, conſilium illud, quod Celsus veteresque chirurgi jam propoſuerunt, & omnes fere artis periti recentiores in graviori caſu imitandum eſſe rati ſunt, venas ſcilicet turgidas vel ligandi, vel exſcindendi, vel aperiendi, vel etiam cauſtico deſtruendi, non inane prorſus fuiſſe ingenii inventum, quod a ſe invicem auctores in ſcriptis ſuis mutuati ſunt, ſed ab ipſa experientia comprobatum auxilium. Si autem operi manum admoverunt, quomodo unquam operatio bene ceſſiſſet, ſi vaſa, quae exſtirparunt, epididymidis fuiſſent progenies.

Ex dictis itaque nunc colligo, ſedem morbi in vaſis eſſe venoſis funiculi, epididymidis & teſtis, &, ſi quando vaſcula ſperma ducentia dilatantur, morbum tunc cum Spermatocele complicari. Ante Ill. Richter huic ſententiae plures accedere videbantur. Cel. Portal & Petit etiam dicunt, ſpermatocelen ſaepiſſime morbo adſociari: ut vero Cel. Pott venis funiculi cauſſam tumoris adſignat, ita etiam teſtem ipſum excludit, & a corruptela plerumque liberum eſſe ſcribit.

CAUS-

CAUSSAE MORBI.

Omnibus iis circumſtantiis, quibus plus minus directe venarum dilatatio promoveri poterit, ſive in earum texturam, humorumve copiam agant, ſive etiam humorum trancurſum externa compreſſione impediant, cirſoceles ortum imputari debere facile elucefcit. In vaſis ipſis vitium, vel inſitum, vel pravo vitae genere acquiſitum, latet. Innatae cujusdam, vel univerſalis, vel ſpecialis laxitatis variae ſaepe in corpore humano regiones produnt indicia, & inter has praeſertim ſcrotum ejusque contenta. Sic interdum infantes vegeti & firmioris habitus a prima jam aetate incommodis in ſcroto corripiuntur, quae ſpecialem laxitatem hujus partis deſignant. Intumeſcentias partium genitalium oedematoſas, hydrocelen externam, congeſtiones funiculi teſtisque, hernias varias, praeſertim congenitam, morbos infantibus maxime familiares eſſe novimus. Et inhaeret nonnunquam ſcroto atque teſti ea ſingularis flacciditas & mollities, quae diſpoſitionem non ſolum ad congeſtiones ſeroſas prodit, verum etiam tam mature partes ad cirſocelen generandam praeparat, ut ante pubertatis annos, & prius, quam erorres ad morbum hunc diſponentes commiſſi fuerint, enaſcatur. Robuſti habitus & optimae ſanitatis vidi juvenem, cui ſine cauſſa manifeſta decimo aetatis anno oborta eſt, cirſocele, quae pedetentim quotannis augebatur. Genitalia ejus firmitate, reliquis viribus aequiparanda, non praedita erant.

Commiſſis variis in ordinanda vita erroribus ſcroti & teſtis textura etiam in ſpecie debilitari poterit. Si nempe partes genitales, antequam debitam acquiſiverunt firmitatem, praematura irritatione torquentur, & teſtium arteriae, celerius tum vibrantes, majorem

ſangvinis copiam appellunt, quam quae a venis reduci poterit, partes adfluentibus humoribus inundantur, & venae, viribus fractae, cedere paulatim coguntur. Vim etiam ſuam contractilem ita amittunt, ut eam recuperare amplius non queant. Per gradus itaque periculum ingruentis morbi augetur, malumque, quod metuimus, revera demum efformatum conſpicimus. Qui citius & frequentius, quam corporis aetatisque nervi permiſerint, veneris caſtra ſequuntur, vel vitio, cujus deteſtabilem genium non minus, quam nomen omnis celet oblivio, ſe polluunt, hoc morbo ſaepe cito citius corripi ſolent. Depravatis etiam noſtri ſeculi moribus eſt adſcribendum, quod plures a damnanda laſcivia, pauciſſimi a nimia abstinentia teſtes gerant morbidos & cirſocele laborent.

In debilitate ſolidorum univerſali, quamcunque etiam agnoſcat cauſſam, cirſoceles generatio minus admirationem movet, quum ſolidorum tenacitas eo ſtatu fluidorum preſſionem non aequet, atque ideo effectus debilitatis in locis minus reſiſtentibus multo prius & facilius, quam in reliquis, ſeſe monſtret. Si venarum ſpermaticarum ingentem ab initio ad finem usque decurſum, ſi magnitudinem earum, arterias valde ſuperantem, ſi harum innatam, ob valvulas, quae vires labentes ſublevarent, rariores, infirmitatem, ſi denique ſitum funiculi extra corpus in frigidiore corporis regione reſpexeris; facile intelliges, venas has ſegnius ſangvinem adpulſum propellere poſſe; & a vi quacunque illata ocyus ad dilatationem ſubeundam diſponi. Tam ad perferendas varicoſas diſtentiones, quam ad retinendas easdem, venae omnino ſunt quam maxime idoneae.

Hu-

Humorum quoque culpae morbus tum erit tribuendus, ſi copia nimis abundant, vel tranſitus eorum quadam ex cauſſa impeditur, & ſi binae hae circumſtantiae una concurrunt. Sangvini inſpiſſato & tenaci in genere, atque hic inprimis nimium tribuere videntur ſcriptores. Etſi enim, quo denſior ſit ſangvis, eo difficilius promoveatur atque adeo is ad congeſtiones formandas ſit aptior, huic tamen ſpiſſitudini in hoc morbo eam ob cauſſam parum vindicarem, quum experientia condoceat, venas ipſius teſtis, quae certe minimae ſunt, atque citius, quam majora vaſa a ſpiſſis humoribus oppilarentur, diutius intactas relinqui; illa autem, quae ſupra teſtem plexus jam formant, & repetitis ſuis communicationibus effectum ſegnitiei inſitae praevenire poſſent, prima ſigna violentiae, ipſa corripientis, produnt. Subinde etiam a ſcorbutica diatheſi humorum, quae certe oppoſita eſt inſpiſſato & tenaci ſangvini, Dionis refert cirſocelen generari, & a ſuppreſſa tranſpiratione Cel. Pott. Nimia autem copia humorum, ſive univerſalis ſit, ſive a ſpeciali irritatione qualicunque ad has partes alliciatur, efficaciſſime in parities vaſorum, externa propellente vi carentium, agere poteſt, eaque demum, ſi diutius perdurat, ſuperabit. Et ſi aliis adventitiis cauſſis, refluxui ſanguinis remoram ſtruentibus preſſio adjuvatur, ea certe incremento morbi inſigniter favebit.

Haec externe agentia obſtacula, jam remotiore a teſte loco, jam in vicinitate ejus ſedem ſuam figunt. Sic contuſiones & violentiae aliae ſcroto illatae, tumores diverſae indolis, vel extra annulum, vel in cavo abdominis inter funiculi vaſa germinantes, tumores in celluloſa peritonei vel glandulis lumbalibus haerentes, brachieria male conformata, aliaeque hujus tenoris vires, directe ſatis venas comprimunt, & curſui

ſan-

ſangvinis reſiſtunt. Immo etiam herniae verae, in ſacco ſuo contentae, vim interdum illam funiculo poſterius poſito inferunt, ut funiculus eo craſſeſcat, humor in tela cellulari exſudet, aquoſus ſaepe latex in teſte colligatur, atque pampiniformis plexus venae ſimul turgeſcant. Similis effectus a morbis renum, a collecto in abdominis cavo adipe, a glandularum meſenterii intumeſcentia, a viſcerum abdominis indurationibus, & praeſertim hepatis, immo etiam ab obſtructionibus alvinis pertinacibus, & inteſtinorum debilium nimia flatulentia exſpectari poterit. Cum nixus in exoneratione alvina adhibendus & excrementorum mechanica preſſio ſangvinem venoſum revehendum retineant, huic cauſſae magnam non ſine jure Cel. Petit efficaciam adſcribit. Nec magis mirandum, eos, quorum facies pallida, digeſtionis viſcera debilitata, reliquaque functionum naturalium organa labefactata ſunt, quique adeo affectibus hypochondriacorum & moliminibus haemorrhoidalium vexantur, cirſocele ſaepe infeſtari. Praecedit vero ea interdum hos morbos, interdum multo ſerius & ſymptomatice potius ingruit. Sedentarii etiam, ſtudiis nimis occupati, mollitiei & ſomno indulgentes, & haemorrhoidibus nimis fluentibus vel reſtrictis laborantes, ad hujus morbi generationem maxime proni eſſe videntur, quum in quocunque hoc ſtatu jam ſolidorum robur infringatur, jam humorum ejicienda copia corrumpatur.

Sed morbi alii, easdem partes & teſtes adgredientes, ſive hydrocele ſit, ſive ſarcocele, ſive ſpermatocele, liparocele &c. venas comprimendo, ſymptomatice illas turgidas reddunt, iisque eam amplitudinem adſignant, quam poſtea retinere coguntur. Quo plures cauſſae una agunt, haeque medelae pertinacius reſiſtunt, eo citior & vehementior earum erit effectus.

Ex

Ex dictis jam colligitur, *Cirſocelen* in *Idiopaticam* & *Symptomaticam*, inque *Simplicem* & *Compoſitam* diſpeſci poſſe: quae diviſiones, ut ab impoſito facile intelligi poſſunt nomine, ita in cura etiam morbi maximi eſſe videntur momenti.

EXPLICATIO SYMPTOMATUM.

Jam periclitari lubet, an, dum antiquorum theoriam circa cirſoceles ortum defendimus per hanc etiam ſymptomata obvenientia rite explicare queamus

1) Vaſculorum dilatatorum copiam, magnitudinem & invicem contortuplicationem ex plexus pampiniformis ſtructura facile poſſe explicari, credimus. Lente praeterea factas dilatationes incredibiles fere eſſe, ita ut vena ſpermatica centuplo & millecuplo ſe ipſa fiat auctior, varia exempla & inter haec Ill. HALLERI obſervatio, cujus ſupra mentionem fecimus, demonſtrat.

2) Preſſioni externae vaſcula turgida elaſtice reniti videmus, hoc autem tam a collecti ſangvinis reſiſtentia, quam membranarum aucto incremento dependet. Sed dilatatorum vaſorum major aequalitas, quae in aliis venis varicoſis deſideratur, exinde hic provenit, quod venae ſpermaticae, licet valvulis gaudeant, pauciores habeant, atque adeo ſangvis aequabili preſſione lumina vaſorum amplificet. Injectio anatomica deorſum inſtituta, valvulis his non impeditur, ſed vaſa per illam ſimili ratione diſtenduntur. Sangvis ipſe in vaſculis non concreſcit, ſed fluidus manet.

3) Tumoris ſub erecto ſitu aliisque corporis mutationibus ſubitaneum incrementum inde deducimus, quod ſangvis facilius deorſum propellatur, ſed colle-

ctus, difficilius iterum adſcendat, atque adeo, fortius agendo, vaſa debilitata plenius diſtendat.

4) Corporis reſupina inclinatione, omnibusque iis adminiculis, quae adſcenſum humorum adjuvare poterant, tumor decreſcit; hinc etiam ſuſpenſorii uſu & laxantibus imminuitur vaſorum turgeſcentia. Non itaque tumor ipſe preſſione in abdominis cavum, ut herniae ſolent, reprimi poteſt, ſed tantum inanitur.

5) Turgidum vaſculum, ſi compreſſione externa coarctatur, nec ſurſum nec deorſum inde intumeſcit. Hujus vero phaenomeni eam eſſe rationem credimus, quod rami inter ſe adeo implicentur, & tam multas communicationes alant, ut propulſus ſangvis ſtatim viam inveniat, qua effugere poſſit. Communicationes frequentes vaſorum humorum etiam coagulationem impediunt.

6) Siniſtri lateris funiculus ſaepius quam dextri cirſocele corripitur, cujus duplex eſſe poterit ratio; quod nempe vena ſpermatica ſiniſtra a flexionis iliacae coli contentis comprimatur *c*), vel etiam circulatio in hac vena, ob ejus in vena renali, aortam transgrediente, finem, ſegnior fiat. Negare etenim non poſſumus, pulſationes aortae vehementiores, fluxui ſanguinis renalis vim inferre debere & curſum retardare.

7) Tumor prope teſtem primordia ſua capit, atque hic maximam ſangvis contentus exercet preſſionem, dum minimam cordis contractionem perſentiſcit efficaciam.

8) Quae phaenomena circa ſenſum cirſoceles obſer-

c) Le Dran Obſervations de Chirurgie, T. 2. p. 136.

ſervamus, nervis, ut diximus, quisque tribuit. Venae per ſe quidem minima ſenſatione ſunt praeditae, quando vero, ut in hoc morbo, maxime diſtenduntur, & conſtanter veluti laceſſuntur, eadem vehementius ſaeviet. De varicibus dolentibus plures collectae ſunt hiſtoriae, &, ſi etiam concedamus, communiter cutis tenſionem hunc ſuppeditare dolorem, inficias tamen ire non poſſumus, funiculum tot ſubtiles recipere nervos, ut venarum tenſio eundem in adjacentes nervos facile propagare poſſit. Similis huic dolor in ſarcocele obſervatur. Ad cavum abdominis, dorſum atque renes ſe extendit, quia inde plexus ſpermaticus originem trahit, & in ſuperficie femoris interna obtuſo ſtupore ſe expandit, quum nonnulli nervi ſpermatici lumbales ſua fila ad cutem femoris projiciant. Si morbus cum epididymidis inflatione ex improviſo conjungitur, dolor ſaepe adeo violenter urit, ut calor excitetur & interdum inflammatio; quod certe a majore partium ſenſibilium tenſione dependet. Deſcriptio anatomica de cetero plura in cirſocele obſervanda phaenomena explicat.

SIMILITUDO HUJUS MORBI ET COMPLICATIO CUM ALIIS.

Multi probatiſſimae experientiae Viri magnam inter cirſocelen & epiplocelen ſimilitudinem invenerunt, qua fieri poſſe metuunt, ne in Diagnoſi adeo diverſi morbi confundantur. Non tanta vero morborum eſt affinitas, ut ſub primo jam eorum ortu, ejusmodi error facile committi poſſit; quum adhucdum omentum ſuam propriam retineat mollitiem, ejusque per annulum abdominalem protruſio, & per eandem viam in abdomen relapſus facile obſervari poſſit; alter vero tumor teſtis margini ſuperiori veluti adnatus appare-

at. In vetuſtiore autem utroque morbo, ſi aeger morbi ortum & incrementum deſcribere non poteſt; ſi omentum inſcio aegroto diu delapſum haeſit, & funiculo adcrevit; ſi omenti venae, ab annulo conſtrictae, intumuerunt, quo in ſcroto ſimilia ſaepe ac in cirſocele offenduntur vaſculorum glomera; ſi ea maſſa variam digito offert duritiem; vel ſi cirſocele per annulum ad cavum abdominis usque ſeſe elevavit, ſimulque, ut verbis Ill. A. C. Waitz utar, tumor ſit induratus, & in molem indigeſtam & coaleſcentem abiit, certe in his circumſtantiis diagnoſis variis difficulter enodandis premitur difficultatibus. Ill. Richter fatetur ipſe, in ejusmodi complicatione ſe hallucinatum eſſe. Communiter etiam ii, qui cirſocele laborant, ſe hernioſos credunt. Si vero, comparatione inter binos funiculos inſtituta, unum tantum turgidum & fartum invenimus, atque ſcimus, tumorem absque violentia externa obortum, ab initio prope teſtem formatum fuiſſe, illumque poſtmodum ſenſim auctum, ſurſum ſe ad annulum contuliſſe; ſique porro molis memoratam, a ſitu aegri dependentem, mutationem obſervamus, haec ſigna ſimul conſiderata morbum hunc ab epiplocele diſtingvent. Quibus etiam haec addamus, quod in hoc caſu dolor ad renes ſe extendat, epididymis interdum diſſolvatur, & teſtis demum extenuetur. Tardiſſime cirſocele increſcere ſolet. Virum per 20 annos morbo hoc laborantem ſaepe examinare licuit, & tota hac annorum ſerie incrementum tumoris parum proceſſit. Omentum autem violentius plerumque erumpit, volumine citius augetur, & deorſum delabendo, teſtem ſerius attingit. Ut vero, repoſito omento, nihil in ſcroto remanet, novus ejus etiam per annulum exitus facile digitis exploratur. Glomus vaſculorum dilatatorum omenti minus eſt illo, quod funiculus format. Si major portio omenti praeſcriptos can-

cancellos ſuperavit, hae tractionem in ventriculum exercet, aegroto maxime incommodam.

Facilius vero error committitur, ſi omentum, funiculo adnexum, in magnam ſuccreverit molem. Ut enim ipſa complicatio aegrius diſtingvi poteſt, ita etiam, quid ad cirſocelen quidque ad epiplocelen pertineat, dictu erit difficile. Nonnunquam etiam dolores lancinantes ingruunt, qui eam ſenſibilitatem parti imprimere poſſunt, ut ad tactum omnem dolor increſcat. Interea tamen experientia docuit, cirſocelen ſaepe, epiplocelen autem rarius dolere. Praeterea, perpenſis & comparatis utriusque morbi ſignis & ponderata rite aegri de ortu & incremento morbi relatione, ex hoc diagnoſeos labyrintho feliciter demum evolvimur. Rarior eſt haec complicatio, & rarius certe accidit, cirſoceles magnitudine annulum eo usque dilatari, ut per illum inteſtina dilabantur.

Hydroceles, vel funiculi, vel teſtis, cum hoc morbo copula eo frequentius occurrit, quum ab eadem cauſſa utrumque malum provenire poſſit. Quae enim ſangvini revertenti ſunt impedimento, & venarum dilatationes promovent, facillime etiam collectiones in tela cellulari ſeroſas provocant. Rarius hydrocele inſigne quoddam acquiſivit volumen, quin funiculi venae ſimul varicoſas ſubierint dilatationes. In ea autem morborum miſcela, hydrocele multo melius, quam cirſocele dignoſcitur, quae, ſi quoque dilatatio varicoſa funiculi per aquas perſentiſcitur, ante perfectam aquarum evacuationem rite examinari non poteſt. Praeterea hydroceles funiculi ſigna, Celeb. Viris, LVDWIG, POTT, RICHTER & WAITZ aliisque teſtibus, cum cirſocele ipſa maxime conveniunt. Etenim, cum uterque morbus a teſticulo adſcendat, nullas moleſtias ſub initio creet & tumor aquoſus funiculi in primo ſuo ſta-

dio exploratione eandem, ac epiplocele vel cirſocele tenſionem prodat, fieri poteſt, ut in judicando decipiamur. Aſſerit etiam Cl. WAITZ in hac hydroceles ſpecie, annulum, ut a majore cirſocele, ab aquis demum dilatari. At cirſocele, magna licet, horizontali ſitu aegri decreſcit, vaſculaque ejus relaxantur, contra vero hydroceles tenſio ſitus mutatione non pariter imminuitur. Fluctuatio vero aquarum in graviore morbo demum percipitur, & reliqua hujus morbi criteria, quo majora incrementa cepit, in dies magis perſpicua evadunt. Accurata itaque & repetita rerum contemplatione, morbos, niſi junctim funiculum ſint adgreſſi, a ſe invicem diſtingvi poſſe, ſpes affulget.

Spermatocelen ſaepiſſime cum cirſocele conjunctam eſſe ſupra adnotavimus, & plura auctorum teſtimonia confirmant. Uti vero illa gradu differt, & aliam aliamque induere poteſt faciem, ita etiam, an cum cirſocele ſit vere complicata, jam facilius jamque aegrius enodatur. Si enim tota epididymis cum vaſe deferente teſteque intumeſcit & turget, quod non niſi eo in caſu fieri ſolet, quando morbus celerius increſcit, tumor ipſe violentiora a tenſione nata ſymptomata edit, ſimulque pluribus iis deſtituitur characteribus, qui cirſoceli competunt, & ſi demum ſymptomatice etiam funiculi vaſa in conſenſum trahantur, & turgere incipiant. Si vero cellularia epididymidis vincula ſenſim reſolvuntur, & vaſculum ſpermaticum exuberans gyros ſuos emiſſos inter funiculi vaſa explicat, tantam morbi hujus oriri crediderim cum ramice varicoſo ſimilitudinem, ut in illa complicatione morborum, frequentiſſime obveniente, vaſcula haec, ſua natura adeo diſcrepentia, easdem proprietates recepiſſe videantur. Rem tamen ſolertius examinanti accidit, ut eum locum epi-

epididymidis feliciter demum detegat, qui cirſoceles vaſculis ſe immiſcuit, nec raro etiam vas deferens offendit turgeſcens & mollius. Conjunctio horum morborum majorem deſtructionem indicat, ſed ipſas indicationes curatorias nullo modo mutat. BARBETIANA obſervatio nos docet, vas deferens corrugatum in ſcrotum deſcendiſſe, idque adeo in ſpermatocele a vinculis ſuis qualicunque modo poſſe ſeparari.

Oriri ſaepe ab omenti, vel inteſtinorum in ſcroto delapſorum, vel aliarum in funiculo obvenientium congeſtionum compreſſione cirſocelen; oriri itidem illam in morbis teſtem propius adgredientibus, ut in hydrocele interna, ſarcocele, ſcirrho, frequenter ſcriptores annotarunt. Complicatio vero haec, uti morbi utriusque ſignis diagnoſci poteſt, ita ſpecialem ſollicitudinem non poſcit, cum haec rarius ad inſignem molem jam excreſcat, & plerumque cum primario morbo evaneſcat. Si cirſocele autem a ſpeciali cauſſa, nec ſymptomatice ſit exorta, pertinacius illa medelae reſiſtit, & ſaepe, ſi indurationes quaedam & inaequalitates funiculo immixtae ſentiuntur, metum injicit, ne in deterius malum abeat, quod ipſam caſtrationem reſpueret. Spermatocelen in ſarcocelen ſaepe mutari Ill. MONRO, experientia evictus, docet, & in antiquiori hoc malo funiculi vaſa venoſa non ſolum turgeſcere, ſed etiam indurari, & durioribus ſaepe dolentibus concretionibus inmmiſceri, pulcherrimae Ill. POTT obſervationes teſtantur; quae vero ſymptomata in quacunque morbi ſpecie plerumque triſtiſſimi exitus ſunt praeſagia.

CURA.

Qui ad ingentem varietatem & diverſam indolem eorum phaenomenorum, quibus hic morbus eſt tribuendus, ſuam vertit attentionem, non ſolum in explorandis & indagandis ſingulis ſummas inveniet difficultates, ſed etiam, his qualicunque ratione ſuperatis, & genuina demum morbi cauſſa detecta in novas mox incurret, in curam morbi ſuam convertit ſollicitudinem. Perſpiciet enim ſaepiſſime ſibi cum invincibili hoſte eſſe luctandum, vel etiam interdum ſorti potius, quam arti tentaminum inopinum ſucceſſum eſſe adſcribendum. Nam iis in caſibus, ubi obſtacula, quae humorum refluxum impediunt, tolli nequeunt, vel ſolidorum a ſumma partium debilitate nata relaxatio corrigi non poteſt, remediis vix optatus obtinetur effectus. Omni itaque tempore hunc morbum pertinaciſſimum & curatu valde difficilem judicarunt medici, niſi in efficaciſſima medela, ſtatim ab initio morbi adhibita, praeſtiterit. Si auctae humorum copiae, vel eorum ad has partes ſpeciali derivationi morbus imputandus, omnia ea certe auxilia quae copiam imminuunt, & celeriorem curſum infringunt, ut venae tuſiones repetitae, laxantia crebrius exhibita, clysmata emollientia, nitroſa, fomentationes frigidae, diaeta tenuis, ſitusque horizontalis, jugiter ſunt adhibenda. Haec imminuere, ſi non tollere, mala recentiora, niſi cauſſa eorum altius lateat, Cel. Petit obſervationibus pulcherrimis demonſtrat. Morbum adventum ſuum cum pondere in ſcroto, dolore funiculi fugitivo & a teſte ſurſum porrecto, debilitate colicisque flatulentis & bilioſis denuntiantem, hujus farinae remediis profligari poſſe credit. Sed externe ſimul applicandum ſvadet cataplaſma ex farina ſecalina & pulvere gra-

na-

natorum confectum. Sed horizontalis ſitus ſub cura eo certius convenit, quum ſangvinis in vaſculis, pauciſſimis valvulis praeditis, major preſſura inde imminuatur.

Si debilitas ſolidorum univerſalis in cauſſa eſt, in corrigenda illa operam collocare noſtram oportet. Ad uſum igitur tam internum, quam externum leniter ſtimulantium & tonicorum confugiendum. Et inter haec amara, praeſertim vero Chinae cortex, atque martialia, quacunque forma illa exhibere lubeat, aliis ſunt anteponenda. Aquae martiales, ut Spadanae & Pyrmontanae, cum praeter vim tonicam a ferro derivandam, ſolvendi & aperiendi facultate gaudeant, maxime proſunt. Valide vero adſtringentia externe junctim applicanda ſvadent nonnulli, & alii reſolventia cum ſpirituoſis copulata. Fomentationes igitur ex herbis reſolventibus, vino, vel aqua addito poſtea ſpiritu vini, coctis, aſſidue tumori imponunt, vel etiam ſpiritum lavendulae compoſitum, aut ſpiritum anthos, quibus ſpleniola irrorantur, in uſum adhibent; alii autem adſtringentium cum aromaticis & leniter irritantibus miſcelas potius amant. Sed ſi umquam externa remedia hoc in morbo aliquem uſum praeſtabunt, quibus tamen Ill. POTT minus favere videtur, ab aqua frigida, vel glaciali, ſingularis effectus exſpectari poterit, ſi ſpongiis vel linteis applicatur, vel ſcrotum tumidum vitro aqua pleno immergitur. Aqua enim frigore ſuo non ſolum ipſum ſcrotum corrugat, verum etiam humores, vaſa turgida expandentes, diſpellit, ſimulque eorum lumina conſtringit. Sub ipſa ejus applicatione hunc effectum praeſtari, facile quisque videt: jam itaque id impetrandum, ut continuato aquae uſu ea firmitas vaſis concilietur, quae ſemper impellentibus humoribus reſiſtere valeat. Nec ratio

 deeſt,

eſt, quin hunc ſuceſſum demum ſperare liceat, ſi quotidie bis per quadrantem horae aqua applicetur, & alia ſimul tonica interne exhibeantur, eorumque vis exercitiis corporis adjuvetur. Quum vero ejusmodi infirmitates ſolidorum ſaepe cum aliis vitiis organorum imi ventris complicentur, atque haec non raro ab obſtructionibus viſcerum abdominalium, ſua ſimul preſſione humores retinentibus, ortum ducant, in cura morbi ordinanda certe requiritur ut mature ſatis in harum ſolutionem dirigamus operam. Rarius quidem pro dolor! contingit nobis eſſe adeo felices, ut ejusmodi mala, vel quia eorum naturam & indolem ignoramus, vel etiam, quia, cognita licet cauſſa, plerumque omnem medelam reſpuunt, profligare valeamus. Tentanda tamen ſunt aperientia & reſolventia, tam ea, quae principio ſuo detergente & attenuante, quam illa, quae propria ſua ſolvendi & roborandi virtute ſeſe commendarunt. Primam phalangem conſtituunt ſalia media & praecipue alcali vegetabile tartariſatum, alcali vegetabile acetatum, mellita, ſaponacea, herbae ſuccis ſaponaceis & mucilaginoſis ſcatentes, ut taraxacon, ſaponaria, bardana; alteram vero gummata ferulacea, extracta amara quaedam, ut fumariae, cichorei, rel. immo & antimonialia mercurialesque praeparationes. Quorum omnium uſui laxantia ex ſalibus catharticis repetita jungenda.

Si pertinaciores obſtructiones alvinae morbi incommoda adaugent, diaeta laxa & remedia alvum proprie ducentia, vel molliorem reddentia, et nonnumquam roborantia, utpote quae tonum inteſtinis debilibus reſtituunt, ſolamen adferre ſolent. Si haemorrhoides obſtructae & ſuppreſſae cirſocelen intulerunt, eas aptis remediis provocari debere, tam celeberrimorum Virorum

rum experientia, quam ipſa rei ratio ſvadet. Sed, ex ſuperioribus paragraphis vidimus, cauſſam morbi quandoque in locali quadam & cognita compreſſione funiculi latere; in eo autem caſu quis unquam curam ſuſciperet, niſi prius ad illam deſtruendam omnem moverit lapidem? Uberrimam quidem ars ſalutaris nobis largitur copiam remediorum in cirſocele conducentium, delectum autem eorum pro ratione cauſſarum facere, hoc medici eſt negotium. Non raro enim ea, quae in uno caſu prodeſſent, in alio noxium praeſtarent effectum. Matrimonium ex. c. quod caſto, nimis repleto, fortiſſimisque fibris praedito juveni, cirſocele laboranti, conveniret, alii, cujus corpus a libidinoſis irritationibus eſt effoetum atque exhauſtum vehementer noceret.

Sed eheu conatus ad devincendum morbum ſaluberrimi exſpectationem noſtram ſaepius decipiunt, quam complent, nosque in ea anguſtia ponunt, ut vel ferro curare, vel etiam fato aegrum relinquere cogamur. Eſt tamen, quod gaudeamus, ſaepiſſime morbum ad ſummam ſenectutem in eodem ſtatu permanere, vel tardiſſime increſcere, doloresque, interdum ex inopinato ingruentes, ſuſpenſorii continuo uſu praecaveri atque imminui poſſe, ſi ſimul ea omnia ſtudio evitantur, quae tumorem irritare poterunt. Commendarunt quidem veteres & recentiorum multi ferri uſum, ea ſcilicet ratione, ut venae maxime turgide vel plane exſcinderentur, vel ligaturae ope deſtruerentur, vel etiam tantum lanceola turgidiſſimae aperirentur, quo, cicatrice poſtea formanda, conſtrictae impellenti ſangvini melius reſiſterent. Alii eodem ſcopo cauſtica adhibere ſvadent. Sed quae incommoda ex his omnibus methodis oriri poſſint, is certe praevidet, qui morborum teſtis & funiculi indolem rite noverit. Succeſſum tentamina nonnumquam comitatum fuiſſe, non quidem dubitaverim;

sed

ſed a a peritioribus in arte viris ea molimina improbanda eſſe crediderim, quorum exitus a coeca ſorte dependet. Ecquis enim, huic operi ſe accingens, praedicere poteſt, an ſufficientem copiam dilatatorum vaſorum abſtulerit, anne plura deſtruxerit, quam ut reliqua ad revehendum ſangvinem ſufficiant, anne praeter venoſa, etiam arterioſa vaſa laeſerit, anne epididymidis vaſculum, tumori ex inopinato immixtum, incaute ſimul diſciderit, & anne irritatio ipſa, praecipue ſi cauſticis peragitur, deleteriis jungatur effectibus. Id praeterea etiam obſervandum, haemorrhagias, quae ab harum venarum inciſionibus oboriuntur, difficilius ſiſti, quum compreſſionem vix admittant; nec, ſi jam induratae ſunt, ſufficienter vino adſtringente, vel alio ſtyptico conſtringantur. Caſtrationem itaque has ob cauſſas multi commendarunt, neque dubitandum, ipſa operationis methodo ultimis temporibus correcta & emendata, eam fere omni vacare periculo. Quum vero morbus ut plurimum non adeo atroces excitet cruciatus, ut ob illos ad ultimum, dolorificum ſemper, auxilium lubenter refugeret aeger; illud etiam non niſi in eo caſu, quo omnia alia remedia incaſſum fuerunt adhibita, & metus obvenit, ne in cancrum tumor abeat, commendandum foret. Solet nempe funiculus & epididymis nonſolum dilatationibus varicoſis conſumi, verum etiam ſcirrhoſis indurationibus corripi, quae, ſi dolent & increſcunt, niſi maſſa cito auferatur, acredinem cancroſam gignunt, quae latius ſerpat, & illaeſa cito contaminet, in quo ſtatu neque caſtratio, nec ulla alia medela uſum praeſtare poteſt.